Universidad de Deusto
Biblioteca

Concilium

Universidad de Deusto
Biblioteca

365052
320676
241"16"
B96h

40000365052

Est. 10
Plút. 2

Universidad de Deusto
Biblioteca

MEDVLLA THEOLOGIÆ MORALIS.

FACILI, AC PERSPICVA METHODO resolvens casus conscientiæ,

EX VARIIS, PROBATISQVE AVTHOribus concinnata.

A. R. P. HERMANNO BVSEMBAVM, E Societate IESV, SS. Theologiæ Licenciato.

CONFESSARIIS ÆQVE, AC POENITENTIBVS perquam vtilis.

CVI ACCESSERE

Tractatus de Bulla Cruciatæ.

25638

Authore D. Vincentio Ibañez Theologiæ Antecessore, & Canonico Cæsaraugustano.

Necnon opiniones damnatæ à Summis Pontificibus Alexandro VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII., quæ perquàm vtilia.

IN HAC VLTIMA EDITIONE.

Elaboratum est vt opiniones quas vel ex propria, vel ex aliorum mente Auctor dixerat probabiles, & nunc Pontificum decretis proscriptæ sunt, corrigerentur.

BARCINONE.

COLEGIO DE ESTUDIOS BILBAO

Ex Typographiâ Martini Gelabert, coram Rect. Virg. Mariæ de Pino Anno Domini 1696.

Sumptibus Martini Gelabert Typographi, & Iacobi Batlle Bibliopolæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Barcinone 9. Februarij 1676.

Imprimatur

Don Franciscus de Pons
Cancellarius.

APPROBATIO ADMODVM REVERENDI PATRIS Thomæ Munieſſa Societatis IESV, Theologiæ Anteceſſoris, Qualificatoris Sancti Officij, & pro Diœceſi Barcinonenſi Examinatoris Synodalis.

COmmittente perilluſtri D.D.D. Ludovico de Ioſa, Sanctæ Eccleſiæ Cathedralis Barcinonenſis Canonico, & Archidiacono: Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini D. F. Ildephonſi à Sotomayór Archiepiſcopi Epiſcopi Barcinonenſis, Vicario Generali, & Officiali; relegi *R. P. Hermanni Buſembaum è Societate IESV, MEDVLLAM Theologiæ moralis, ſeu caſuum conſcientiæ Summam* ſummâ cum laude apud vniverſum Chriſtianum Orbem exceptam, omniumquè manibus tritam: vſque adeo, & attritam, vt quinquaginta editionum innumera prope exemplaria, pauca cenſeantur, præ ſtudioſorum deſiderio. Animadverti lubens in hac noviſſimâ, quod ſolertiſſimis Evulgatoribus gratulemur, complurium mendorum, quæ in alijs ſenſum, modò obſcurum, modò etiam alienum efficiebant, exactiſſimam correctionem: & propoſitionum ab Alexandro VII. prohibitarum ſeriem: vt omni procul offendiculo, partim aucta, partim primigeniæ ſinceritati ad amuſſim reſtituta, celebris hæc Summa in poteſterum habeatur. Brevis eſſe laborat, & obtinet, quin obſcura fiat, difficile illud fœliciter aſſequuta. *Multa paucis*: jure propterea meritò Sidonij verbis auditura: *Plus, doces, quàm dicis, paucis multa cohibes, & curæ fuit cauſam potiùs implere, quàm paginam.* Et à Doctorum Maximo: *Sectaris ſapientiam, quæ non eſt in folijs verborum, ſed in Medullis, ac fructibus ſenſuum.* Supplementi, quod in hâc Medulla primitùs deſiderabatur, de Bullâ Cruciatæ, vna ſit laus, ejuſdem opus ingenij iudicandum, niſi ex Hiſpanâ præſtantiſſimi Theologi Doctoris, & Canonici Cæſaraugustani Vincentij Ibiñez elucubratione, latinè redditum cerneretur. Quapropter judicium, quod ferre jubeor de præſenti ſummâ, communis legentium plauſus, & fructus præſeferunt: Et actum ago, cum digniſſimam eſſe pronuntio, quæ denuò recudatur; vtpote, nec fidei, nec bonis moribus quidquam habens diſſentaneum: prælumque identidem fatiget, quæ præ omnium manibus, improbâ proborum lectitatione aſſiduâ fatigatur. Barcinone in Collegio Bethleemitico Societatis IESV. 26. Novembris 1676.

Thomas Munieſſa
Societatis. IESV.

Attentâ ſupra-ſcripta approbatione
Imprimatur. 27. Novembris. 1676.
De Ioſa Vic. Gen. & Offic.

Universidad de Deusto Biblioteca

PRÆFATIO AD LECTOREM BENEVOLVM.

ANNI sunt complures, *Amice Lector*, quando iussus fui Coloniæ, eam scientiam in compedium redactam tradere, quæ novis Sacerdotibus, in tanto munere digniùs exequendo, (præsertim, quoties in conscientiæ tribunali Iudices sederent) præsidio foret. Duo hìc facilè videbam maximè à me postulari, vt & optima quæque seligerem, & in ordinem, vsui cuiusque aptissimum, dispertiter, itaque ex optimis floribus vtilissima colligunt, & in alveari disponunt in ordinem. Inde effecta est hæc *Medulla Casuum Conscientiæ*, (vt aiunt) seu *Theologiæ moralis* summa Enchirido huic inclusa. quæ cum in manus, & oculos plurium pervenisset, visa est non improbari; ijs præsertim qui privato calamo eandem, non sine labore, molestiâ, & temporis iactura descripserunt. Hinc evenit (cuius aliàs consilij ne cogitatio quidem vnquam inciderat) vt plurium me preces identidem vrgerent, & viri maximi authoritas, dignitasque impelleret, ac denique etiam Superiorum iuberet voluntas, vt publicî iuris facerem. Lima hìc aliqua opus fuit, à qua perfectior prodiret in lucem, quæque Authorum nomina, ante desiderata, quotquot in promptu essent, adiungeret (adiuncta sunt autem hac altera editione quamplurima.) Nunc consilium tu meum, & ordinem accipe. Noto, nomine *Casus Conscientiæ* appello varias species factorum, de quibus in foro conscientiæ Iudex Sacerdos sententiam edicat oportet, atque vel vt honesta approbet, vel vt turpia condemnet. Medio tutissimus iturus, extrema plus æquo, vel laxa, vel angusta declinare sum conatus. quòd si quando declarem, vbi Doctores nonulli benigniùs senserint, non ideò probo, vel suadeo; sed illud affero, vnde nonnunquam pendente iudicio, conscientiæ Rector, vel Consultor dispiciat, an esse vsui possit. In sexto quidem præcepto (vti, & matrimonij Sacramento) animus fuerat, per viam adeò lutulentam celeriùs incedere, sedtamen plurimum iudicio, & hìc immorandum nonnihil fuit, nequid praxis requireret.

Cæterùm nihil asservi, nisi vel ex communi Doctorum sententia deductum, vel desumptum ex probatissimorum Authorum libris, scriptisve, eorum in primis qui hìc eximiâ cum laude versati sunt. Inter quos Principes extitere, laudatissimi huius scientiæ Magistri, *P. Hermannus Nunning, & P. Fridericus Spe, vterque è Societate nostra Sacerdos*, & in diversis Academijs Theologiæ Moralis Professor, quibus me debere plurimum libens profiteor: vterque enim casuum Summam confecit,

cit, & mirificè passim probatam, & publicâ luce dignam, quibus proinde liberaliter sum vsus, vt, & ipsi similiter ante fecerant: prior enim *P. Maximiliani Buchier*; alter ex vtriusque viridario, manu solerti, flores quamplurimos decerpserant. Vnde hos omnes æquissimo animo, & iure, in fructus laudis, quæcumque est, societatem admitto: ita quidem, vt minimam eius partem mihi vendicem. quinam omnium fontes præcipui extiterint, Authores identidem allati indicabunt.

Methodus illa, & optima visa fuit, & facilima, vt in quavis materia, seu dubio, in primis ex communi Doctorum sententia respondeatur; quæ responsio, ceu regula quæpiam sit, ex qua deinde (quoties id fieri potest) aut certè circa eam, casus aliquot particules resolvantur, vt secundùm illos, & responsionem dictam alij similes, cùm inciderint, resolvi possint.

Quia verò doctrina hæc ferè omnis versatur in cognoscenda bonitate, vel malitia actuum humanorum sive moralium, (vnde & *moralis Theologia* dicitur) Illa verò cognosci non potest sine regula, ad quam vel actus isti rectè accedant, vel à qua pravè recedant, agitur.

LIBRO I.

De actuum moralium regula, tum interna hoc est, conscientia; tum externa, hoc est, præceptis in genere.

LIBRO II.

De præceptis Fidei, Spei, & Charitatis, quæ sunt quasi præambula Decalogi.

LIBRO III.

De Præceptis Decalogi, & Ecclesiæ.

LIBRO IV.

De Præceptis certorum hominum statui proprijs.

LIBRO V.

De modo discernendi naturam, & gravitatem peccatorum; quæ contra dicta præcepta committuntur.

LIBRO VI.

De Sacramentis novæ Legis.

LIBRO VII.

De Censuris Ecclesiasticis, & Irregularitatibus.
Accessit nunc. A.D. Vincentio Ibañez.

LIBRO VIII.

De Sanctæ Cruciatæ Bulla.

Universidad de Deusto Biblioteca

INDEX CAPITVM, ET DVBIORVM.

LIBER I.

De Regula actuum humanorum.

TRACTATVS I.

De Regula interna, sive conscientia.

CAP.I. *Quid Conscientia, & an sequenda sit.* pag.1.
II. *De Conscientia dubia.* p.3.
Dub.I. *Quid sit Conscientia practicè dubia, & quid in ea agendum.* ibid.
2. *Quid agendum cum Conscientia speculativè dubia.* p.4.
3. *An in dubio tutior pars sit eligenda.* p.6.
CAP.III. *Quid Conscientia scrupulosa, & quid in ea agendum.* p.8.

TRACTATVS II.

De Regula externa actuum humanorum, scilicet Lege.

CAP.I. *De natura, & obligatione Legis in genere.* p.9.
Dub.I. *Quid sit Lex sive præceptum.* ibid.
2. *Quotuplex est præceptum.* p.10.
3. *An vis, & substantia legis positivæ dependeat ab acceptatione comunitatis.* ib.
4. *An præcepta etiam humana obligent sub peccato, & quali.* ibid.
CAP.II. *De subiecto, cui datur præceptum.* p.12.
Dub.I. *Quæ personæ præceptis obligentur.* ibid.
2. *An peregrini teneantur legibus sui domicilij, dum ab eo absunt.* p.13.
3. *An peregrini, & vagi teneantur præceptis locorum, in quibus morãtur.* p.14.
4. *An peregrini teneantur præceptis iuris communis, si non sint in vsu, in loco vbi morantur.* p.15.
CAP.III. *De modo quo observanda sunt præcepta.* p.16.
Dub.I. *An debeãt impleri ex charitate.* ib.
2. *An ad impletionem præceptorum requiratur intentio ijs satisfaciendi.* ibid.
3. *An satisfaciat præcepto, qui faciens opus, expresè intendit per illud non satisfacere.* p.17.

An

4. *An ad impletionem præceptorum requiratur intentio, seu voluntas faciendi id, quod præceptum est.* ibid.
5. *An duplici præcepto vno actu, vel diversis actibus, eodem tempore possit satisfieri.* p.18.
6. *An qui vno actu violat plura præcepta committat plura peccata.* ibid.
CAP.IV. *Quæ excusent à transgressione præcepti.* 19.
Dub.I. *An ignorantia excuset.* ibid.
2. *An metus excuset.* ibid.
3. *An excuset impotentia totius, vel partis.* p.20.
4. *An excuset dispensatio.* p.21.
Appendix De dispensationibus S. Pœnitentiaria. p.23.

LIBER II.

De præceptis virtutum Theologicarum.

TRACTATVS I.

De Præceptis Fidei.

CAP.I. *Quæ mysteria Fidei necessariò credenda sint.* p.26.
II. *Quando obliget præceptum fidei.* p.28.
III. *An aliquando liceat exteriùs fidem veram negare, aut falsam profiteri.* 30.
IV. *De infidelitate, & vitijs fidei oppositis.* 32.
Dub.I. *Quid, & quotuplex sit infidelitas.* ibid.
2. *De Iudaismo.* ibid.
3. *Quid sit hæresis.* p.33.

TRACTATVS II.

De Præcepto Spei.

TRACTATVS III.

De Præceptis Charitatis.

CAP.I. *An, quando, & quomodo obliget præceptum Charitatis Dei.* p.35.
II. *De præceptis Charitatis erga proximum.* p.36.
Dub.I. *Quis ordo servandus inter personas, quæ diliguntur.* ibid.
2. *De odio, & dilectione inimicorum.* p.38.
3. *De Præcepto Eleemosynę, seu misericordię corporalis.* p.40.
4. *De misericordia spirituali, seu præcepto correctionis fraternæ.* p.42.
5. *De Scandalo.* p.44.
Art.I. *Quid, quotuplex sit, & quale peccatum.* ibid.
2. *An, & quando scandalum passivum permitti possit, aut ob illud vitandum, aliquid omitti debeat.* p.46.
3. *An liceat alterius peccato materialiter cooperari.* p.48.

LIBER III.

De Præceptis Decalogi, & Ecclesiæ.

TRACTATVS I.

De I. Præcepto Decalogi.

CAP.I. *De superstitione, & speciebus eius.* p.51.
Dub.I. *Quid sit, & quotuplex.* ibid.
2. *De divinatione. Quid, & quotuplex sit.* p.52.
3. *Quid, & quotuplex sit idololatria.* p.55.
4. *Quid, & quotuplex sit vana observantia, & vnde colligitur.* ibid.
5. *Quid sit maleficium, & quomodo possit tolli.* p.57.
CAP.II. *De Irreligiositate.* p.59.
Dub.I. *Quid sit tentatio Dei.* ibid.
2. *Quid, & quotuplex sit Sacrilegium.* ib.
3. *De Simonia.* p.61.
Art.I. *Quid sit, & quotuplex.* ibid.

Quæ

2. *Quæ sit pœna Simoniæ.* p.63.
3. *An, & cui restituendum si quid simoniacè acceptum est.* p.64.

TRACTATVS II.

De II. Præcepto Decalogi.

Cap.I. *Quid, & quotuplex sit Blasphemia.* p.65.
II. *De Iuramento.* p.67.
Dub.I. *Quid sit Iuramentum.* ibid.
2. *Quotuplex sit Iuramentum.* p.68.
3. *An, & quando sit licitum iurare.* p.69.
4. *An in Iuramento liceat vti æquivocatione.* p.70.
5. *Quę, & quanta sit obligatio iuramenti promissorij.* p.71.
6. *Quibus casibus excusetur ab impletione, qui in promissorio Iuramento obligationem contraxit.* p.73.
7. *Quomodo obligatio Iuramenti tollatur per irritationem, dispensationem, commutationem, & remissionem.* p.74.
Cap.III. *De Voto.* ibid.
Dub.I. *Quid sit votum, & quotuplex.* ib.
2. *Quæ requiratur voti deliberatio, & intentio.* p.75.
3. *Quæ requiratur materia voti.* p.77.
4. *Quæ, & quanta sit obligatio voti.* p.78.
5. *Quot modis tollatur obligatio voti.* p.80.
6. *De voti irritatione.* p.81.
Art.I. *An, & quomodo tollatur obligatio voti per directam irritationem.* ibid.
2. *Quis vota indirectè possit irritare.* p.82.
Dub.VII. *Quid sit commutatio voti.* p.83.
8. *Quid sit dispensatio, & qui possint dispensare in votis.* p.84.

TRACTATVS III.

De III. & IV. Præcepto.

Cap.I. *Quid tertium præceptum:* Memento, &c. p.85.
Dub.I. *Quæ opera, tum hoc præcepto, tum ab Ecclesia prohibeantur.* ibid.
2. *Quæ causæ excusent ab observatione festorum, & ob quas opera prohibita liceant.* p.86
3. *Quæ opera festis præcipiantur.* p.87.
4. *An sit obligatio audiendi Missam in Parochia Dominicis, & festis maioribus.* p.89.
5. *Quæ excusent ob auditione sacri.* p.92.
Cap.II. *De IV. præcepto:* Honora patrem, &c. p.93.
Dub.I. *Ad quid teneantur liberi erga parentes.* ibid.
2. *Ad quid teneantur parentes erga filios.* p. 94.
3. *Ad quid teneantur tutores, & curatores, qui parentum sunt loco.* p.96.
4. *Quæ obligatio dominorum, & famulorum, aliorumque superiorum, & inferiorum erga se invicem.* p. 97.
5. *Ad quid teneantur coniuges erga se mutuò, vi huius præcepti.* p.98.
6. *Quæ obligatio Parochorum erga suos.* p. 99.
7. *Quæ obligatio Præceptorum, & Discipulorum.* p.100.

TRACTATVS. IV.

De V. & VI. Præcepto.

Cap. I. *Quid V. Præcepto prohibetur?* Non occides. ibid.
Dub. I. *An aliquando liceat occidere vel mutilare semetipsum.* ibid.
2. *An & quomodò liceat occidere malefactorem.* 102.
3. *An, & quomodò liceat occidere privata authoritate iniquum aggressorem.* p.103.
4. *An aliquando liceat occidere innocentem.* p.105.

De

5. *De duello, & bello.* p.106.
Art.I. *Quid sit, & an liceat duellum.* ib.
2. *An, & quousque liceat bellum.* p.107.
3. *Quid in bello justo liceat.* p.109.
Cap.II. *De VI. Præcepto, & IX.* Non Mœchaberis, &c. Non Concupisces, &c. p.110.
Dub.I. *An, & quanta peccata sint oscula, amplexus, tactus, verba oscæna, & similia, extra matrimonium.* p.111.
2. *Quæ sint species Luxuriæ consummatæ naturales.* p.113.
3. *Quæ sint species Luxuriæ consummatæ contra naturam.* p.114.
4. *An aliquando liceat procurare pollutionem.* p.115.

TRACTATVS V.

De VII. Præcepto. *Non furtum facies.*

Cap.I. *De furto.* p.117.
Dub.I. *Quid sit furtum, & quale peccatum.* ibid.
2. *Quæ sit quantitas notabilis ad mortale peccatum.* p.118.
3. *Quàm graviter peccet, qui multa minuta furta committit.* p.119.
4. *Quid sentiendum de furtis domesticorum, vel amicorum.* ibid.
Cap.II. *De restitutione.* p.121.
Dub.I. *Quid sit restitutio, & qui teneantur ad eam.* ibid.
2. *An qui cooperantur ad damnum alterius, teneantur ad restitutionem.* p.122.
3. *An supradicti teneantur singuli restituere in solidum, & quo ordine.* p.124.
4. *An teneatur restituere, qui alium impedivit à consecutione alicuius boni.* ibid.
5. *Cui, vel quibus restituendum.* p.125.
6. *De rebus quæ debent restitui.* 127.
Art. I. *Quid debeat restitui ab inferente iniuriam materialem tantùm, sive à possessore bonæ fidei.* ibid.
2. *Quid debeat restitui ab inferente iniuriam formalem, seu malæ fidei damnificatore, seu possessore.* p.129.
3. *An, & quid debeat restitui pro iniuria illata corpori, verbi gratia per mutilationem, & occisionem.* p.131.
4. *Quid debeat restitui pro illato stupro.* 132.
5. *Quid debeat restitui pro adulterio.* p.133.
6. *Quid debeat restitui pro fama, & bonis spiritualibus, vt inductione ad peccatum, avocatione à Religione.* ibid.
Dub.7. *De circunstantijs restitutionis.* 134.
Art.I. *Quo tempore, loco, & modo debeat restitui.* ibid.
2. *Quo ordine restitui debeat.* p.135.
3. *Quæ à restitutione excusent.* p.136.
Cap.III. *De contractibus.* p.137.
Dub.I. *Quid in genere sit contractus.* ibid.
2. *Quid in specie de promissione, & donatione.* p.138.
3. *Quibus casibus donatio possit revocari.* p.141.
4. *Quid sit donatio mortis causa, & an possit revocari, quomodo, & quibus competat.* p.142.
5. *Quid sit Commodatum, Precarium, & Depositum.* p.143.
6. *Quid sit Mutuum.* 144.
7. *Quid sit vsura.* p.145.
8. *De Emptione, & venditione.* p.148.
Art.I. *Quid sit Emptio, & Venditio.* ib.
2. *Quid sit Negotiatio, & quibus illicita.* p.151.
Dub.IX. *Quid sit Contractus census, & an licitus.* p.152.
10. *Quid sit Cambium.* p.154.
11. *Quid sit locatio, & Conductio.* p.155.
12. *De contractu Emphyteusis, Feudi, & Libelli.* p.156.
13. *Quid sit sponsio, & Ludus.* p.157.
14. *Quid sit Contractus societatis.* p.159.

Quid

15. *Quid sit Assecuratio, & Fideiussio.* 160.
16. *Quid sit Pignus, & Hypotheca.* 161.
Cap.IV. *De Tutela, & Testamentis.* 162.
Dub.I. *Quid sit Tutela, & Curatela.* ib.
2. *Quid & quotuplex sit testamentum.* 163.
3. *De renuntiatione hæreditatum.* p.166.
4. *Qui possint, & debeant esse executores testamenti.* p.168.
5. *De ijs qui testari, & hæredes instituì possunt.* p.171.

TRACTATVS VI.

De Præcepto VIII. IX. X. & Præceptis Ecclesiæ.

Cap. I. *De Præcepto VIII.* p.175.
Dub.I. *Quid sit suspicio, Iudicium temerarium, & Dubitatio: & quale peccatum.* ibid.
2. *Quid sit, & quàm grave peccatum Detractio.* 176.
3. *An, & quomodo fama restituenda.* 180.
Cap.II. *Quid de præcepto IX. & X.* 182.
3. *Quid de præceptis Ecclesiæ.* p.183.
Dub.I. *Quid requiratur ad ieiunium Ecclesiasticum, & quanta eius obligatio.* ibid.
2. *Quæ causæ excusent à ieiunio.* 185.

LIBER IV.

De Præceptis particularibus, certo hominum statui proprijs.

Cap.I. *De statu Religioso.* p.188.
Dub.I. *Quæ sit natura status Religiosi.* ibid.
2. *Quæ requirantur ad valorem professionis Religiosæ.* p.189.
3. *Ad quid teneatur Religiosus vi suæ professionis.* p.190.
4. *Ad quid Religiosus obligetur vi votorum.* p.191.
5. *Qui possint, vel teneantur ingredi religionem.* p.195.
6. *Ad quid teneantur Religiosi eiecti, & fugitivi.* p.196.
Cap.II. *De statu Clericorum.* 198.
Dub.I. *De Beneficijs Ecclesiasticis.* ibid.
Art.I. *Quid, & quotuplex sit beneficium Ecclesiasticum.* ibid.
2. *Quomodo adquirantur, & conferantur beneficia.* p.199.
3. *Quæ intentio, & qualitates requirantur ad beneficium accipiendum.* p.200.
4. *An liceat habere plura beneficia.* 201.
5. *Quibus modis beneficia amittantur.* 203.
6. *Quid, & quotuplex sit pensio.* 205.
Dub.II. *De Horis Canonicis.* ibid.
Art.I. *Qui obligentur ad Horas.* ibid.
2. *Quanta sit hæc obligatio.* p.207.
3. *Quæ excusent à recitatione horarum.* 210.
4. *Quomodo recitandæ sint horæ.* p.211.
Dub. II. *Quid Clerici possint circa dispositionem fructuum suorum Beneficiorum.* p.215.
4. *Quis sit habitus Clericorum quæ artes, officia, actiones ijs prohibeantur.* p.218.
Cap.III. *De statu & officio personarum secularium quarundam, præsertim iudicialium.* p.219.
Dub.I. *Quæ requirantur ad legitimum iudicium.* ibid.
Dub.II. *De potestate, & officio iudicis.* 220.
Art.I. *Quid requiratur in iudice.* ibid.
2. *Quid iudici servandum circa inquisitionem.* p.221.
3. *Quid liceat iudici circa quæstiones, sive torturam.* p.222.
4. *Quid servandum iudici circa sententiam, & pœnam.* p.223.

Dub.III.

Dub.III. *Quod sit officiũ Advocati.* 226.
4. *Quæ sit obligatio Referentis, Secretarij, & Procuratoris.* p.229.
5. *Quod sit officium Accusatoris.* p.230.
6. *De Testibus.* p.231.
7. *De Reo.* p.232.
Art.I. *An, & quomodo Reus teneatur fateri veritatem.* ibid.
2. *Quid liceat Reo circa fugam pœnæ.* 234.
Dub. VIII. *Quomodo Confessario agendum cum Reo.* p.235.
9. *Quæ obligatio Medicorum, Pharmacopœorum & Chirurgorum.* p.237.
10. *Quæ obligationes Mercatorum, Opificum, & cæterorum sæcularium.* p.238.

LIBER V.

De Ratione cognoscendi, & discernendi pecata.

Cap.I. *De Peccatis in genere.* p.239.
Dub.I. *Quid sit peccatum.* ibid.
2. *An, & quando desideria, & delectationes sint peccata.* p.240.
Art.I. *Quale peccatum sit Desiderium malum.* ibid.
2. *An delectatio morosa semper sit peccatum.* p.242.
Dub.III. *De Distinctione Peccatorum.* p.244.
Art.I. *Quæ Peccata distinguantur specie.* ibid.
2. *Quæ Peccata distinguantur numero.* ib.
Cap.II. *De Peccatis in specie, mortali, & veniali.* p.246.
Dub.I. *Quid sit Peccatum mortale, & veniale.* ibid.
2. *Quibus ex causis Peccatum ex genere suo mortale, fiat per accidens veniale.* ibid.
3. *Quibus modis Peccatum ex genere suo veniale, aut actus indifferens, transeat per accidens in mortale.* p.248.
Cap.III. *De Peccatis Capitalibus in specie.* p.249.
Dub.I. *Quid sit superbia, & quale peccatum.* ibid.
2. *Quid Avaritia.* p.251.
3. *Quid Luxuria.* p.253.
4. *Quid Invidia.* p.254.
5. *De Gula.* p.255.
Art.I. *Quid sit Gula.* ibid.
2. *Quid si ebrietas.* p.256.
Dub.VI. *Quid sit Ira.* p.257.
7. *Quid sit Acadia.* p.259.

LIBER VI.

De Sacramentis.

TRACTATVS I.

De Sacramentis in genere.

Cap.I. *De natura Sacramenti novæ legis.* 260.
Dub.I. *Quid sit Sacramentum.* ibid.
Dub. II. *Quid circa materiam, & formam Sacramentorum servandum.* 261.
Cap.II. *De Ministro Sacramentorum.* 262.
Dub.I. *Quid requiratur, vt Minister det validè Sacramentum.* ibid.
2. *Quid requiratur in Ministro, vt licitè ministret.* p.263.
Cap. III. *De suscipiente Sacramentum.* p.265.
Dub.I. *Quæ dispositio requiratur ad valorem Sacramenti in susciptente.* ibid.
2. *Quid requiratur, vt licitè, & cum fructu suscipiatur.* p.266.
Cap. IV. *Quid sint Sacramentalia, & quid efficiant.* ibid.

TRAC-

Universidad de Deusto Biblioteca

TRACTATVS II.

De Baptismo, & Confirmatione.

CAP. I. *De Baptismo.* p.267.
Dub. I. *Quæ sit materia Baptismi.* ibid.
2. *Quæ sit forma Baptismi.* 269.
3. *De Ministro Baptismi.* 270.
Art. I. *Quis sit Minister Baptismi.* ibid.
2. *An duo possint simul vnum baptizare.* 271.
Dub. IV. *Quod sit subiectum Baptismi.* ib.
5. *De cæremonijs Baptismi.* p.273.
Art. I. *Quę servanda circa cęremonias baptizandi.* ibid.
2. *Qui Patrini, & quod eorum officium.* 274.
CAP. II. *De Confirmatione.* p.276.
Dub. I. *Quid sit, & quæ eius materia, & forma.* ibid.
2. *Quis Minister, & quod subiectum.* ib.
3. *Quæ Confirmationis necessitas, & cęremoniæ.* p.277.

TRACTATVS III.

De Eucharistiâ.

CAP. I. *De essentia Eucharistiæ.* p.278.
Dub. I. *Quit sit Eucharistia.* ibid.
2. *Quæ materia Eucharistiæ.* p.279.
3. *Qualis debeat esse panis in materia Eucharistiæ.* p.280.
4. *Quale vinum sit materia Eucharistiæ.* 281.
5. *Quæ conditiones ad materiæ Consecrationem requirantur.* p.283.
6. *Quę forma Consecrationis Eucharistiæ.* 285.
7. *Quandiu Christus maneat in Eucharistia.* p.286.
CAP. II. *De causis, & subiecto Eucharistiæ.* p.287.
Dub. I. *De causis.* ibid.
Art. I. *Ad quem spectet dispensatio Eucharistię.* ibid.
2. *Quid requiratur in Ministro, ad licitam administrationem Eucharistiæ.* p.289.
Dub. II. *De subiecto, seu suscipiente Eucharistiam.* p.292.
Art. I. *Quæ requiratur in eo dispositio animæ.* ibid.
2. *Quæ requiratur dispositio corporis* 293.
Art. III. *Quę & quanta sit obligatio sumendi Eucharistiam.* p.297.
CAP. III. *De Eucharistia, vt est sacrificium.* p.299.
Dub. I. *Quid sit Missa, & quę obligatio Sacerdotum circa illam.* ibid.
2. *Cuius sit applicare fructum sacrificij.* p.302.
3. *Quando, & quoties liceat celebrare.* p.303.
4. *Quo loco celebrandum sit.* p.305.
5. *Quæ sint requisita ad Missam.* p.308.

TRACTATVS IV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAP. I. *De essentia huius Sacramenti.* p.312.
Dub. I. *Quæ sit eius materia, & forma.* ibid.
2. *Qualis Contritio requiratur.* p.314.
3. *Qualis Confessio requiratur.* p.317.
Art. I. *An debeat esse integra materialiter.* ibid.
2. *Quando sufficiat Confessio integra formaliter.* p.319.
3. *Quę sint reliquę conditiones Confessionis.* p.321.
4. *Quando Confessio sit invalida, & quomodo iteranda.* p.323.
Dub. IV. *De satisfactione.* p.234.

Art. I. *Quę eius necessitas, & quantitas.* ibid.
2. *De satisfactione per Indulgentias* 328.
§. 1. *Quid sit Indulgentia, & quid ad eam requiratur.* ibid.
§. 2. *Quotuplex sit Indulgentia, & quomodo differat à Iubilæo.* p.331.
CAP. II. *De Ministro Sacramenti Pœnitentię.* p.332.
Dub. I. *Quis sit Minister.* ibid.
2. *Quid sit Approbatio, & à quo petenda.* p.333.
3. *Quid, & quotuplex sit Iurisdictio Confessarij, & vnde eam habeat.* p.334.
4. *Quid sit reservatio casuum, & quis habeat potestatem reservandi, & absolvendi ab ijs.* p.337.
5. *Quod sit officium, & obligatio Confessarij.* p.340.
6. *Quæ scientia, & prudentia requiratur in Confessario.* p.343.
CAP. III. *De adiunctis Pœnitentiæ.* 345.
Dub. I. *Quid sit sigillum Confessionis, & qui ad illud teneantur.* ibid.
2. *Quale sit præceptum, & quę obligatio Confessionis.* p.350.

TRACTATVS V.

De Extrema-Vnctione, & Ordine.

CAP. I. *Quid sit Extrema-Vnctio, & quæ circa eam observanda.* p.351.
2. *De Sacramento Ordinis.* p.355.
Dub. I. *Quid sit Ordo, quotuplex, & quæ eius materia.* ibid.
2. *Quæ requirantur in Ordinando.* p.356.

TRACTATVS VI.

De Matrimonio.

CAP. I. *De sponsalibus.* p.359.
Dub. I. *Quid sint sponsalia.* ibid.
2. *Quę, & quanta sit obligatio sponsalium.* p.360.
3. *Quomodo dissolvantur sponsalia.* p.362.
CAP. II. *De Matrimonio secundùm se.* p.363.
Dub. I. *Quid sit, quę eius materia, & Minister.* ibid.
2. *De vsu Matrimonij.* p.365.
Art. I. *An vsus Matrimonij, sive actus coniugalis sit licitus.* ibid.
2. *An actus coniugalis sit præceptus, & debitus.* p.367.
Dub. III. *An, & quibus ex causis possit fieri Divortium.* p.369.
CAP. III. *De Impedimentis Matrimonij.* p.371.
Dub. I. *Quæ sint Impedimenta impedientia tantùm.* ibid.
Dub. II. *Quę sint Impedimenta dirimentia Matrimonium.* p.373.
3. *Quomodo Matrimonium invalidum sit revalidandum.* p.381.
4. *A quo, & ob quam causam possit dispensari in impedimentis Matrimonij.* p.382.

LIBER VII.

De Censuris Ecclesiasticis, & Irregularitatibus.

CAP. I. *De Censuris in genere.* p.383.
Dub. I. *Quid sit Censura Ecclesiastica.* ibid.
2. *Quotuplex sit Censura.* p.384.
3. *Qui possint ferre Censuram, & in quos.* p.385.
4. *Ob quam causam possit ferri Censura.* p.386.
5. *Qui possint absolvere à Censuris.* p.388.
6. *Quomodo danda sit absolutio à Censu-*

Universidad de Deusto Biblioteca

ra. p.389.
CAP.II. *De excommunicatione.* p.390.
Dub.I. *Quid sit, & quotuplex.* ibid.
2. *Ob quam causam incurratur, & quem effectum habeat Excommunicatio minor.* ibid.
3. *Quos effectus habeat Excommunicatio maior.* p.391.
4. *Ob quas causas incurratur Excommunicatio maior.* p.395.
Art.I. *Quæ sint Excommunicationes non reservatæ.* ibid.
2. *Quæ sint Excommunicationes reservatæ Episcopis.* p.396.
3. *Quæ sint Papę reservatæ extra Bullam Cœnę.* ibid.
4. *Quomodo intelligenda sit Excommunicatio percußoris Clericorum.* p.397.
5. *Quę sint Excommunicationes Papæ reservatæ per Bullam Cœnę.* p.399.
CAP.III. *De suspensione, & Degradatione.* p.400.
Dub.I. *Quid sit suspensio, quotuplex, & vnde dignoscendum, qualis, & quanta sit.* ibid.
2. *Quę sint Suspensiones in particulari, & qu s ab eis possit absolvere.* p.402.
3. *Quid sit Depositio, & Degradatio; à quo, & ob quam causam fieri possit.* p.403.
CAP.IV. *De Interdicto.* ibid.
Dub.I. *Quid sit, & quotuplex.* ibid.
2. *Qui sint effectus Interdicti.* 404.
3. *Quis censuram Interdicti ferre, & quis tollere possit.* ibid.
CAP.V. *De Irregularitate.* p.405.
Dub.I. *Quid, & quotuplex sit Irregularitas.* ibid.
2. *Quinam sint effectus Irregularitatis.* ib.
3. *Quomodo incurratur, & tollatur Irregularitas.* p.406.
4. *Quę sint Irregularitates ex delicto.* ib.
5. *Quę Irregularitates ex defectu.* p.407.

LIBER VIII.

De Sanctæ Cruciatæ Bulla.

TRACTATVS VNICVS.

CAP.I. *De communi vivorum Bulla.* p.412.
II. *De Bulla Compositionis.* p.470.
III. *De Bulla Defunctorum.* 481.
IV. *De Facultatibus Commissarij Generalis Cruciatæ.* 483.
Copiosum indicem omnium Cap. Dub. Art. & Quæst. hujus libri VIII. invenies. p.525.
Cathalogus opinionum prohibitarum ab Alexandro VII. p.487.
Cathalogus opinionum prohibitarum ab Innocentio XI. p.490.
Cathalogus opinionum prohibitarum ab Alexandro VIII. die 24. Augusti 1690. p.493.
Alię Propositiones ab eodem damnatę die 17. Decembris Anno 1690. ibid.
Casus quos summi Pontifices Santo Tribunali Inquisitionis reservarunt. 495.

MEDVL-

MEDVLLA THEOLOGIÆ MORALIS.

LIBER PRIMVS.

DE REGVLA ACTVVM HVMANORVM.

TRACTATVS PRIMVS.

DE REGVLA INTERNA, SIVE CONSCIENTIA.

CAPVT I.

QVID CONSCIENTIA, ET AN SEQVENDA SIT?

RESPONDEO 1. Conscientia est dictamen rationis, seu actus intellectus, quo judicamus aliquid hic, & nunc agendum, vel omittendum esse, vel fuisse, tanquam bonum, vel malum, idque vel per modum præcepti, vel consilij. Hæc communiter est recta, dictans quod verum est: aliquando tamen non est recta, dictans aliquid aliter quàm sit; v.g. esse bonum, quod est malum; diciturque erronea, quia contingit cũ errore: idque vel vincibiliter, seu culpabiliter, quando scilicet error vitari potuit, ac debuit; vel invincibiliter, quando error moraliter vitari non potuit; ideòque nec voluntarius est, & consequenter non imputatur ad culpam, & hæc dicitur conscientia recta secundùm quid, sive in ordine ad nos. D. Th. Laym. *lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 2. *n.* 1. & *cap.* 3.

Resp. 2. Non tantùm conscientia

 recta,

Universidad de Deusto Biblioteca

recta, sed etiam inculpabiliter erronea, dictans aliquid per modum præcepti, obligat, vt eam sequaris, & si contra facis, peccas: & quidem peccato eius speciei, contra cuius virtutis speciem intellectus peccare iudicat. Ratio prioris est; quia conscientia recta est regula proxima voluntatis, derivata à prima, & principali regula omnium actionũ humanarum, scilicet lege divina, & æterna, S. Th. 1.2. *quæst.* 19. *art.* 3. Ratio posterioris est, tum quia si intellectus voluntati proponit malum, esto malum non sit, si tamen putans esse malum, vult illud facere, iam voluntas verè consentit in malum, habetque sufficientem affectum ad peccatum illud, quod apprehendit, tum quia *omne quod non est ex fide*, hoc est (vt à Sanctis Patribus communiter explicatur) quod non est secundùm conscientiam, *peccatum est*, vt dicitur *ad Rom.* 14. Par est ratio, si intellectus proponat aliquid vt bonum, & preceptum, esto non ita sit, sed malum; voluntas tamen illud liberè respuendo, vel omittendo, consentit in transgressionem pręcepti, & peccat. Cuius vlterior ratio est, quia obiectum tribuit actui speciem, provt hic, & nunc ab intellectu proponitur. S. Th. *loc. cit. art.* 5.

Ex dictis resolvuntur sequentes casus, & similes.

1. Putans esse ieiunium, quando non est, peccat contra temperantiam, si non ieiunet. S. Th. *loc. cit.*

2. Si quis mentiatur ad liberandum proximum à periculo vitę, putans se ex misericordia ad id teneri, actum bonum facit; & si non mentiatur, peccat contra misericordiã. Laym. *lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 4.

4. Scrupulosus licèt putet involuntarias distractiones esse peccata, non tamen peccat, quia non sunt liberæ. Becan *in* 1.2. *tr.* 1. *cap.* 4. *q.* 7. Laym. *loc. cit.*

Resp. 3. Si sit conscientia culpabiliter erronea iudicans ex ignorantia vincibili aliquid prohibitum esse, aut præceptum quod non est, peccat: & peccas, si contra eam, & si secundùm eam opereris; graviùs tamen (cæteris paribus) si contrà. Bresser. Bardi. *d.* 3. *c.* 5. Ratio prioris est, tum quia non agis secundùm regulam humanorum actuum: tum quia voluntas, cùm per se sit cæca, debet sequi rationis iudicium: si enim perseverante illo iudicio appetat alteram partem, non potest in eam ferri sub ratione honesti, cùm intellectus sub ea ratione non proposuerit. Ratio posterioris est, quia vt cum D. Thom. docetur communiter, ignorantia vincibilis non excusat à culpa: cùm enim in nostra potestate sit, errorem vincibilem deponere, malum, quod fit ex conscientia erronea dictante illud esse faciendum, est indirectè voluntarium, ideóque imputatur ad culpam. S. Th. *loc. cit.* Bon. *tom.* 2. *d.* 2. *q.* 4.

Vnde resolvuntur casus sequentes.

1. Homo in tali casu constitutus; v.g. qui sibi mentiendum, vel furandum putat vt vitam, proximi servet, etsi futurus sit perplexus, & ex hypothesi necessariò peccaturus, necessitate consequente, eò quòd stante conscientia erronea non possit effugere peccatum; absolutè tamen, & simpliciter non peccabit necessariò, quia nec sequi talem conscientiam debet, nec cõtra eam facere; sed potest, & debet eandem deponere (cùm sit error vincibilis, & culpabilis) & tunc operari. Vide Laym. *hic. l.* 1. *t.* 2. *c.* 3. & Becca. *in* 1. 2. *t.* 1. *cap.* 4. *q.* 7.

2. Qui peccavit ex conscientia erronea, etsi in rigore non teneatur, rectiùs tamẽ addet illam circunstantiam in confessione, dicendo: feci hoc vel illud, putans me facere contra Præceptum, vel obligationem gravem. Card. de Lug. *disp.* 16. *n.* 503.

CAPVT II.

DE CONSCIENTIA DVBIA.

DVBIVM I.

QVID SIT CONSCIENTIA practice dubia, & quid in ea agendum?

Resp. 1. Dubium est suspensio assensùs circa obiectum apprehensum. Idque est duplex, speculativum, seu Vniversale, quando in genere dubitatur, v.g. an contractus vsurarius sit licitus: an die festo liceat venari, piscari, pingere, &c. Et practicum, seu particulare, cùm dubitatur, an in his circunstantijs, v.g. hoc festo, liceat mihi venari. Ex quo patet, quid sit conscientia practicè dubia, scilicet, quæ practicè dubitat; Speculativè dubia, quæ speculativè. Ita Navar. Laym. Sanch. Bec. *t.* 1. *c.* 4. *q.* 8.

Resp. 2. Qui cum conscientia practicè dubia operatur, peccat, & quidẽ peccato eiusdem rationis, ac speciei, cuius est peccatum, de quo dubitat. Ita Sanch. Bonac. *tom.* 2. *d.* 2. *q.* 4. *p.* 7. Ratio prioris est; tum quia is exponit se periculo peccati; tum quia *quod non est ex fide, est peccatum*, id est, quod non fit cum determinato iudicio conscientiæ dictante esse licitum. Idque verum est, etiamsi speculativè non dubitet; v.g. Certus sum absolutè licitum esse die festo docere; dubito tamẽ, an hic, & nunc mihi liceat, pecco docendo. Ratio posterioris patet, tum ex ratione prima data; tum ex dictis de conscientia erronea: quia habet affectum ad peccatum eiusdem rationis. Vnde si dubites, an sit mortale, peccas mortaliter: an sit furtum, committis furtum, &c. Si dubites, sitne peccatum, (sive mortale, sive veniale,) itaut malicia in cõfuso proponatur, dicit Vasq. 1. 2. *d.* 529. *c.* 3. & alij, esse mortale; quod negant Navar. Valent. &c. Vide. Bonac. Laym. *l. c.*

Resp. 3. Qui practicè dubius est circa aliquod opus, tenetur se resolvere. Et quidem nõ per solum affectum, & voluntatem; (hoc enim non sufficere, rectè docent. Vasq. Sanch. *lib.* 1. *mor. c.* 9. *& alij communiter* Contra *Caietan.*) quia adhuc exponeret se periculo peccandi: sed per motivum rationabile, quale est, 1. Ratio probabilis; 2. Exemplum bonorum virorum sine scrupulo sic operantium. Sanc. Bec. *l. c.* 3. Authoritas viri alicuius docti, & pij. Quòd si tamen dubium sine ratione,

Universidad de Deusto Biblioteca

ne, & iusta causa temerè conceptum, esset, posset etiam sine nova ratione deponi: Et ita explicari potest Caiet.

Resp. 4. Si dubium oriatur ex obligationibus, & præceptis contrarijs? v.g. vtrum quis die festo teneatur apud ægrotum manere omisso sacro, an verò sacrum audire; tenetur se resolvere, & prudenter iudicare, hîc, & nunc alterum obligare; & alterum sibi licitum esse; alioqui enim exponet se periculo peccandi. Vt verò id rectè fiat, hæc servanda sunt. 1. Exquirat aliorum consilia, si potest. 2. Si non potest, v.g. quia solus est, vel quia ex confessione rem intellexit, consideret; quantùm res, & tempus fert, quodnam ex duobus illis sit, vel videatur minùs malum, idque eligat, & non peccabit; v.g. in casu dicto minùs malum est omittere sacrum, quàm deserere infirmum; quia de sacro audiendo est præceptum affirmativum tantùm, & iuris humani; at de infirmo est negativum, & iuris naturalis Sanch. Dec. *l. c.* 3. Si vtrumque videatur æquè grave, vtrum volet, absque peccato eligat, ob defectum libertatis. Quod verũ est, etiamsi culpabiliter in istam perplexitatem se coniecisset, modó de culpa præterita doleat. Ratio est, quia alioqui ad impossibile obligaremur, quod nec Deus exigit, nec fieri potest: ideóque tunc cessat obligatio minor, vel si sint, aut videantur æquales; vtralibet. Vid. Laym. *l. c.* 4. & 5. Fil. *t.* 21, *c.* 4. Bon. *l. c. p.* 6, *n.* 27.

(***)

DVBIVM II.

QVID AGENDVM CVM conscientia speculativé dubia.

SVnt quædam in Theologia opiniones dubiæ, & in vtramque partem probabiles, quæ reddunt hominem speculativè dubium. Quæritur ergo hîc, an, & quomodo ex talibus possit formari conscientia practicè certa?

Resp. Absque peccato licet sequi opinionem probabilem, etiam alienã, & minùs tutam (hoc est, quæ minus remota videatur ab omni specie peccati, quam altera) relicta probabiliore, & tutiore propria; seclusa tamen omni iniuria, & periculo proximi, & dummodó opinio, quæ eligitur, adhuc sit probabilis, est communis Doctorum, quos citat, & sequitur Laym. & Bonac. *t.* 2. *d.* 2. *q.* 4. *p.* 9.

Ratio est, tum quia qui sequitur sententiam gravi authoritate, vel non levis momenti ratione nixam, (hæc enim dicitur probabilis,) non agit temerè, sed prudenter, sequendo nimirum virorum Prudentum, & artis peritorum consilium: Tum quia esset onus intolerabile, multisque scrupulis expositum, in omni re examinare, quid sit probabilius, & tutius.

Dixi in responsione, *etiam alienam*, quia parum refert, quod opposita sententia ipsi operanti videatur probabilior speculativè: speculativum enim illud iudicium, eo ipso quòd fortè incertum, & falsum sit, non debet esse regula operationis; cùm operans aliam regulam, eamque certam habeat quam sequatur, scilicet hanc, quod dubius quisque operari possit secundùm sententiam, quam viri docti vt probabilem, & in praxi tutam defundunt. Neque tunc agit contra propriam conscientiam, aut exponit se periculo peccandi formaliter.

Atque hinc colligitur resolutio sequentium casuum.

1. Confessarius, aut alius vir doctus, potest consulenti respondere secundùm probabilem aliorum sententiam, si fortè ei hæc sit faborabilior, prætermissa etiam propria probabiliore, & tutiore: Ita Sanch. Bonac. Ratio patet; quia ipse Confessarius potest eam prudenter agendo sequi; etsi ad inconstantiæ notam fugiendam, expediat respondere semper secundum eadem principia, vt monet Sanc. *loc. cit. c.* 19. Becan. *n.* 16.

2. Potest etiam vir talis consultus significare consulenti opinionem à quibusdam doctis tanquam probabilem defendi, quam proinde ipsi sequi liceat, quamvis ipse consultus eandem speculativè falsam esse iudicet, & proinde in praxi ipse sequi non audeat. Ratio est, quia alter habet ius sequendi sententiam probabilem, & hoc ius suũ illi indicare non prohibeor, Laym. *l.* 1. *t.* 1. *c.* 5. Bonac. *p.* 6.

3. Pœnitentem, qui secundùm probabilem opinionem operari vult, potest, imó secundùm communem sẽtentiam, debet Confessarius, & quidem si proprius sit, sive Parochus, sub mortali absolvere, licèt ipse iudicet doctrinam illam esse falsam: ideòque frustra remittet ad alium Cõfessarium qui sit eiusdem sententiæ. Ratio est, quia rectè disposito non debet negari absolutio. Azor, Vasq; Sanch. Laym. *l.* 1. *t.* 1. *c.* 5. *n.* 10. additque Diana *p.* 2. *t.* 13. *R.* 11. ex Sanch. & Sancio, peccare mortaliter, si nolit absolvere quando de mortali confessio fit, tametsi non sit proprius eius Confessarius.

4. Non sũt damnandi, qui adeũt varios Doctores, donec vnum reperiant faventem sibi; dummodò is prudens, ac pius, & non singularis habeatur. Ratio est, quia intendunt sequi opinionem probabilem. Ita Sanch. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 24. Bonac. & alij contra Navarrum.

5. Superiori præcipienti secundùm opinionem probabilem, subditus tenetur obœdire, etiam contra propriam probabiliorem, ac tutiorem; v.g. si paululum ægrotus, probabiliùs, & tutiùs putes te teneri ad ieiuniũ, comedere tamen debes, sequendo Superioris sententiam minùs tutam, & probabilem. Ratio est, quia in dubio præsumitur pro superiore, Laym. *l.* 1. *t.* 1. *c.* 5. *n.* 11. & 12.

6. Potest Advocatus suscipere patrocinium causæ probabilis, etsi iudicet contrariam probabiliorem. Ita Laym. Bonac. *q.* 4. *p.* 9. Ratio est, quia vtraque pars habet ius proferendi suas causas in iudicio. vid. *infra lib.* 5. *c.* 3. *dub.* 3.

Dixi 2. in responsione, *seclusa iniuria*, quia si periculum sit, ne proximo fiat damnum, aut iniuria, locum habet axioma. *In dubio tutior via eligenda est.* Vnde resolvuntur hi casus.

1. In administratione Sacramentorum non semper licet sequi sententias

Universidad de Deusto Biblioteca

tias speculativè probabiles, maximè circa valorem Sacramentiæ sed quoad ea, quæ à Ministro præstanda sunt, vtẽdum est sententia securiore, & materia, ac forma certa, v.g. in Baptismo. Ratio est, quia licet præcisè rationem spectando, Minister non peccaret, sequendo opinionem probabilem; nec Sacramento irrogaret irreverentiam; quia tamen effectus Sacramenti, vt remissio peccatorum, & infusio gratiæ, dependet à vera materia, & forma, graviter proximo noceret; ideòque peccaret, qui pro materia certa adhiberet dubiam. Excipitur tamen casus necessitatis, in quo Sacramentum cum dubio valoris potest præberi sub conditione, v.g. Baptismus morituro in aqua rosacea mixta, si naturalis desit, quia tunc proximus iuvari debet, vt potest: & ex duobus malis minus eligendum. Vid. Laym. hic, & Suar. *t.4. d.26. s.6.* Bec. *c.* 4. *q.* 9.

2. Medicus, & Chirurgus sequi debent tutiora, & probabiliora; nec vti possunt, v.g. explorandi gratia, medicamento probabili, multòque minùs dubio, si certum habeant. Sanch. Bonac. *loc. cit.* Baldel. *de conscientia dubia.* Vid. infra. *lib.* 5. *c.* 3. *dub.* 7.

Dixi; *si adhuc sit probabilis*: quia si probabilitatem amiserit ob aliquod decretum in contrarium, vel gravem censuram, vel rationem gravem de novo inventam, quæ difficulter refutanda videatur, non habet locum responsio. *Vnde resolvitur hic casus.*

Non licet nunc absolvere pœnitentem absentem; etsi plures Doctores antehàc id censerint; horum enim sententia nunc est abolita, & probabilitatem, si quam habuit, amisit; præcipuè accedente decreto Clementis VIII. Bonac. *l.c.n.*17. *& alij communiter.*

DVBIVM III.

AN IN DVBIO TVTIOR pars sit eligenda?

REspondeo. Qui in dubio constitutus, post diligens examen se nequit resolvere, non tenetur semper eligere partem tutiorem, sed potest amplecti partem faventem suæ libertati, (etiam minùs tutam) dummodó sit in possessione suæ libertatis, iuxta illud axioma: *in dubio melior est conditione possidentis.* Ratio est, quia talis non agit temerè, cùm vtatur suâ libertate, quod cuivis licet, quamdiu non constat esse eâ privatum, cum eam, vt cætera externa bona possideat. Proindèque volenti obligationem imponere, quæ libertate privet, incumbit probatio obligationis contractæ iuxta *reg.* 11. *in.* 6. Neque huic responsioni obstat axioma contrarium; *In dubio tutior via est eligenda*; quia intelligitur, si ex vna parte sit dubium, ex altera certum, tunc hanc esse eligendam: quod si autem vtraque pars tuta sit, axioma vniversim non est præcepti, sed consilij, vt Navar. Sanc. Bonac. *t.2. d.2. q.4. punct.* 9. *n.* 21. Laym. *l.* 1. *t.*1. *c.*5. §. 4. Fill. *n.* 157. & 160.

Porrò pro regula cognoscendi, quis sit possessor, attendendum est, pro quo stet præsumptio in foro externo: is enim censebitur possidere: præsumptio autem censetur stare pro ea parte, quæ onus probandi in aliam transfert. Bardi. *d.5. c.5.* Vnde cum Sanch. Laym. *l. c.*

l. c. & alijs resolvuntur casus sequentes.

1. Dubitatur post sufficientẽ diligentiam adhibitam, an lex sit imposita, v.g. ieiunij; item an votum, vel iuramentum sit emissum: non obligatur dubitans. Ratio est, quia cùm lex, & votum vt obligent, debeant sufficienter proponi, meritó hic præsumitur non esse, ideòque dubitans manet in possessione suæ libertatis. Suar. Fill. Lay. Contrà verò, si vovisse constet, & dubitetur, an satisfecerit, tenetur satisfacere; quia tunc votum est in possessione. Similiter dubitans; an Horas legerit, tenetur legere, quia præceptum est in possessione. Ita Sanc. Laym. Bonac. *l. c.* Fil. *n.* 163.

2. Qui certus est de lege, & voto, dubius tamen, an & quid comprehendatur lege, aut voto; vt, si sciat se vovisse Religionem; dubitat autẽ, vtrùm certam, an verò in communi tantùm: Item, vovit abstinere à copula, dubitat verò, an ab omni, an ab illicita tantùm; non tenetur voto, quoad partem, de qua dubitat.

3. Si constet de lege, dubium autem sit, an recepta, vel abrogata, vel tu ab ea eximaris; teneris lege. Ratio est, quia cùm cõstat de lege, pro ea stat præsumptio, & possessio; proindèque alleganti eam non esse receptam, vel abrogatam, incumbit onus probandi, ideóque dum non probat, lege tenetur. Laym. *l.*1. *tom.*4. *cap.*3. Sanch. Fil. contra Salas, & Azor. qui docent, si dubites, an lex sit acceptata, eâ te non teneri.

4. Qui dubitat, an vigesimum primum annum expleverit, non tenetur ieiunio, quia libertas est in possessione. Contra verò res habet, si dubites de ætate ad ordinem sacrum, vel beneficium requisita; quia præsumptio, & possessio est pro præcepto: ideòque non potes recipere, donec de ætate constet. Laym. *l.c.nu.*35. Sanch *d.* 40. & 41.

5. Si cras sit ieiunium, & post examen dubites, an sit audita duodecima noctis hora, potes cœnare, & carnibus vesci: quia libertas est in possessione. Contra verò, si hodiè sit ieiunium, & dubitas an sit duodecima noctis, non licet; quia præceptum est in possessione, cùm constet hodiernum diem esse ieiunij, & dubium sit, an transactus. Sanch. Laym. *loc. cit.* Quæ omnia intellige de dubio strictè sumpto; si enim sit ratio dubium deponendi, v.g. quia aliqua horologia sonuerunt duodecimam, alia non, cessat ratio data. Cùm enim duo horologia sint quasi duo Doctores, seu opiniones probabiles, licet vtrum libet sequi nisi sciam vnum errare. Laym, & alij communiter.

6. Si dubites, vtrùm mediam noctem cœnando excesseris, vel masticãdo aliquid deglutiveris, non licet celebrare, vel Eucharistiã sumere, Sanch. *l.* 2. *de matrimonio*, *d.* 41. *n.* 40. Fagund. *p.*3. *l.* 3. *c.* 5. *num.* 18. tum quia lex ieiunè sumendi est in possessione; tum quia gravis est irreverentia. Quãquam contraria sententia. Laym. *l.*1. *t.* 1. *c.* 5. *n.* 46. probabilis, Dianę verò *tem.*2. *tr.*4. *de Sacram.R.*29. tuta etiam in praxi videatur, eò quòd lex Ecclesiastica in casu dubio non videatur tam arctè constringere conscientias: & in dubio factum præsumi non debeat: neque censeatur irreverens, qui iuris præsum-

Universidad de Deusto Biblioteca

ſumtionem ſequitur, Vide infrà *lib.6. tr.3.c.2.d.2.* & de Lugo. *d.15.n.14.*

7. Si poſt contractum bona fide matrimonium, dubium de valore ſuperveniat, quod poſt veritatis inquiſitionem depelli non poſſit, debitùm non tantùm reddi, ſed etiam exigi poteſt: quia dubium ſuperveniens bonæ fidei poſſeſſori obeſſe non debet. Vide Sanch. *l.2. de matr. diſp.* 41. *num.* 47. Bonac. *loc. cit.*

8. Qui certus eſt de debito, & dubitat, an ſolverit, tenetur ſolvere. Suar. Vaſquez Lugo, Dian. *p.2.c.6.miſc. R.* 59. niſi etiam creditor dubitet; tunc enim, Tan. *in* 1.2.*d.*2. *p.6.dub.*4. putat non teneri: quod Laym. *l.* 1. *tom.* 1. *c.* 6. ita limitat, vt teneatur non ad integram ſolutionem, ſed ad partem eius pro qualitate dubij: quod Dian. *p.*4. *t.* 3. *R.*35. amplectitur vt probabile.

CAPVT III.

QVID CONSCIENTIA SCRVpuloſa, & quid in ea agendum.

REſpond. 1. Scrupulos eſt; inanis apprehenſio, & hinc ortus timor, & anxietas, alicubi eſſe peccatum, vbi non eſt. Ita communiter Navar. Azor. & cæteri.

Reſp. 2. Licet operari cum conſcientia ſcrupuloſa, manente ſcrupulo, dummodò iudicetur eſſe ſcrupulus, & vt talis contemnatur. Neque tamen opus eſt, vt ad ſingulos actus formetur hoc expreſſum iudicium, quòd ſit ſcrupulus; ſed ſufficit, quòd contra eum agat ex habituali, vel virtuali iudicio, ab experientia præteritorum actuum. Ratio eſt, quia talis nulli periculo ſe exponit, cùm ad benè operandum ſufficiat iudicium probabile aliquid licere, ſcrupulus autem cùm ex levi fundamento procedat, non tollit iudicium practicum probabile, Sanch. *l.* 1. *c.* 10. Reg. Beca. Fil. *n.*176.

Reſp. 3. Signa conſcienriæ ſcrupuloſę ſunt; 1. Pertinacia iudicij, qua Doctorum conſilijs non acquieſcunt: vnde varios conſulunt, & fatigant, ac tãdem nullius iudicio ſtant, niſi ſuo. 2. Ex levi apparentia frequens iudiciorũ mutatio: vnde oritur in agendo inconſtantia. Sic v.g. in Horis legendis aliquando deciès mutabunt iudicium de lecto, vel non lecto aliquo verſiculo. 3. Quod ex priore procedit, perturbatè agere, & cæco quodam modo in externis actionibus verſari. 4. Habere reflexiones extravagantes infinitarum circunſtantiarum. 5. Timere in omnibus peccatum, ac contra ſapientum, & proprium ſæpè iudicium eſſe inquietum. 6. Si Confeſſarius iudicet te eſſe ſcrupuloſum. 7. In particulari ſigna ſcrupuli præſentis ſunt hæc duo. 1. Si per illum experiaris te nimiùm angi, & turbari. 2. Si aliàs expertus ſis, te ſimilia apprehendiſſe ſine fundamento.

Reſp. 4. Remedia conſcientię ſcrupuloſæ ſunt: 1. Scrupulos contemnere, contra illos agere, nec cogitatione fovere. 2. Iudicio Confeſſarij, vel alterius viri docti, ac pij acquieſcere, non recurrendo ad eum in ſingulis actionibus; ſic enim ſe, & illum fatigant, cum ſcrupulorum incremento: ſed accipiẽdo ab eo generalia principia, à quibus nullius ſcrupuli causâ, imò nullo modo recedat. Etſi enim alterum errare con-

contingeret; quia tamen hoc faciendo agit, quod in ſe eſt, non peccabit. 3. Bonorum vitam, & conſuetudinem, tanquam regulam intueri. San. Ant. Syl. 4. Aſſuefacere ſe ad ſequendas ſententias mitiores, & minùs etiã tutas. Fil. *c.* 4. *n.*122. 5. Nõ iudicare quidquam eſſe mortale, niſi certò ſciat. Azor. *l.*2. *cap.* 20. Vaſq. Sanc. Fill. *t.* 2. *c.* 4. 6. Nunquam otiari; quia otium implet phantaſiam cogitationibus ſcrupuloſis. 7. Deſtruere cauſas ſcrupulorum. v. g. melancholicus evacuet medicamentis atram bilem: pertinax frangat ſuum iudicium: ſuperbus prudentiæ non confidat: rudis inſtructionem petat: timidus meditetur bonitatẽ Dei, quæ non imponit præcepta redigentia ad inſaniam. 8. Noſſe ſcrupuloſorum privilegia, vt. 1. Quod non teneantur in agendo adhibere examen, & diligentiam, niſi valdè mediocrem, nec tantam, quantam alij, & quod, dum angit eſcrupulus, nec ſuppetit conſilium poſſint liberè agere quod volunt. niſi certum, & evidens ſit eſſe peccatum, vide Vaſq. *in.* 1. 2. *ad.* 57. 2. Quod nihil teneantur repetere ex præteritis confeſſionibus, niſi certó ſciant illud eſſe mortale, & ſe ritè confeſſos non eſſe. Non eſt autem certus ſcrupuloſus, quandiu dubitat. Vnde ſuadet. Laym. vt nunquam confiteatur dubia, & ſcrupulos. Et Sà C. *Dubium*, Sanch. Azor. *&c.* dicunt non confiteri, niſi quæ iurare poſſit eſſe mortalia, & nunquam eſſe confeſſum. Ratio vtriuſque privilegij eſt, quia in ſcrupuloſo ex nimio timore peccandi, turbatur ratio, ita & vt non poſſit rectè rem examinare. Vnde eſto aliqua confeſſus non fuerit non tenetur tamen cum tanto damno, & periculo anxietatis perpetuæ procurare integritatem confeſſionis, cùm ab ea minores ſæpè difficultates excuſent; vt notant Conink Lay. Bon. Azor. Bec. 9. Confeſſarius non permitat confiteri, vel proponere ſcrupulos, vel dubia (maximè ſi ſemel ad ſatietatem audiverit) quia alioqui nunquam fontem ſcrupulorum exhauriet. Vide apud Laym. *hic. c.6.* Filliuc. Sanch. *hic & l.* 2. *de mart. d.* 4, Azor. *t.* 1. *l.* 2. *c.* 20. Breſ. *l.* 6. *toto.* Bec. *p.*2. *t.* 1. *c.* 4. Bonac. *d.* 1. *q.*4. *p.*9.

TRACTATVS II.

DE REGVLA EXTERNA actuum humanorum, ſcilicet Lege.

CAPVT. I.

DE NATVRA ET OBLIGAtione legis in genere.

DVBIVM. I.

Quid ſit lex, ſive præceptum?

REſpondeo. Lex, & præceptum, prout hîc indiſtinctè accipitur, eſt recta agendorum, aut ommittendorum ratio. Interim, cùm à Superiore non Communicati, ſed alicui tantùm, aut aliquibus in particulari aliquid præcipitur, non appellatur lex, ſed præceptum tantùm. Suar. Laym. Bon. *d.*1. *q.* 1. *p.* 1. Vnde reſolve.

1. Ad legem, ſeu præceptum quis tenetur; non ad conſilium; cùm hoc tantùm dirigat, illud verò obliget. *Ibid.*

2. Cùm iniqua lex eſt, & contra ratio-

Universidad de Deusto Biblioteca

rationem, non obligat; quia deficit à rectitudine. *Ibid.*

3. Cùm dubium est de iustitia, téneris lege: quia Legislator possidet ius præcipiendi: idemque regitur altiore consilio; ac potest habere rationes subditis occultas. Addit Suarez, etiam obligare, licèt contra iustitiam legis sint rationes probabiles, quia aliàs nimia daretur licentia legibus non parendi, cùm vix possint esse tam iustæ, quin aliqua apparens ratio dubitationem movere possit. Suar. *l.1.c.9.* Bon. *p.* 8. *num.* 11.

4. Leges, & sententiæ latæ à Tyrannis, obligant, si ij pacificè Regna possideant, & à Republica tolerentur. Nec obstat, quod sententia Iudicis illegitimi dicatur esse nulla; id enim verum est de sententia, provt est præcisè à Tiranno; non autem provt est à volũtate, saltem interpretativa, & implicita Reipublicæ, quæ dum Tyrannum, & iudices ab eo cõstitutos repellere nequit, tacitè confert ijs potestatem gubernandi, eorumque leges, & acta ratificat. Less. *l.2.c.9.d.9.* Salas *d. s.*3. *n.* 14.

5. Non tenetur quis ad legem, nisi promulgata sit, sive denunciata: D. Thom. *p.* 2. *q.* 90. Laym. *l.* 1. *t.*4. *c.*3. Molina, Salas, Suarez, & alij communiter.

DVBIVM II.

QVOTVPLEX EST PRÆceptum?

REspõdeo. Præceptum dividitur. 1. vniversaliter in affirmativum, & negativum. Illud est, quod bonum præcipit: hoc, quod malum prohibet. Differunt inter se, quòd affirmativum obliget quidem semper, sed non ad semper, seu non pro omni tempore; v. g. Honorandi sunt parentes, non semper, sed suo tempore. Negativum obligat & semper, & ad semper. Vide Bec. *in* 1. 2. *t.* 3. *cap.*1. *quest.* 3.

2. In naturale, & positivum. Præceptum naturale, sivè iuris naturæ est dictamen, seu iudicium nostrę rationis quo per lumen nobis ab Authore naturæ impressum statuimus, quid agendum, & quid vitandum sit; quale est illud: Bonum est faciendum, malum fugiendum. Ex quo præcepto generali particularia, v.g. Deum esse colendum, nemini faciendam esse iniuriam: imò omnia præcepta Decalogi, (excepta circumstantia Sabbathi) multaque alia derivantur. Præceptum positivum, seu iuris positivi est, quod libera Dei, vel hominum voluntate positum est, & ex eâdem dependet, v.g. Præceptum de Baptismo, Ieiunio quadragesimali, &c.

Porró quomodo præcepta positiva mutari, & variari possint ac soleant; naturalia veró semper maneant. Vide apud Scholasticos, & Less. *l.2.de Iust, & Iure.c.* 2. *dub.* 2.

Resp. 2. Præceptum positivum dividitur in præceptũ Iuris divini, quod scilicet à Deo traditum est; & in iuris humani, quod ab homine. Positivum divinum dividitur in præcepta veteris, & novæ Legis. Lex vetus continebat præcepta moralia, cæremonialia, & iudicialia, de quibus vid. D. Th. 1. 2. *d.* 3. Lex nova continet præcepta supernaturalia Fidei, & Sacramẽtorum. Positivũm humanum dividitur in præceptum Iuris Ecclesiastici, sive Canonici, quod authoritate Ecclesię, scilicet Summi Pontificis, aut Concilij statutum est: & Iuris Civilis, seu Politici, quod fundatur in potestate sęculari.

DVBIVM III.

AN VIS, ET SUBSTANTIA legis positivę dependeat ab acceptatione Communitatis.

REspondeo. Etsi ita sentiant Canonistæ; item Navarr. Azor. &c. citati à Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 3. eó quód ponant leges hac tacita cõditione ferri, si à populo fuerint acceptaræ, alioqui vim, seu obligationem, non habituras. Verior tamen sentẽtia est Theologorum, leges absoluti Magistratus non pendere à populi acceptatione, & cõsensu; sed mox vt legitimè promulgatæ sunt, obligare populum ad recipiendum, præsertim in legibus Pontificis, qui suam potestatem non accepit à populo, sed Christo, Vasq. Suar. Molina, &c. Vnde à Laym. *loc.cit.* resolvuntur hi casus.

1. Episcopis ex officio incumbit, novas leges Pontificias, (vt Principibus Imperatorias;) promulgare per suas Diœceses, atq̃ in vsum deducere.

2. Si lex in Provincia promulgata sit, sed à maiore parte populi non accipiatur, nec observetur, tunc, si Legislator id sciat, & taceat, censetur hoc ipso legem revocare. Si verò id sciat, & vrgeat observationem, quisque tenetur eam servare, quia potiùs caput suum, quàm reliqua membra sequi debet.

3. Si Princeps nesciat non recipi, nec deduci ad vsum, durat legis obligatio, donec elabatur decennium: quo elapso, præscriptum est contra eam, sive Imperatoria sit, sive Pontificia; & tunc non ampliùs obligat. Vti & Lex Ecclesiæ, etsi semel recepta sit, abolebitur per prescriptionem, sed annorum plurium, nempè quadraginta, Navar. Azor. Suar.

4. Si tu legem promulgatam paratus sis suscipere, & data occasione etiam observes; sed alij plerique è Cõmunitate non recipiant, nec recepturi videantur, tunc saltem ab ea excusaberis per discretionem.

5. Etsi primi Episcopi fortè peccarint, non recipiendo legem, & in vsum deducendo, successores tamen eorum, si post longum tempus videant non observatam, credere possunt esse sublatam per præscriptionem.

6. In dubio, num lex recepta sit, necne præsumendum est pro ipsa: quia factum in dubio presumitur, si de iure faciendum erat. Vide Azor. *l.* 5. *c.* 4. Laym. *hic q.* 3. Sal. *de leg, disp.*13. *s.*3.

DVBIVM IV.

AN PRÆCEPTA ETIAM humana obligent sub peccato, & quali?

REspondeo. Cùm Deus sit Dominus noster, atque etiam Superioribus parère nos iusserit, non solùm ipse, sed & illi nobis præcipere possũt, & præcipiunt, tum sub pœna, tum etiam sub culpâ, sive peccato, idque gravi, aut levi, prout & rei præceptæ ad intentum finem necessitas, & materiæ

Universidad de Deusto Biblioteca

teriæ quantitas, & eorum voluntas sese habent, quæ ex eorum verbis, circunstantiis, aut prudentium æstimatione solet colligi. Ita Theologi communiter S.Tho. Suar. Salas, *&c.*

Vnde resolvuntur hi Casus.

1. Graviter peccat, qui deliberatè, & in materia magna violat præceptum aliquod Decalogi, vel Ecclesię.

2. Cùm res levis est, non pecat mortaliter transgrediens, etsi Superior sub mortali præceperit; quia id eum posse negant Suar. Laym. & alij communiter: verbi gratia: Ne quis frangat silentium, ne edat uvam, vt claudat ostium, &c. quia est res parva, & incapax tantæ obligationis. Nec ipse Deus in materia parva sub mortali obligat vid. Less. *l.2.t.4.d.9.* Salas *d.10. s.7.*

3. Aliud esset, si materia aliàs levis, fieret gravis ratione circunstantiarum: v.g. contemptus, scandali, magni boni communis, vel finis à legislatore intenti. Sic abstinentia à pomo in Paradiso in se quidem parva; gravissima tamen erat ex circunstantia finis. Suar. *l. 3. c. 25.*

4. Quando materia est gravis, potest Superior præcipere sub culpa tantum levi: quia sicut potest nullo modo obligare non pręcipiendo; ita etiam potest obligare sub veniali tantum. Ita Suar. Less. *l.c.* contra Vas.

5. Potissima signa, ex quibus colligi possit, an lex, obliget sub gravi culpa, sunt hæc 1. Si materia sit gravis, & non constet in contrarium de voluntate præcipientis. Vnde Cai. *in sum. ver. Cler.* docet, Clericos tantùm peccare venialiter, dum contra præcepta Iuris positivi, aves & canes sequuntur ad venandum. 2. Si verba magnam vim habent, vt iubemus, interdicimus in virtute sanctę obœdientiæ; vel vi voti, aut iuramenti, vel graviter mandamus, &c. 3. Si pœna magna adjiciatur, vt excommunicationis, depositionis, maledictionis æternæ, exilij perpetui, mortis, &c. 4. Si ita fert vsus, & consuetudo inter peritos, & timoratos: quia consuetudo est optima legum interpres, vt patet in lege ieiunij Ecclesiastici, & abstinentiæ à carnibus; item communiones annuæ, quas graviter obligare probãt hic Tol. Layman. *c.14.n.4.* Bon. *p.7.§.4.*

CAPVT II.

DE SUBIECTO, CVI DATVR Præceptum.

DVBIVM I.

Quæ personæ præceptis obligentur.

RESpondeo: Soli subditi ratione vtentes obligantur, ita vt eorum transgressione peccent. Quod addo propter ebrios, & ad tempus amentes, qui etsi verè iis obligentur, eorum tamen violatione non peccant, defectu advertẽtiæ rationis, & consensus. Pars prior est communis, & certa. Fil. *t.21. cap.11.q.10.* Bonac. *p.6. &c.* Laym. *l.1. tr.4.n.10.* Posterior est eorundem. Cuius ratio est: tum quia præceptum cùm sit directivum, supponit vsum rationis: tum, quia obœdientia tantùm est eorũ, qui ratione & voluntate vtuntur. Neque

que aliàs transgressio ad culpam imputari posset. *Vnde resolves hos Casus.*

1. Legislator non tenetur suis legibus, vt sic, quoad vim coactivam, & pœnam, sive directè: indirictè tamen, & quoad vim directivam, & ex æquitate quadam, tenetur se, tanquam caput, membris cõformare. Ita S.Thom. *q.96. a. 5. ad 3.* Syl. Suar. Bon. Lay. *l. 1.t.4.c.9.* contra Azor. Tenetur etiam in contractibus cum reliquis pari cõditione vti. Vide Fil. *t.21. cap.5.*

2. Infideles non baptizati, etiam Catechumeni, non obligantur pręceptis Ecclesiæ: obligantur tamen hæretici, & alij qui per Baptismum, Ecclesiæ semel sunt subiecti.

3. Etsi pueri ratione vtentes, legibus iis Ecclesię, quarum materia eorum ætati est conveniens, v.g. confessionis annuæ, secundùm Navar. Herinq. & Azor. Item abstinentiæ á carnibus, auditionis sacri, secundũ Sanch. &c. obligentur, quoad culpam; non tamen quoad pœnas ordinarias: nisi sint puberes, quales sũt masculi anno decimoquarto, puellę duodecimo absoluto. Ita Sotus Vasq. *de pœnit.q.90. a.2.* Sà *v. Censura.*

4. Infantibus, non baptizatis, & perpetuò amentibus, licitè dantur carnes diebus veneris, & imponũtur opera servilia festis, non tamen ebriis, cum legi maneant subiecti, vti nec licitè irritantur amentes ad blasphemandum, lædendum, &c. eo quòd talis actio tribueretur principali agenti, qui alterius opera vteretur, quasi instrumento, vt Laym. *l.1. t.5. c.10.* Bonac. *p.6.* & Sanch. 1. *Mor. c.12.*

5. Clerici, cùm iure divino sint exempti de potestate civili, vt docet Bell. *l. 1. de Cleric. c.28.* non tenentur legibus civilibus directè, & quoad vim coactivam. Vndè nec à Principe sæculari puniri possunt. Cùm tamen sint membra Reipub. & alioqui communis æquitas servari non posset, tenentur indirectè, & quoad vim directivam, legibus communibus, iis, quæ ad bonum commune spectant, & eorum statui non repugnant, quales v.g. sunt leges prohibentes vel irritantes contractum (nisi hæ sint pœnales, tunc enim quia vim coactivam obtinent, eos non ligant) ideòque peccant contra iustitiam, & ad restitutionem tenẽtur, si frumenta, v.g. vel alia vendant, vltra pretium à Principe statutum. Ita Molina, Suar. Sal. Tan. Vid. Lay. *l.c.* quia ius Naturæ exigit, vt vẽdant pretio iusto: tale autem censetur, quod decernitur lege.

DVBIVM II.

An Peregrini teneantur legibus sui domicilij, dum ab eo absunt?

SUppono 1. Præceptum aliud esse locale, quod scilicet certo tantum loco, vrbe v.g. vel Parochia obligat: aliud vniversale, seu iuris communis, quod totam ferè Ecclesiam obligat.

Suppono 2. Peregrinos propriè dici eos, qui aliquò veniunt, animo non manendi, sed tantùm subsistendi per aliquot dies, vel ad summum per minorem anni partem, vt mercatores, viatores: non autem studiosi, neque ancillæ, quæ veniunt ad serviendum.

Respondeo. Non obligari. Ita Navarr. Sanch. Less. *lib. 4. c. 3. dist.8.* Ratio,

Universidad de Sevilla Biblioteca

tio, quia præcepta localia per se,& directè respiciunt territorium, eique sunt affixa, atque adeò non obligant nisi existentes intra illud. Lex enim ita fertur; v.g. Festum illud tali loco celebretur: ideòque hic valet illud: *Si fueris Romæ, &c.* Addit Lay. *c.* 11. præceptũ locale expirare etiam intra proprium territorium, in loco exempto, quia is æquiparatur loco sito extra territorium. *Ex quibus resolves hos Casus.*

1. Si Episcopus sub pœnâ excommunicationis vetet lusum aleæ, non obligantur Clerici ludentes in loco exempto á iurisdictione Episcopi. Bonac. *p.* 6. Laym. *cap.* 11. *n.* 5.

2. Si quis die ieiunij, aut festo, sit in loco alio, non sui territorij, aut exẽpto, vbi tunc non est ieiunium, aut, festum, potest ibi comedere, exercere servilia. Laym. *l. c. cap.* 11. Bon.

3. Id etiam habet locum in præceptis iuris communis si in loco isto sint vsu abrogata, vel non recepta, vel habeatur privilegium. Quare potes v.g. Mediolani primis quatuor diebus quadragesimæ vesci carnibus, cùm id ibi liceat. Item in Belgio sabbathis intra Nativitatem & Purificationẽ vesci carnibus: item in loco, ubi Tridentinum non est receptum, valide, (etsi non licitè) inire matrimonium clandestinum. Suar. Sanc. *l.* 1. *c.* 12. Less. *&c.*

4. Potest quis discedens manè ex oppido, ubi non est ieiunium vesci carnibus: etsi meridie rediturus sit domũ, vbi est ieiunium; nec tunc vbi domum venerit, tenebitur ad servandum ieiunium istâ die, cùm illud iam violaverit, ideòque servare non possit, tenebitur tamẽ domi ad abstinẽtiam à carnibus, cùm illa adhuc possit ibi servari, eó quòd sit dividua. Vid. Sanch. *l. c.* Less. *c.* 2. *d.* 8.

5. Si quis abiturus est loco, vbi est ieiunium, sciatque certò perventurum vesperi ad locum, vbi non sit ieiunium tunc etsi non possit ibi vesci carnibus, vnde abit, (cùm ista abstinentia sit dividua) potest tamen ibi manè ientare, & meridie prandere, vt contra quosdam docent Less. & Sanch. supra.

6. Probabile etiam est, & in conscientia securum, quod docet Sanch. *l.* 1. *de matr. d.* 18. *&* 1. *mor. cap.* 12. contra Navar. Suar. peregrinos, antequam excedant proprio territorio, non teneri implere præcepta, quæ eos ibi deprehendunt, v.g. non teneri eum manè audire sacrum die festo, qui ante prãdium venturus sit alió, vbi non sit festum: quia si mãsisset suo loco, vbi præceptum obligabat, poterat differre ad id tempus: quando autem pervenit ad alium locum, desinit obligari. Nec obstat, quod prævidens impedimentum, teneatur prævenire, quia id tunc tantum verum est, quando manente vi præcepti quis est impediendus, hic autem ab obligatione præcepti absolvitur. Contraria tamen sententiâ, tanquam magis pia, suaderi potest, nisi quid obstet. Sanch. 1. *moral. cap.* 12. *&* *l.* 13. *de matr. d.* 18. *n.* 21.

DVBIVM II

An Peregrini & vagi teneantur præceptis locorum, in quibus morantur?

RESp. Regulariter nõ tenentur præceptis specialibus illorũ locorum, Ita Laym. Sanch. Azor. Conink. Less. Reginald. Fil. contra Navarrum, Suar. Sà, &c. (& quoad vagos, etiam contra Bon. & Sanch.) Ratio est, quia non potest dari vlla ratio huius obligationis, cùm illi non sint subditi, vel locis, vel Superioribus, quorum tales leges fuerunt, ideòque sint extra eorum iurisdictionem. Nec obstat. 1. eos nullis partialium locorum statutis, sed solo iure communi teneri, quia id non est absurdum. Nec. 2. quod vagi, ob delicta admissa, puniri possint: hoc enim consuetudo recepit, ne scelera maneant impunita.

Dixi 1. *regulariter*; quia tenentur quibusdam legibus, maximè quarum violatio cederet in damnum, & iniuriam illius loci, in quó morantur, vt etiam iis, quæ sunt de conctratibus celebrandis. *Vnde resolves hos Casus.*

1. Tales non tenẽtur audire Missam, & possunt opera servilia exercere die istic festo, non tenentur ieiunare, nec abstinere à carnibus, quando istic est ieiunium, & domi suæ non est. Intellige vtrumque, secluso scandalo, propter quod Episcopus loci punire posset. Laym. *l. c. t.* 3. *c.* 12. *n.* 4.

2. Peregrinis non licet frumenta evehere, vel vendere, supra pretium ibi statutum, noctu arma ferre, &c. si talia ibi prohibita sint. Panormit. Regin. Sanch. *n* 36.

Dixi 2. *præceptis specialibus*: quia si domi tuæ consuetudine derogatum sit alicui præcepto iuris communis, & aliò venias, vbi illud viget, eodem obligaberis. Ratio est, quia lex iuris communis est vniversalis, & obligat omnes sine ordine ad locum. Laym. *c.* 12. *n.* 3. *Vnde resolvitur hic Casus.*

Belga aliquis veniens Coloniam, v.g. tenetur istic sabbathis inter Nativitatem Christi, & Purificationem, abstinere à carnibus, quia privilegium eas comedendi tunc carnes, non est personale, sed locale, ideoque expirat extra locum. Laym. *l. c.*

DVBIVM IV.

An Peregrini teneantur præceptis iuris communis, si non sint in vsu in loco vbi morantur?

RESp. Non teneri. Ratio est, quia tunc valet privilegium locale, quo frui possunt omnes qui in loco morantur. Ita Sãch. 1. *mor. cap.* 12. Suar. Laym. &c. *Vnde resolvuntur sequentes Casus.*

1. Si Germanus per Hispaniam transeat, potest sabbathis vesci intestinis animalium. Idem si per Belgiũ, aut Mediolanum iter habeat, potest inter Nativitatem Christi, & Purificationem, in Belgio sabbathis, Mediolani verò quatuor primis diebus Quadragesimæ carnibus vesci. Sanch. Suar. Bonac. *p.* 6. *n.* 61.

2. Si quis ex Diœcesi Catholica, v.g. Hiedesio, vbi vetus Kalendarium adhuc est in vsu, veniat in aliam vbi novum est præceptum, v.g. Monasterium, potest, si ibi Quadragesima præteriit, carnibus vesci, vt docet Sanch. *l. c.* Salas *n.* 69. Bonac. *nu.* 64. Less. *l.* 4. *cap.* 2. *d.* 8. qui tamen contrariam sententiam suadet in praxi, licèt hæc tuta sit; vt etiam docet Laym.

Addidi *ex Diœcesi Catholica*: quia si Catholicus veniat in terras hæreticorum, vbi alij Catholici non sunt, tenetur

Universidad de Deusto Biblioteca

netur ibi servare novum Kalendarium ad vitandum scandalum, & contemptum Ecclesiæ Catholicę. Vid. Layman, *l.1. t.4. cap.11. n.8.*

CAPVT IV.

DE MODO, QVO OBSERVANDA SUNT PRÆCEPTA.

DVBIVM I.

An debeant impleri ex charitate?

RESP. Possunt impleri sine charitate, nisi hanc in substantia includant; vt v.g. præceptũ dilectionis Dei. Ratio est, quia tantùm præcipitur substantia actûs inclusi in præcepto, v.g. vt honoretur parens, non autem finis, aut modus pręcepti, vt docet S. Thom. *1.2.q.100.a.10.* Interim certum est, requiri charitatem in operante, vt impletio præcepti sit meritoria, iuxta illud 1. Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar.* S. Thom. Suarez, Sanch. *Vnde resolvuntur sequentes Casus.*

1. Si quis ieiunet, vel intersit sacro, ob vanam gloriam, vel etiam vt furetur, potest nihilominus implere præceptum, etiam per actum ex circũstantiis peccaminosum: quia implet substantiam illius præcepti, licèt peccet contra aliud, cui finis ille malus opponitur, vt docet Sanc. *1.mor.c.14.* Lay. *l.1.t.4. n.6.* Card. de Lugo *disp.22. s.2. num.23.*

2. Simili ratione impletur votũ, iuramentum Deo factum, pœnitentia Sacramentalis, licet actus ipse sit peccatum. *Iid. ll. cc.*

DVBIVM II.

An ad impletionem præceptorum, requiratur intentio iis satisfaciendi?

RESPON. Quod nõ. Ita Sanch. Vasq. 12.*q.100.a.9.* & alij communiter. Ratio est, quia lex tantùm præcipit liberam operis externi executionẽ, v.g. auditionem sacri: non autem, vt alio peculiari actu quis velit, vel intendat præcepto satisfacere, sive vt alij loquuntur præcepta nõ obligant ad obedientiam formalem, hoc est, vt illud fiat, quia præcipitur, sed tantùm ad materialem, sive vt fiat quod præcipitur. Vid. *inf. lib.3 tr 3.c.1. d.3.* Vnde *resolvuntur sequentes Casus.*

1. Qui alicuius præcepti immemor, illud implevit, v.g. ignorans esse diem festum, liberè tamen interfuit sacro, is satisfecit. Neque vt quidam volunt, necesse est, vt postea intelligens esse diem festum, velit tunc satisfacere per Missam auditam, quia implevit substantiam actus præcepti, S. Tho. Hen. Fil. *t.5. c.7. q.7.*

2. Is votum, iuramentum, & pœnitentiam Sacramentalem verè implet qui opera promissa, vel iniuncta exequitur, etsi non habeat intentionem implendi; modó tamen non applicet ea pro alia re. Ratio est, quia, vota, &c. sunt leges, quasi particulares quas homo sibi, vel alteri imponit; vnde tantùm obligant ab substantiam actus. Suar. Azor. Less. Laym. *n.6.*

(***)

DVBIVM

DVBIVM III.

An satisfaciat præcepto, qui faciens opus, expressè intendit per illud non satisfacere?

RESP. Satisfacit. Ita Suar. Val. Vasq. *l.c.* & Less. *l.2.cap.7.dub.* 10. contra Nav. Azor. &c. Ratio est, quia præcepta tantùm obligant ab substantiam operis iniuncti: ergo illâ positâ, non est in potestate operantis, vt non satisfaciat. Nec refert 1. quòd actus non operentur vltra intentionem agentis; quia id intelligitur, quando est in potestate operantis, v. g. satisfacere vel non. Nec 2. quòd qui debet alteri centum, non satisfaciat obligationi, si liberali donatione det ducentos. Nec. 3. quòd voto obligatus ad recitandum Rosarium, si recitet animo non implendi, non satisfaciat. Ratio est, quis hæ & similes obligationes proveniunt ex voluntate promittentis, qui sicut ab initio debitorem se liberè constituit, sic in debito liberè permanere potest: obligatio autem parendi legi, provenit ex voluntate legislatoris, ideòque non extenditur vltra eius intentionem & voluntatem, neque vltra substantiam operis præcepti, Con. *n.309.v.* Less. *l.c.* & Laym. *hic.* Vnde *resolvuntur sequentes Casus.*

1. Sacerdos; qui legit Horas non eâ devotione, quà voluit, ideòque proposuit ad satisfaciendum pręcepto repetere, etsi deinde non repetat, satisfecit tamen præcepto, Suar. Con. Card. de Lugo, &c.

2. Audiens sacrum die festo, quod scit esse vltimum (vel, si non sit vltimum, intendens non audire aliud) licèt intenderit non satisfacere, verè tamen satisfecit præcepto de audienda Missâ, etsi peccarit contra aliud præceptum; quo quis tenetur esse subditus legislatori. Card. de Lugo *loc. cit.*

3. Is, qui sacrum audivit die festo, legit Horas Canonicas, absolvit pœnitentiam Sacramentalem, cum animo non satisfaciendi, non tenetur postea mutare voluntatem, vt velit per præcedens opus satisfecisse; quia verè satisfecit. Sanch. Salas, *d.9. n.33.* Card. de Lugo de Euchar. *d.22. sen. nu.21.* contra Suar.

DVBIVM IV.

An ad impletionem præceptorum, requiratur intentio, seu voluntas faciendi id, quod pręceptum est?

RESP. Quòd sic. Ratio est, quia cùm lex detur hominibus, non brutis, ideóque humano modo sit implenda; hinc impletio omnis præcepti, sive humani, sive divini, debet esse actus humanus coniunctus cum libertate, & voluntate operantis, id est, vt velit, sive intendat facere hoc, quod est pręceptum; v.g. audire sacrum, ieiunare, &c. Est communis. Vid. Vasq. 1.2. *q.100, a.9.* Suar. Sanch. *Vnde resolvuntur hi Casus.*

1. Qui audivit sacrum die festo ebrius, dormiens aut impos sui quomodocumque, aut nescius quid aggrederetur, aut vellet facere, tenetur postea compos sui factus, audire aliud sacrum, Suar. Sanch. Salas. *d.9. n.32.*

2. Is, qui audivit sacrum; ieiunavit,

Universidad de Deusto Biblioteca

vit,&c. prorsus violenter coactus,non satisfecit; non enim fuit actus humanus defectu voluntarij. Vasq. Suar. Azor. Fill. *n.* 232.

Dixi, *prorsus violenter*; Quia si famulus, v.g. metu domini, aut puer metu magistri,sacrum audiat,(esto nõ sit auditurus,si magister abesset)is etsi perversâ voluntate illâ peccet, præcepto tamen satisfacit. Ratio est quia metus non tollit libertatem, Sanch. Sal. *loc. cit.* Laym. *l.* 2. *t.* 4. *c.* 4. *n.* 12.

3. Recitans Horas,sola intentione legendi, vel addiscendi,non satisfacit; vti nec ille, qui vadit ad sacrum, tantùm vt oculos pascat, cum alio colloquatur, vel expecter amicum.Card.de Lugo *l. c. n.* 23.

4. Nec satisfacit, is, qui tantum fictè confitetur,v.g.orat. &c.quia non eius fictio,sed opus præceptum est.

DVBIVM V.

An duplici præcepto, vno actu; vel diversis actibus,eodem tempore possit satisfieri?

REsp. 1. Vno actu diversa præcepta simul impleri possunt,nisi aliud colligatur ex mente præcipientis. Patet ex praxi quotidiana:qui enim obligatur ad Horas ratione ordinis & beneficij,satisfacit vnâ recitatione. Sanc. *l. c.* 14. Sal. Bonac. *p.* 10. *Vnde resolvuntur hi Casus.*

1. Cum Dominica & festum incidunt in eundem diem,non teneris audire duo sacra.

2. Votum & Pœnitentia in Confessione iniuncta, plerumque non implentur per actum aliàs debitum:quia hæc plerumque non est mens voventis, & Confessoris, v. Suar. *to.*4 *in* 3.*p.* Sanch. 1. *mor. c.* 14.

Dixi,*plerumque:*Quia subindè Confessarij iniungunt opus alias preceptũ.

3. Qui alteri ex pluribus obligationibus, debet centum; v.g.non satisfacit, si semel dat centum:quia in debitis iustitiæ, attenditur æqualitas rei ad rem: non potest autem vnum centum, æquale esse debitis plurium centum. Vnde in his alia est intentio, & mens obligantis, Sanchez, Sal.*loc.cit.*

Resp.2. Potest quis eodem tempore diversis actibus duplici præcepto satisfacere, dummodò vnum non impediat alterum. Est communis. Et ratio est, quia plerumque temporum diversitas non præcipitur, Suar. Azor.*p.*1.*l.* 7. *c.* 5. Sanc. *l.* 1. *c.* 14. *Vnde resolves.*

1. Potest quis eodem tempore audire Missam in festo præceptam, & simul legere Horas, vel alias orationes, voto, aliâve ratione debitas. Bon. *p.* 10. *n.* 8.

2. Potest item, qui tenetur audire duas Missas, eas audire simul, imò etiam tres,vt docent aliqui,dum simul in pluribus altaribus celebrantur.Sãc. 1. *mor. c.* 14. *n.* 12. Maior *in* 4. *dist.* 18.

DVBIVM VI.

An qui vno actu violat plura præcepta, committat plura peccata?

REsp. Si violet præcepta materialiter tantum diversa,ita vt licèt sint plurium legislatorum, habeant tamen motivum formale idem, & versentur circa materiam eandem numero, cum iisdem circunstantiis, vnum tantùm peccatum committit:Si verò præcepta sint formaliter diversa,ob motiva proxima specie distincta,vel versentur circa materiam numero diversam, committet plura peccata:quia sunt obligationes,& malitiæ diversæ.Ita Sanchez, *l.* 9. *de matrim. d.* 15. Vasq. 1. 2. *d.* 9. Sal.C. de Lugo *d.* 16.*nu.* 245.*Vnde resolvuntur Casus sequentes.*

1. Qui non ieiunavit die vigiliæ incidentis in Quadragesimam, aut neglexit sacrum festo incidente in Dominicam, vnicum commisit peccatum, satisque est confiteri de ieiunio, & sacro vno,quia in his præceptis vnica est ratio formalis,& motivum proximum, v.g.in priore maceratio carnis; in posteriore cultus Dei.Laym.Sanch.Card. de Lug. *loc. cit.*

2. Qui violat votum & iuramentum, vel votum & præceptum Ecclesiæ de eâdem re, duplicem malitiam committit, ac proindè id in Confessione explicandum est:quia voti observatio præcipitur, vt fides Deo debita ferveturiuramenti autem,ne Deus vocetur in falsum testem: & sic duæ sunt hîc rationes formales; vti & sunt in omissione Missæ, quæ & propter festum, & ex iiuncta pœnitentia audiri debet. C. de Lugo *l. c.*

3. Si ligatus cum ligatâ adulteretur, duplex peccatum iniustitiæ committitur, vnum contra propriam vxorem, alterum contra maritum adulteræ: vti etiam, si quis vno actu occidat plures, sunt plura homicidia, quia in istis materia est numero diversa, Lay. *l.*1.*t.*2.*c.*10.*n.*3. Sanch. C. de Lugo,*l.c.*

CAPVT IV.

Quę excusent à trãsgressione precepti.

DVBIVM I.

An ignorantia excuset?

REsp. Si sit invincibilis, excusat; quia nemo peccat, nisi actu voluntario: hic autem cognitionem præsupponit.Si autem sit vincibilis,& culpabilis, non excusat; qualis est, cùm poteras, & tenebaris scire,aut discere, & in mentem veniebat dubitare, nec studuisti intelligere, S. Aug.S. Thom. Sanch. 10. *mor. c.* 16. *& cæteri communiter* contra Palaum.Vndè resolvitur.

1. Si quis die ieiunij nihil cogitans de præcepto, cœnet, aut carnes comedat, non peccat: similiter in alijs, vt si occidas hominem, putans esse feram. Bon. *q.* 8. *p.* 3.

2. Si in aliqua re tantum advertas malitiam vnius generis, illam solam contrahis,vt v.g.si quis cognoscat fœminam, quam scit non esse suam, ignorat autem esse consanguineam, is fornicationem tantùm,vel adulterium committit, non incestum. Lay.*l.*1.*t.*2. *c.* 4. Bon. *l. c.*

DVBIVM II.

An metus excuset?

REsp. Si ex metu facis, quod simpliciter malũ est, peccas quidem; minuitur tamen per metum malitia, quia minuitur libertas. Interim sæpè fit,vt præcepta quædam non obligent, cùm eorum observatio cederet in gra-

Universidad de Deusto Biblioteca

ve alicuius incommodum: & tunc, si ex metu talis incõmodi quis tale præceptum omittat, non peccat, cùm præceptum non liget. Est communis. Vndè resolu.

1. Præceptum naturale negativum, prohibens rem intrinsecè malam, non licet violare, ne quidem ob metum mortis.

2. Metus gravis, v.g. mortis, &c. sæpè non tantùm excusat à præcepto positivo, tam divino, quàm humano; sed quandoque etiam ab affirmativo naturali, & sic (vt Sanch. 1. *mor. c.* 18.) non tenetur quis cum periculo vitę integrè confiteri, servare depositum, implere votum, succurrere proximo extremè indigenti. Bec. *t.* 2. *l.* 3. *c.* 6. Azor. 1. *p. l.* 1. *c.* 11. Lay. *l.* 1. *t.* 4. *c.* 14. Excipe tamen casum, de quo infrà *l.* 2. *t.* 3. *c.* 2. *d.* 1.

3. Si observatio legis humanę necessaria sit, ad conservandum bonum, aut avertendum malum cõmune, quod pluris sit, quàm vita propria, tunc lex illa obligat cum periculo vitæ, vt v.g. si dux mandet militi non discedere ex statione: item, si perituræ sint animæ, nisi Pastor adeat ægros tempore pestis. Laym. *l. c.*

4. Alioqui nulla præcepta humana, etiam Ecclesiastica, per se obligant cum periculo vitæ, aut similis incommodi, v. Sanch. 1. *mor. c.* 18. vt si v.g. cogaris metu mortis contrahere cum consanguinea, in gradu prohibito lege Ecclesiastica, posses contrahere (in speciem:) non tamen posses consummare: quia cùm matrimonium esset irritum, fornicaris, quod intrinsecè malum est. Sanch. *de matr. l.* 7. *di.* 5. *n.* 4.

5. Per accidens interim accidere potest, vt lex humana obliget cum periculo vitæ, ratione alterius præcepti iuris naturalis, aut divini concurrentis; vt v.g. si quis cogere vellet transgredi præceptum Ecclesiæ, in odium fidei; vel contemptum Religionis. v. Sanch. *l.c.* Con. *p.* 3. *t.* 2. *d.* 13. *dub.* 12.

DVBIVM III.

An excuset impotẽtia totius, vel partis?

RESp. 1. Cum ad impossibile nemo teneatur, certum est, quòd impotentia excuset, etiam illa, cui ante, causam cum peccato dedisti, dummodo de hoc doleas. Quare id præcipuè hîc dubitatur: An, qui non potest implere totum, teneatur ad partem?

Resp. 2. Si præceptum tale sit, vt commodè possit, aut soleat dividi, atque in eius parte salvetur ratio seu finis præcepti, tunc qui non potest servare totum, debet servare partem, quã potest. Quòd si verò non salvetur ratio præcepti in parte, neque id commodè possit, aut soleat fieri, tunc qui non potest totum, hoc est tantum, quo moraliter impleri censeatur integrum præceptum, is non tenetur ad partem. Quę omnia æstimanda sunt, 1. ex intentione legislatoris, 2. ex ratione, fine, & materia legis, 3. ex iuditio prudentum, 4. ex communi vsu. Ita Sanch. 1. *mor. c.* 19. Laym. *l.* 1. *t.* 4. *c.* 19. *Vnde resolvuntur hi Casus.*

1. Qui non potest legere omnes Horas, debet dicere eas, quas potest, quia dividuæ sunt. Laym. *l.c.* & Bon.

2. Qui in Quadagresima non potest

est ieiunare, debet abstinere à carnibus, si potest; aut qui non potest omnibus diebus, tenetur iis quibus potest. Ita Laym. *l. c.* & Bon.

3. Qui potest notabilem partem sacri (v.g. vsque post consecrationem) audire, aut Horarum dicere, aut commodè potest cum alio (& solet) tenetur, alioquin non, *ibid. v. infra de Horis.*

4. Si quis carens Breviario, pauca ex Horis sciat memoriter, non tenetur ea dicere. *ibid.*

5. Qui obligatur visitare limina Apostolorum Romæ, & scit se eò pervenire non posse, non tenetur ingredi iter; quia nec finis, nec ratio præcepti salvatur, *ibid.* & Suar. Azor. Bonac. *d.* 1. *q.* 8. *p.* 1.

DVBIVM IV.

An excuset dispensatio?

RESp. In iure humano dispensatio legislatoris, vel parem potestatem habentis, facta ex iusta causa, excusat à transgressione præcepti. Est communis, Sanch. Azor. 1. *p. l.* 5. *c.* 15. Salas *d.* 20.

Ratio est, quia cùm sit author suę legis, potest quemvis excipere. Dixi 1. *ex iusta causa*, quia si temerè, & sine causa dispenset, tenet quidem dispensatio, peccat tamen tam dans, quàm petens dispensationem contra ius naturale, dictans partem debere conformari suo toti; nisi iusta causa excuset. Sanch. *lib.* 8. *d.* 18. Suar. Bill. *nu.* 438. & quidem vt vult Suar. mortaliter; venialiter, vt Pontius apud Dianam, quẽ *v. p.* 8. *t.* 3. *R.* 8. 9. & 10. Si dubitet, an causa sit iusta, posse dispensare, vult Sanch. contra Bonac. qui dicit peccare. Etsi autem causa sit iusta, non tamen tenetur dispensare, nisi cùm vel ius præcipit ex ea causa dispensari, vel necessarium est ad commune bonum, vel spirituale pœnitentis; vel ad avertendum grave damnum, aut publicum scandalum, & sine dispendio fieri potest. Diã. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 27. & 28. contra Suar. Sanch. &c. Dixi 2. *legislatoris*: quia dispensatio inferioris in lege superioris, sine iusta causa, invalida est, ac proindè non excusat à transgressione præcepti. Ratio est, quia qui nomine alterius sine causa dispensat, dissipat. Suar. *l.* 6. *c.* 19. Sanch. *l.* 8. *de mart. d.* 17. Validè, autem & licitè inferior potestate ordinaria dispensat ex iusta causa in lege Superioris. 1. Circa levia, hoc est, quæ sub mortali non obligant, etsi facilis sit ad Superiorem recursus. 2. Circa ea, quæ frequenter occurrunt, v.g. in ieiuniis, celebrandis festis, &c. 3. Circa ea, quę ita sunt propria vni communitati, vt non conveniant aliis. 4. Quando recursus ad Superiorem difficilis est, sive, quando est necessitas, & periculum in mora. Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 12. ex Gran. Sal. Gord. & Pal. qui addit. 5. Si consuetudo præscripserit vt inferior dispenset, vt Dian. *l.c. R.* 95. 6. Quando est dubium negativum, an casus egeat dispensatione. Quo casu, secundùm Palaum, non opus est dispensatione, cùm presumptio sit pro libertate. Barb. Dian. *p.* 3. *t.* 6. *R.* 28. *p.* 4. *t.* 3. *R.* 46. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 72. & 95. Vndè resolu.

1. Pontifex sine iusta causa non potest dispensare in lege Dei, nec Episcopus in lege Ecclesiæ Sanc. *d.* 17. *nu.* 3. Suar. Vasq.

Universidad de Deusto Biblioteca

2. Dispensatio in voto, vel iuramento, sine iusta causa, etiam à Papa facta, est invalida, vt Sanchez, Suar. *ll. cc.*

3. Valida est si Superior per errorem, iustam causam arbitretur, aut (etsi non arbitretur, & temerè dispenset) reipsa tamen sit Sanch. *l.c.* Azor. Sà, Salas, *n.*8. Similiter si dispenset, causa, quę revera legitima est, non præcognita, probabiliter tamen valere docent Sāc. & Dian. *p.*8.*t.* 3. *R.* 19. 21. *&c.* contra Azor.

4. In dubio de valore dispensationis, validam censeri, eo quòd præsumatur in favorem actus, ne pereat, probabile putat Sanch. &c. cum Dian. *p.*3.*t.*6. *R.*9.*p.*4.*t.*3. *R.*45.64.*p.*8.*t.*3. *R.* 62. contra Mol. &c.

5. Habens potestatem generalem dispensandi, potest etiam secum dispensare directè & immediatè, Sanch. Dian. *p.* 8.*t.* 3. *R.* 16. contra Suar.

6. Valet dispensatio obtenta per vim, aut metum (modó causa sit iusta) Item data sine vllis verbis, sola mente. Turrian. Dian. *p.*8.*tr.*3.*R.*17.76.*p.*4.*t.*4. *R.* 118.

7. Qui impetravit dispensationem (v.g. in impedimento dirimente matrimonium) & per ignorantiam, vel simplicitatē expressit causam falsam, eum valide contrahere matrimonium, dicit Pont. *de mart. l.*8.*c.*16. ex C. *Cum inter.* Sed contrarium tenet Pal. *tom.*1.*t.*3.*d.* 6.*p.*16.§.5. ex *Cap. Sup. litteris*, v. Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 69.

8. Subditus bona fide dispensationem petens, rationibus Superiori allatis, potest dispensatione impetrata, esse secutus, v. Laym. *l.*1.*t.*4.*c.*22.

9. Peccat, qui aliquem inducit ad dispensandum sine causa, vel allegata falsa causa. Nav. Sanch. 18. *de mart. nu.*8. Fill. *t.*10.*n.*314. Salas *disp.*20.*s.* 6.*nu.*58. qui addit, id verum esse, etsi dispensans excusetur ob bonam fidem.

10. Dispensatio potest impetrari non tantùm pro ignorante, sed etiam invito, quando necessitas exigit. Sanchez. Beia contra Suar. vid. Dian. *p.*8.*t.* 3. *R.*86.87. Id tamen locum non habet in ea, quæ impetratur ex Pœnitentiaria Romana, nisi impetretur à personis coniunctis, vel consanguineis intra quartum gradum, vel saltem à Confessario, Marcus Leo *in praxi p.*1.*f.*34.

Quares. An cessante causa dispensationis, cesset ipsa?

Resp. Pro hoc servient sequentes Regulæ.

1. Si tantùm impulsiva, seu minùs principalis causa cesset, manet dispensatio.

2. Etsi cesset pars causæ motivę, seu principalis, manet dispensatio, v. Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 62.

3. Si commissa facultate dispensandi priusquam dispensetur, cesset omninò causa principalis, nulla est dispensatio.

4. Si dispensatione redacta ad actum irrevocabilem, cesset tota causa, nō ideò cessat, vel vim amittit: v.g. dispensatum fuit in impedimento consāguinitatis, propter paupertatem fœminæ, licet contracto matrimonio divitias obtineat, non est irritum. Idem est si beneficium per dispensationem obtinueris, & postea cesset causa, ob quam dispensatum fuit.

5. Si facta dispensatione cesset omninò causa finalis, & actus possit facilè revocari: v.g. dispensatum est in voto castitatis propter vehementes tēntationes, quæ postea cessant, an reviviscat, votum? vel in præcepto recitandi Horas, ieiunandi, &c. propter infirmitatem, & postea convalescit, an teneatur recitare, ieiunare? &c. Affirmat Sanchez, Amicus, Portel. Bonac. Leon, &c. quia aliàs non esset iusta. Negativam tamen sententiam probabilem: & in praxi tutam esse censet Dian. *p.*8.*t.*3. *R.*4. ex Sal. Gran. &c. siquidem dispensatio fuerit absoluta: quia obligatio legis semel extincta non reviviscit: & quod destructum est, non reproducitur, nisi ab eo, qui producere potest. Vid. Suar. *de leg. c.* 22. Laym. Præpos. &c. qui rectè id concedunt, quando non est de re dividua & successiva: aliàs negant. Vnde supposita probabilitate sententiæ negativæ. Gran. Diana, &c. sequentes Casus (in quibus tamen alij meliùs contrarium sentiunt) resolvunt.

1. Cum quo dispensatum est propter morbum in esu carnium, potest vesci, licet omninó, convalescat.

2. Cum quo propter infirmitatem dispensatum est in voto religionis, postquam convaluit, non tenetur. Dian. *p.* 6. *t.* 7. *R.* 45.

3. Cum quo propter oculorum infirmitatem dispensatum fuit in onere recitandi Horas, etsi convaluerit, non tenetur legere.

APPENDIX.

De dispensationibus S. Pœnitentiariæ.

QVia ex officio S. Pœnitentiariæ multæ dispensationes (& gratis quidem) impetrari possunt, saltem pro foro conscientiæ, operæ pretium censui quędam circa huius rei praxim pœnitentibus, & Confessariis vtilia hic subnectere.

Et quidem tria potissimùm circa hanc rem requiri possunt. 1. Circa materiam & causas, in quibus nimirum casibus dispensationes istæ concedi soleant. 2. Circa formam litterarum Pœnitentiariæ, quibus, dispensatio Confessario committitur, quarum verba nonnulla, quæ difficultatem pariunt explicanda sunt. 3. Circa ipsam executionem dispensationis; quæ nimirum in ea observanda sint. De quibus ex Bon. Diana. *p.* 4. *t.*4. *R.*71. *& p.* 8.*t.*1. *R.* 103. *&c. vsque ad R.* 111. *& Marci & Pauli Leonis volumine integro ea de re edito.*

Resp. 1. In triplici materia (pro cuius diversitate, diversa quoque est forma) dispensationes sivè gratiæ istæ concedi solent.

Prima, est in votis: v.g. vt votum religionis, ob inopiam parentum, vel fratrum, similive ex causa liceat differre: vt quis à voto simplici castitatis; vel etiam religionis (postquam matrimonium contraxit) absolvatur ad manendum in matrimonio, debitùmque licitè petendum: vt à voto religionis (ob debilitatem virium, per quas eius onera ferre non possit, aut ob metum incontinentiæ, aut dotis defectum) absolvatur in ordine ad contrahendum matrimonium.

Secunda, in impedimentis occultis matrimonij, sive ea sint impedientia tantum, sive etiam dirimentia, sive matrimonium cum iis publicè contractum

Universidad de Deusto Biblioteca

ctum sit, sive contrahendum, dummodò de eo privatim fuerit actum, & conclusum, præsertim bona fide, sive etiam quando contracto superveniunt. Circa quæ, *Notandum* 1. Impedimenta occulta dici; quæ vel nulli nota sunt, vel licet vni alterive innotuerint, ad forum tamen contentiosum non sunt deducta. 2. Etsi aliqua impedimenta, v.g. cognationis spiritualis, natura sua sint publica, cùm contrahantur in facie Ecclesiæ, fieri tamen potest per accidens, vt sint occulta, v.g. 1. Ob diuturnitatem temporis, ex quo sunt contracta. 2. Ob distantiam loci à loco contractæ cognationis. 3. Per mortem eorum qui fuerunt conscij. 4. Per ignorantiam huius contractionis.

Tertia, in variis censuris, vt excommunicationibus, suspensionibus (item irregularitate) prasertim occultis, ad absolvendum ab iis, dispensandum, rehabilitandum, &c. Item ad condonandam obligationē restitutionis ob Horas neglectas, ad commutandum onus recitationis Horarum, eligendum Cōfessorem etiam pro reservatis, transeūdum ad aliam religionem, sive ordinem (pro utroque foro) etiam post apostasiam à suo.

Resp. 2. In formulis frequentibus ipsius Brevis Apostolici, verba quæ substantialia continent, & difficultatem habent, sunt hæc.

1. *Si est ita*: vel *quatenus si ita est*. Quorum sensus est, si preces veritate nitantur, præsertim tempore datarum litterarum Apostolicarum. Requiritur autem veritas rerum narratarum, principaliter quoad essentialia facti, v. g. affinitatem esse contractam, incestum commissum, & actum, sive tractatum esse de matrimonio (intellige perfectè, ita vt in id utrinque consenserint) & periculum revelationis, ac scandalum imminere. Secundariò autem requiritur quoad accidentaria, v.g. bona fide actum esse, & similia, quæ tantùm sunt impulsiva, & sine quibus nihilominus conceduntur tales dispensationes: vndè etsi in iis, vel aliis parui momenti sit erratum in petitione, gratia nihilominus est valida, v. M. Leon. *p.* 2. *f.* 226. & *p.* 3. *f.* 391.

2. *Si Periculum immineat revelationis.* Ad hoc enim vt subsistat dispensatio, requiri, vt sit periculum, ne reveletur impedimentum (intellige, quando id in formula exprimitur) si non subsequatur matrimonium, docet M. Leo. *p.* 2. *f.* 230. Periculum autem hoc non importare necessariam detectionem, sed tantùm probabilem, & moralem credulitatem, futurum, vt si resiliatur à matrimonio contrahendo, & huius causę assignari non possint, ex vehementi suspicione, & curiosi inquisitione detegatur. *v.* Leon. *c. f.* 233.

3. *Et scandalorum.* Quo nomine intelligitur gravis infamia, ex qua deindè sequantur contentiones, minæ, pugnæ, &c. Leo. *f.* 30. & 317.

4. *Vt dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, &c.* Clausula hęc est substantialis, vt nimirum si dispensandum sit in impedimento dirimente, cum quo matrimonium contractum fuit in facie Ecclesię, coniux ignorans illud impedimentum, fiat certa de nullitate prioris sui consensus, & novum validumque liberè præstet (ita tamen vt in cognitionem occulti impedimenti non veniat.) Leo. *p.* 251. Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 110. Sufficit autem vt istum consensum prestent inter se secreto, nomine presente, per verba, vel signa sufficientia; v.g. copulam maritali affectu. Neque debet Executor dispensationis eos coram se, & testibus iterum copulare. Leo. *p.* 552.

5. *Postquam dicto Sacerdoti si nondum satisfecerit.* Verba hæc solent esse in facultate absolvendi ab excommunicatione, v. g. ob percussionem Clerici: & important conditionem priùs satisfaciendi parti læsæ, quàm possit absolvi, hoc est, compēsandi iniuriam, expensas, & omnia damna, quæ ob percussionem illam incurrit, quorū æstimatio committitur Executori dispensationis; neque ab eius obligatione liberatur percussor per hoc, quód percussus iniuriam remisserit. v. Leon. *p.* 382. 384. Si autem non possit in presenti satisfacere, sufficit si iuratus promittat se facturum, cúm primum poterit.

Resp. 3. Circa praxim, sive executionem huius dispensationis, hæc scienda.

1. Litteræ S. Pœnitentiariæ diriguntur ad oratorem, hoc est, ad ipsum, qui dispensationem (per se, vel alium) petit, qui non debet eas resignare, sed eligere Confessorem talem, quali inscribuntur, qui eas sibi ab oratore traditas resignet, legat, & deindè cum eo secundùm commissionem dispenset. Licèt verò quocumque casu ab alio aperiantur, non ideò carent effectu. Salas, Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 103.

2. In Confessore hoc requiritur. 1. Vt sit Approbatus ab ordinario territorij, in quo dispensatus est. 2. Vt sit Magister, sive Doctor in Theologia vel Iure canonico, promotus in Academia, vel Religiosus habens privilegium, quale concessit Greg. XIII. Anno 1582. Confessariis Soc. Iesv, quos Generalis, vel alius Superior de eius licentia ad id designarit.

3. Vt specialiter ad hoc sit electus ab oratore, hoc est, eò, cum quo dispensandum est: qui tamen semel electum, nisi deprehendat ignorantem mutare non potest. Leon. *f.* 22. Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 104. Contrarium tamen docent Sanch. & Perez *de mart. d.* 48. *s.* 5. *n.* 7.

4. Confessor ad id electus. 1. Debet dispensare in ipsa confessione, vel saltem immediatè post. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 7. Leon. *p.* 1. *f.* 54. & 28. 2. Debet causæ cognitionem, quando ea in Brevi exigitur, essentialiter præmittere, per diligens examen pœnitentis: nisi habeat antè perspectam: quia non est merus Executor, sed Iudex, cui delegatur potestas dispensandi. 3. In ea debet credere illi, etiam sine testibus, & iuramento, nisi aliunde sciat esse falsam: tunc enim dispensare non debet. Leon. Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 108. 4. Opera in ipso Brevi præscripta, etsi possit moderari, non tamen condonare potest. 5. Etsi non præscribantur certa verba ad dispensandum, debet tamen servare formam à Rituali Romano probatam, & post verba ista. *Absolvo te à peccatis tuis*, addere: *Et eadem authoritate declaro te in dicto matrimonio manere, & debitum coniugale reddere posse, & debere; nec non dispenso tecum, vt idem debitum etiam exigere licitè valeas. In nomine Patris, &c.* Si verò sit absolvendus ab excom-

excommunicatione, *vide formulam infrà l. 7. c. 1. d. 6. 6.* Absoluta dispensatione debet lacerare litteras, præcipuè sigillum, ita vt ad probandum servire non possint: alias incurrit excommunicationem maiorem. Leon. *f.* 239. Laceratio tamen ista non est de substantia: quia tantùm intenditur, vt non suffragentur in foro externo. 7. Nullo modo debet attestationem dispensationis factæ, neque ipsum Breve, seu diploma reddere, cùm pro solo foro conscientiæ debeat servire. 8. Nihil debet accipere, ne quidem viâ compensationis pro dispensatione, etiam pro foro externo facta, ideò enim inscribitur, *gratis vbique* aliàs incurrit ipso facto excommunicationem maiorem. Gavant. Dian. *l. c. ex declar. Cardin.*

Ex dictis resolvuntur sequentes Casus.

1. Confessor pro hac dispensatione eligi non potest, qui tantùm est Doctor Ordinis, vel Professor, vel Licentiatus Theologiæ; quod enim hic in favorabilibus veniat nomine Doctoris, tantùm intelligitur de iis quæ ratione exercitij, non quæ ratione dignitatis committuntur. Leo. *p.* 1. *fol.* 21. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 41.

2. Ex privilegio Soc. Iesv concesso, alij etiam Mendicantes eligi possunt, ob communicationem. Debent tamen tam hi, quàm isti specialem ad hoc habere facultatem à suis Superioribus aliàs dispensatio erit nulla: *ita Aut. cit.* Et patet ex dictis.

3. Confessor debet ita examinare pœnitentem, vt cognoscat, & quidem distinctè merita causæ, possitque inter ea discernere: ideo enim inscribitur *Viro discreto.* Præcipuè autem debet inquirere, an preces nitantur veritate; quia gratia non conceditur simpliciter, sed sub conditione, ideòque solet addi clausula. *Quatenus si ita est*; vel, *si ita esse repereris. v. Aut. cit.*

4. Is qui dispensationem petit, debet Executori ad id electo confiteri; nec sufficit, antè ei confessum fuisse. Patet ex dictis. Leo. *f.* 28. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 71. Reg. Pont. contra Sanch. Sal. Perez, Palaum quorum sententiam non amplius esse probabilem docet. Fill. Escob. Lezan. Dian. *l. c. & p.* 8. *t.* 3. *R.* 105.

5. Commissio huius dispensationis non expirat morte Pœnitentiarij concedentis, re integra: quia est gratia non facienda, sed facta in favorem oratoris, cui ius quęsitum est; & Executor est dispensator necessarius, siquidem preces nitantur veritate. Neque etiam morte Pontificis: tum ob rationem allatam: tum quia officium maioris Pœnitentiarij non expirat morte Pontificis. Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 89. ex Suar. Sanch. Garc. &c. contra Nav. Bon. &c.

LIBER II.

De Præceptis virtutum Theologicarum.

TRACTATVS I.

De Præceptis Fidei.

CAPVT I.

Quæ Mysteria Fidei necessario credenda sint?

EX iis quę fideles eplicitè exredere tenentur, quædam necessariò credenda

denda sunt necessitate medij, seu finis; sine quibus etiam inculpabiliter ignoratis, finis vltimus obtineri nequit: alia necessitate præcepti, sine quibus inculpabiliter omissis, finis potest obtineri. Sanch. 2. *mor. c.* 2. Azor. Val.

Resp. 1. Necessitate medij necessaria sunt hæc duo: 1. Explicitè credere, Deum esse, & remuneratorem bonorum esse. Iuxta illud Apostoli ad Hebr. 11. *credere oportet.* Trid. *sess.* 6. *c.* 8. 2. Post sufficientem Evangelij promulgationem, credere explicitè, vt vult Mol. aut saltem implicitè, vt probabiliter quidam docent cum Con. & Laym. Christum, sanctissimam Trinitatem, v. Escob. *ex c.* 9. *num.* 20. vbi ex Vasq. *l.* 2. *d.* 126. *c.* 3. docet culpabilem ignorantiam horum mysteriorum, sive negligentiam ea discendi, esse grave peccatum distinctum ab eo, cuius est causa. v. Dian. *p.* 3. *t.* 5. *R.* 47. & 48.

Porrò implicitè credere dicitur, qui credit aliquid explicitè, in quo alterum implicitè est, v.g. si credas, quod credit Ecclesia. v. Schol. & Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 8.

Resp. 2. Necessitate præcepti, quivis fidelis sub mortali explicitè credere, & scire, crasso saltem modo, & quoad substantiam tenetur hæc.

1. Symbolum. 2. Orationem Dominicam. 3. Præcepta Decalogi, & Eccles. 4. Sacramenta maximè necessaria; vt Baptismum, Eucharistiam; & Pœnitentiam, reliqua autem tunc, quando vult suscipere: Suar. Sanch. Fill. *num.* 39. Quæ omnia intellige, nisi impotentia, aut invincibilis ignorantia excuset. *Vnde resolvuntur.*

1. Non omnes tenentur sub mortali hæc predicta scire memoriter, aut eo ordine, aut iis verbis quibus proponuntur, sed quoad orationem Dominicam, scire omnia bona petenda esse à Deo, quę est eius summa; quoad Symbolum verò, pręcepta, & Sacramenta; sufficit siquis rogatus de singulis, rectè respondeat. Bon. Laym. *l. c. c.* 9. Sanch. *l.* 2. *c.* 3.

2. Quamvis sit præceptum Ecclesię discendi memoriter Symbolum, & orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, velitque Barb. *p.* 3. *c.* 27. non esse absolvendum, qui ob negligentiam, vel verecundiam ea addiscere, non curat; consuetudo, tamen, vt notat Navar. & Lopez, exposuit, obligationem non esse vltra veniale; vti nec est vltra veniale, nescire facere crucem, vt docet Sanchez contra Syl. qui docet esse mortale.

3. Moraliter nihilominus necessarium est, vt rudiores memoriâ teneant Symbolum suâ linguâ: quia alioqui non possent habere sufficientem cognitionem articulorum.

4. Falsa est opinio quorundam Canonistarum, rusticis esse satis, articulos fidei, aliaque dicta credere implicitè, credendo quidquid credit Ecclesia.

5. Excusantur ij, quibus aut defuit doctor, aut nunquam venit in mentem obligatio similia discendi, aut qui nimis sunt rudes, ita vt non possint ea comprehendere, aut retinere: quod sæpè contingere docent Azor. & Bec. contra alios.

6. Si Confessarius probabiliter iudicet pœnitentem ignorare ex doctrina Christiana, ea quæ scire tenetur

Universidad de Deusto Biblioteca

tur(quod de litteratis,vel bene educatis, vel frequenter confitentibus præsumendum non esse monet. Sanch. 2. *mor. c.3.*)debet eum interrogare de negligentia in iis addiscendis: cùm per eam plurimi graviter peccent. Led. Azor. *t.* 1. *l.* 8. *c.* 8. Trull. *l.* 1. *c.* 1. *d.*4.

7. Possunt absolvi(contra quosdam) qui ignorant ea,quæ sub mortali scienda esse dixi. Ratio est, quia licèt, peccarint omittendo discere, possunt tamen de hoc dolere, cum proposito discendi. Sanch. Quòd si tamen ignorarent ea, quæ necessitate medij scienda sunt, deberent instrui ante absolutionem. Bonac. *d.* 3. *q.* 2. *p.* 2. Sanch. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 21.

8. Parochus suas oves (sicut parens liberos)tenetur sub mortali,per se vel alium docere ea saltem, quæ sub mortali scire tenentur, Sanch. 2. *mor. c.*3. Fill. Palaus. Trull. *l.*2. *c.*1. Con.&c.

CAPVT II.

Quando obliget Præceptum Fidei?

REspon. 1. Præceptum fidei internum obligat. 1. Pueros inter fideles educatos: quando rationis vsum perfectè consecuti mysteria fidei audiunt,apprehendúntque quòd illa credere, sit res necessaria ad salutem;peccantque mortaliter omittendo,Sanch. Bon. *t.* 2. *d.* 3. *p.* 3. addens,plurimos eorum excusari inadvertentiâ, aut invincibili ignorantia. 2. Adultos infideles, quando ratio incipit dicere,res fidei sufficienter propositas esse, & contrariam sectam esse falsam Sanch. *l.* 2. *moral. c.* 1. Con. *d.* 14. *de fide.* Fill. *n.* 25. 3. Quando vrget tentatio contra fidem,quæ aliter vinci nequit. Quod tamen non convenire scrupulosis, rectè monet Sanchez, quia hi avertendo mentem ad alia obiecta, faciliùs superant. Et in his duobus casibus præceptũ obligat per se,in sequentibus per accidens. 4. Quando tentatio vrgens contra alias virtutes,aliter superari nequit. 5. Quãdo facienda est professio fidei exterior,vel ex præcepto eligẽdus est actus alterius virtutis,v.g. Spei, Charitatis, Pœnitentiæ,quæ fidem supponat. Bon. *q.*2. *p.*2. His addit Hurt. contra Sanch. 6. In hora mortis,& 7. Semel quotannis, vide Dian. *p.* 5. *t.* 13. *R.* 19. *Ex iis resolvuntur hi Casus.*

1. Hæreticus quandiu suam sectam iudicat esse credibiliorem, vel æquè credibilem, non tenetur credere; quia fides nondum est sufficienter proposita, ageretque imprudenter. Sanch. 2. *mor. c.* 1. Laym. *l.* 2. *t.* 1. *c.* 10. & 12.

2. Quando iis qui in hæresi nutriti sunt persuasum est à puero, nos abiicere & persequi Verbum Dei,esse idololatras, pestilentes deceptores, ideòque tanquam pestes fugiendos; non possunt stante hac persuasione, salvâ conscientiâ nos audire, & laborant ignorantia invincibili, cùm non dubitent se esse in bona via. Laym. *c.*10. Sanch. *l.* 2. *c.* 1.

3. Si talibus oriatur dubium de sua secta, tenentur vlterius inquirere, & à Deo petere lumen, (quod si negligant, peccant contra Fidem, cum non adhibeant media ad implendum præceptum Fidei.) Quod si deinde nostra fides eis sufficienter proponatur, tenentur amplecti. *Ibid.* v. Ferdin. de Castro Palao *t.* 4. *d.* 1. *p.* 12. & *d.* 2. *p.* 2.

Resp. 2. Præceptum exteriùs fidem confitendi,in iure naturali obligat,duplici casu;scilicet, cùm vel honor Deo debitus, vel vtilitas proximo impendenda, privativè vel contrariè subtraheretur. Dixi *privativè*: vt si ideò cessaret magnus honor in Deum,vel vtilitas in proximum redundans. Dixi 2. *contrariè*:vt si alioqui Deus afficeretur iniuriâ, vel proximus gravi malo:v.g. si inde penderet aliorum conversio,aut perversio;contemptus religionis,scandalum,&c. Ratio responsionis est,quia actus virtutis tunc videtur præceptus, quando est necessarius ad finem præcepti, quod hic contingit; quia finis præcepti, est Charitas *S.* Th. 2. 2. *q.*1. *a.* 2. Suar. Reg. Fill. *t.*22. *c.*3. *q.*1. *Vnde resolvitur hic Casus.*

Si hæretici conculcent imagines, aliisve iniuriis fidem afficiant, tenetur eam suâ confessione tueri Catholicus, siquidem inde prudenter speret profectum.

Resp. 3. Ad professionem fidei externam iure Ecclesiastico tenentur sub mortali, secundùm *Tridentinum*, cum iuramento obediendi Ecclesiæ Romanæ, vt docet Fill. *t.*2. *tr.*22. *c.*3. sequentes personæ.

1. Provisi de beneficio curato,idque intra duos menses à die possessionis coram Episcopo, aut eius Vicario Generali, vel Officiali, *sess.* 24. *c.* 22. *de ref.*

2. Provisi de Canonicatu,vel dignitate, in Cathedrali Ecclesia; id que non tantùm coram Episcopo, vel eius Vicario; sed etiam in Capitulo. *Ibid.* addita pœna (ad quam non videntur teneri ante sententiam)vt alioqui fructus non faciant suos. v. Sanch. *l.*2. *c.*5. Barb. *de Potestate Episcopi* 3. *p. a.* 61. *n.* 29.

3. Primates, Archiepiscopi, Episcopi, in prima Synodo provinciali,cui intererunt. Trid. *sess.* 25.

4. Extendit Pius IV. hanc legem ad omnes Prælatos religionum, etiam militarium. Pius V. autem apud Roderic. *c.* 2. *q reg. q.* 72. ad omnes promovendos in Doctores,Magistros,Regentes, Professores, additâ excommunicatione latæ sententiæ,& privatione omnium beneficiorum, in eum, qui alios promovet ad talem gradum,sine previa professione,vide Fill. *t.*22. *c.*3. *q.* 11. Barb. *in remiss. s.* 24. *num.* 12. Verùm vbi hoc decretum non est receptum vsu, non obligare monet Sanch. *c.* 3. *n.* 4. *Vnde resolvitur.*

1. Non tenentur ad dictam professionem provisi de Canonicatibus,in Ecclesiis tantùm Collegiatis, vel de Beneficis tantùm simplicibus.

2. Etsi probabile sit hanc professionem posse fieri per procuratorem, vt docet Azor. Navar. & Sanch. probabilius tamen est,teneri personaliter, vt docet. Fill. Ratio est,tum,quia aliàs non videtur fieri satis iuramento,quod personaliter faciendum esse docet Glossa Fill. tum, quia ita decidit Rota apud Graz. *l.*3. *de benef. cap.* 3.

(***)

CA-

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT. III.

An aliquando liceat exteriùs fidem veram negare, aut falsam profiteri?

RESp. Nullo casu licet, sive voce, sive alio signo fiat, dicente Christo: *qui me negaverit coram hominibus, &c.* Interim verò, etsi licitum non est mentiri, seu simulare quod non est; licet tamen dissimulare quod est, sive tegere veritatem verbis, aliisve signis ambiguis & indiferentibus, ob iustam causam, & cum non est necessitas fatendi. Est com. S. Th. Con. *disp.* 15. *dub.* 2. *n.* 9. Laym. *l.* 2. *t.* 1. *c.* 11. *Vnde resolvitur.*

1. Rogatus de fide in odium religionis, sive publica authoritate, sive privata, nullo modo potest vtendo restrictione mentali, aut verbis ambiguis, ita respondere, vt præsentibus videatur fidem negasse, multò minùs discere, se esse hæreticum, vel Calvinistam, vel non Catholicum. Azor. Fill. *c.* 3. *n.* 67.

2. Qui rogatus, seu privata, seu publica authoritate, vel tacet, vel respondet obscurè: vel ait se nolle respondere, se iure non rogari, non teneri se, nec velle aliis dicere, quid ipse credat, ac simili modo tergiversatur, non videtur negare fidem, sed nolle prodere. Vnde si sic potest molesta inquisitione liberari, licet; vt habet. Con. *l. c.* Generatim enim verum non est, quòd interrogatus auctoritate publica, teneatur positivè fidem profiteri, nisi quando id necessarium est, ne præsentibus videatur fidem negasse. Conin. *d.* 15. *dub.* 2. Nav. Azor. Sanch. Bec. *c.* 9. *q.* 4.

3. Non negat fidem, sed prodit; qui fugit: quod etsi liceat, non tamen Pastori, tunc cùm eius operâ oves indigent: vti contrà, si eis consultius est, vt ad tempus se subducat, & in bonum eorum reservet, tenetur fugere. Reg. *l.* 17. *n.* 26. Bec. *c.* 9. Fill. *n.* 75. &c.

4. Si quo casu tacere esset negare, tunc id non liceret: v.g. si aliis rogatis, an fidem negare vellent, iisque respondentibus, quòd non, tu taceres. *Ibid.* vid. Bon. *l. c.* Laym. *l.* 2. *t.* 1. *c.* 11. *l.* 4.

5. Si Princeps generali lege iubeat, vt fideles se prodant, gestato signo, vel sistendo se, vel aliter, non tenentur, cum nemo teneatur verum dicere, nisi specialiter rogatus. Excipe, nisi eæ sint circunstantiæ, vt hoc ipso, quòd se non prodant, videantur fidem negasse, vt v.g. si quidam antea noti essent, & tunc ex hoc putarentur defecisse. Sanch. *n.* 19. Bec. Reg. Fill. *n.* 88. *&c.*

6. Cum non rogatis de fide, non solùm licet, sed sæpè melius est ad Dei honorem, & vtilitatem proximi tegere fidem, quàm fateri: vt si latens inter hæreticos plus boni facis; vel si ex confessione plus mali sequeretur, v.g. turbatio, neces, exacerbatio Tyranni, periculum defectionis si torquereris. Vndè temerarium plerumque est offerre se vltrò S. Th. Sanch. Laym. *c.* 11. *n.* 2.

7. Redimere pecunia, ne de tua fide fiat inquisitio, licitum est; & sæpè magna virtus discretionis est vitam ad Dei gloriam servare, ac fidem tegere modis licitis.

8. Talis modus non est vti vestibus aut signis infidelium, quæ aliùm vsum non haberent, quàm quód essent signa professiva falsę religionis, seu cultus; vti essent vestes, quarum vsus est in sàcrificiis: item incensio thuris, aut genuflexio coram idolo; item sumptio cœnæ hæreticæ, &c. *Sanch. l.* 1. *c.* 4. Fill. *n.* 8. *&c. & com.*

9. Licitus autem modus est, quando subest causa, (vt v.g. ad evitandum grave periculum, ad obtinendam victoriam, eludendos hostes) vti vestibus & signis infidelium, quæ alium aliquem vsum habent, quam, profitendæ religionis, quales sunt vestes talis nationis (non religionis) quibus vterentur, etsi converterentur, vt sunt vestes, & signa nationis Turcicæ. Quod verum est, etsi sint vestes ipsorum religiosorum, dummodo non habeant peculiare signum profitendi erroris, sed sint tantùm indicium nitidioris cultus, vt saga Prædicantium in Germania; vel eminentioris vitæ inter suos, vt togæ Bonziorum in Iaponia. Idem dicendum est de signis, quibus Iudæi vtuntur, v.g. flavo annulo in pallio, Francofurtii &c. quia hęc sunt signa merè politica, & distinctiva vnius generis hominum ab alio, & non propriè professiva fidei. Quæ sententia probabilis est v. Sanch. 2. *mor. c.* 4. Bec. 2. 2. *c.* 9. *q.* 5. *d.* 6. Laym. *lib.* 2. *t.* 1. *c.* 11. Con. contr. Cai. Nav. Tolet.

10 Licitus item modus est, cum Catholicus transit per loca hæretica, & periculum grave ei imminet vitæ, v.g. vel bonorum, (non tamen, si derisio tantùm, vel vexatio, vt habet Bec. *c.* 9.) ad dissimulandum fidem, vesci carnibus die prohibito: quia præceptum Ecclesiæ non obligat sub tali periculo. Nec hoc est fidem negare, cùm esus carnium non sit institutus ad professionem religionis; & Catholici etiam mali, & gulosi id faciant. Si tamen ex circunstantiis fieret signum professivum, vt si v.g. in odium fidei convivæ statuerent, vt qui est hostis fidei Pontificiæ, comedat carnes, peccaret contra fidem qui ederet sine protestatione; secùs si protestaretur. Sanch. Azor. Bec. *& comm. l. c.*

11. In Germania audire conciones hæreticorum, deducere funus, assistere Baptismo pro patrino, non habentur signa professiva fidei, vel communionis cum hæreticorũ sacris. Fill. Azor. Sanch. *lk. cc.* Vndè seclusis alijs; v.g. scandalo, periculo, prohibitione, & si ex iusta causa fiant, licent. Imò patrinum fieri talis infantis, videtur potiùs optandum, seclusis aliis, quia non est aliud quàm obligare se ad eum erudiendum in fide Catholica.

12. Infidelium, & hæreticorum sacris non licet ita interesse, vt eis communicare censearis; alioquin licet, v.g. vt quis spectet tanquam comœdiam, aut famulatum præstet politicum domino suo, exemplo Naaman Syri; de quo vid. Bec. Fill. Sanch. *l. c.* Laym. *l.* 2. *t.* 1. *c.* 11.

13. Si Princeps hæreticus mandet sub gravissima pœna omnibus subditis, adire conciones hæreticorum, etiãsi verbis dicat se hac re aliud nihil exigere, quàm obedientiam civilem, nec velle cogere, vt à fide discedant, cùm tamen reipsa contrarium velle videatur, (nam obedientiam suorum aliter exercere potest, & hæc res ex se apta sit,

Catho-

Universidad de Deusto Biblioteca

Catholicos paularim pervertere, & insuper conciliare authoritatem hæresi, ac vilipensionem veræ fidei) non licet obedire. Atque ita his rescripsit Anglis Pius V. apud. Sanch. *libr.* 2. *cap.* 4. *num.* 27. Fill. & Azor. *locis citatis.*

14. Catholici viventes inter hæreticos, si ex præcepto Magistratûs cõtrahant matrimonium, coram ministro hæretico, peccant contra fidem; etiamsi contraxerint ante, vel contracturi sint posteà, coram Sacerdote Catholico. Con. *d.* 15. *d.* 3. Pal. *t.* 4. *d.* 1. *p.* 17. *n.* 12. 13. 14. restatùrque contrahens ceremonia illa, se illum agnoscere veræ fidei Ministrum, quæ sunt intrinsecè mala. Mald. 2. 2. *q.* 2. *a.* 3. quia authoritas Ministri, & consequenter doctrina eius augetur, concurriturque ad ritus hæreticos, quos Minister eo actu exercet. Licitè tamen contrahunt coram Magistratu civili, vel potius testantur se contraxisse; modò priùs vel posterius ritu Catholico contrahant: quia hæc actio est instituta ad finem politicum, vt coniuges habeantur, & proles non censeatur illegitimæ.

CAPVT IV.

De Infidelitate, & vitiis Fidei oppositis.

DVBIVM I.

Quid, & quotuplex sit Infidelitas?

REsp. 1. Infidelitas generatim est triplex. *Prima* dicitur Negativa, eorum scilicet, qui nihil vnquam de fide audiverunt. Quæ non tam est peccatum, quàm pœna peccati: quia si fecissent, quod in ipsis erat, Deus fidem eis non abscondisset. *Secunda* dicitur Contraria, eorum scilicet, qui fidem sibi sufficienter propositam vel contemnunt, vel ei contradicunt pertinaciter; vt hæretici. *Tertia* dicitur Privativa eo quòd privativè opponatur fidei, & est culpabilis ignorantia, vel error circa res fidei. S. Th. Sanch. Vasq. Laym. *c.* 12.

Resp. 2. Infidelitas Contraria, ex triplici modo repugnandi fidei, est triplex, scilicet Paganismus qui fidei nondum susceptæ; Iudaismus, qui fidei susceptæ in typo, & Hæresis, quæ fidei susceptæ veritati repugnat. Apostasia à fide revocatur ad hæresim, à qua tantum differt, quod Hæresis sit error fidei ex parte tantùm contrarius, Apostasia verò ex toto S. Th. Laym. *l. c.*

CAPVT II.

De Iudaismo.

Quæritur hic tantùm, quæ communicatio cum Iudæis sit interdicta Christianis?

REsp. 1. His casibus, qui colliguntur ex *c. Nullus. c. Omnes c. Iudæi.* 1. Non licet cohabitare. 2. Nec conviviis interesse. 3. Nec vti communi balneo. 4. Nec medicos adhibere. 5. Nec medicinas ab iis datas recipere; emere tamen licebit prescriptas. 6. Nec Iudæorum filios enutrire in ipsorum domibus. 7. Iis non famulari. 8. Nec servitute subjici. 9. Prohibentur publicis officiis inter Christianos fungi.

10. Ve-

10. Vetitum est eorum azymis vesci. Quibus addit Azor. prohibitum esse, accedere ad eorum nuptias, festa, Synagogas, cum eis ludere, saltare, &c. Ratio horum est, tum vt conservetur dignitas Christianæ religionis: tum vt caveatur familiaritas cum Iudæis, & periculum perversionis. vid. Laym. *l.* 2. *t.* 1. *c.* 12. & 17. Sanch. *l.* 2. *c.* 31. Fill. *tr.* 22. *c.* 5. *n.* 128.

Resp. 2. In decem dictis casibus communicare cum Iudæis, ex genere suo videtur esse mortale. Ratio, quia si Clericus id faciat, incurrit periculum depositionis: Laicus verò excommunicationis: (C. *constituit* 17. *q.* 2.) quæ non nisi ob peccatum mortale imponi solet. Dixi *ex genere suo:* quia probabile est, vel ob materiæ parvitatem, vel ob necessitatem, aliámve causam rationabilem, (si tamen non sit periculum perfidiæ, nec familiaritatis cum Iudæis) sæpè excusari à mortali, aliquando etiã ab omni peccato. Ita communiter. vid. Aut. *suprà cit.* & Bon. *l. c.* item Lay. *l.* 2. *t.* 1. *c.* 17.

DVBIVM III.

Quit sit Hæresis?

REsp. Hæresis, est error intellectus liber & pertinax contra fidem, in eo, qui fidem suscepit. Ita comm. Suar. Becan. *c.* 14. *quæst.* 2. Vnde patet, ad Hæresim, vtì & Apostasiam, duo requiri. 1. Iudicium erroneum quod est eius quasi materiale.

2. Pertinaciam, quæ est quasi formale. Porrò pertinaciter errare non est hic acriter, & mordicùs suum errorem tenere, aut tueri; sed est eum retinere, postquàm contrarium est sufficienter propositum; sive quando scit contrarium teneri à reliqua vniversali Christi in terris Ecclesia, cui suum iudicium præferat: sive id fiat ex vana gloria, sive libidine contradicendi, aliâve causa. Ita Sanch. Vasq. Laym. *l.* 2. *t.* 1. *c.* 13. & alij comm. Ratio est, quia tunc putat, iudicium Ecclesiæ non esse sufficiens fundamentum credendi, quæ est vera pertinacia: quam cum Conink faciliùs sic explicant alij, eam tunc esse, cum etsi obiectum fidei credibiliter proponatur, ita vt prudenter de eo non possit dubitare, contrarium tamen iudicet, à quo nolit avelli vllo casu, vel saltem, nisi evidenter convictus, v. Con. *d.* 18. *Vnde resolves.*

1. Non est hæreticus, qui exteriùs tantum fidem negat, aut adorat idolum. Ratio est, quia non errat. Neque talis incurrit in foro conscientiæ censuras latas contra hæreticos, etsi in foro externo secundum externa procedatur. Fill. *t.* 22. *c.* 6. *q.* 4.

2. Est hæreticus, qui affirmativè de alioqui articulo fidei dubitat, hoc est, iudicat esse dubium. Dixi *affirmativè:* quia negativè tantum dubius, hoc est, suspendens iudicium, per se, & simpliciter non est hæreticus, quia non habet iudicium: ergo nec erroneum; modo tamen non ideo suspendat, quod virtualiter iudicet, non liquere de certitudine obiecti. Sà, Azor. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 5. Tol. contra Sanch. & Mald.

3. Nemo est hæreticus, quamdiù paratus est iudicium suum Ecclesiæ submittere, aut nescit contrarium tenere veram Christi Ecclesiam: esto ex

Universidad de Deusto Biblioteca

ignorantia etiam culpabili, & crassâ sententiam suam mordicùs tueatur. Laym. *l. c. n.* 2.

4. Nec est hæreticus, qui ita dispositus est, saltem habitualiter: vt à suo errore esset discessurus, si sciret esse contrarium fidei, dummodò pertinaciam actualem nunquam habuerit. *Ibid.* & Con. *l. c.*

5. Rustici, aliique homines simpliciores in Germania, qui hæretici habentur, & tamen pertinaces non sunt, possunt absolvi à suis Parochis. Ratio est, quia non sunt hæretici formales; habèntque fidem Catholicam in Baptismo acceptam, quæ non perditur, nisi errando pertinaciter. Lay. *l. c.*

6. Cùm hæresis, & quævis infidelitas mortalis sit, peccant quoque mortaliter, qui eius periculo se exponunt, sive conversando, sive conciones audiendo, sive libros legendo; quę proindè, si cui periculosa sint, illicita sunt iure naturæ: si verò periculum absit, lectio librorum hæreticorum nihilominus illicita est, iure positivo Ecclesiæ, vti etiam formalis disputatio Laici de fide. Quod posterius tamen in Germania, locisque similibus, vbi Catholici hæreticis sunt pernixti, abrogavit consuetudo. Azor. Fill. Bec. Sanch. Bonac. *disp.* 3. *q.* 2. *p.* 5.

7. Matrimonium contrahere cum hęretica, etsi per se sit illicitum, habeaturque in Hispania, & Italia mortale, probabile tamen est, ob gravium Doctorum authoritatem, (Sanch. *de matr. t.* 2. *l.* 7. *d.* 72. *n.* 5. Azor. *t.* 1. *l.* 8. *d.* 3. *c.* 3. Reg. *tr.* 2. *l.* 32. *n.* 169. Basilij Pontij *de matr. c.* 6. v. Card. de Lugo, *de Sacramentis in genere, disp.* 8. *sect.* 14. *n.* 220.) in Germania licere, ex gravi causa, salvo tamen iure naturali, & sed moto periculo, tum contrahentis, tum prolis: vndè de iis initio constitui debet, vt Catholicè educentur, v. Bec. *l.* 5. *c.* 19. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 269.

9. Eum qui lapsus est in hæresim, non teneri in confessione explicare, qualis illa sit, eò quod omnes eiusdem speciei sint, docent Reg. Dian. *t.* 1. *tr. de circunst. R.* 46. *citans alios*: & Escob. *Ex* 2. *c.* 6.

Alij tamen contrarium tenent, quos sequitur Card. de Lugo *de pœn. d.* 16. *n.* 288. & *n.* 291.

TRACTATVS II.

De Præcepto Spei.

PEr Spem, quæ est secunda virtus Theologica, intelligitur amor concupiscentiæ erga Deum, quo Deum, & divina, præ omnibus aliis concupiscibilibus, nobis concupiscimus, ita vt omnia potiùs parati simus perdere, quàm Deum, & divina. De hac quæritur, quando eius præceptum obliget.

Resp. 1. Probabile est, præceptum Spei obligare per se, cùm primùm, homini vsum rationis assecuto, Deus, & Beatitudo, tanquam finis, ad quem tendere debet, sufficienter est propositus, ita vt notabili tempore non differat. Ita Bec. *c.* 17. *q.* 7. *n.* 2. Turr. & cæteri comm. Et ratio est, quia sine actu Spei, nec iustificari, nec in iustitia divina persistere, nec meritoriè operari possumus. Schol.

Resp.

Resp. 1. Præceptum Spei per accidens obligat. 1. Quando actus Orationis, Pœnitentiæ, Charitatis, &c. in præcepto sunt, qui sine prævio actu Spei exerceri non possunt. Ita Auth. citt. & Fill. *tr.* 22. *c.* 8. *n.* 255. 2. Quando quis ita tentatur vt periculum sit consensûs, nisi animum spe erigat. v. Fill. *l. c.* 2. Laym. *l.* 2. *t.* 2. *c.* 2. Bon. *d.* 3. *q.* 3. *Vnde sequentes Casus res.*

1. Mortale peccatum est, sperare, sive amare magis (amore concupiscentiæ) terrena hæc, quam cœlestia: v.g. si quis ita comparatus sit, vt desideret perpetuò degere in hac vita, & Deo relinquere cœlum, si sibi relinquat terram.

2. Mortale item est, desperare de consequendo Deo, aut salute, & venia peccatorum, aut mediis ad illam consequendam necessariis, v. g. auxiliis gratię, & emendatione vitę. Quod peccatum ratione parvitatis materiæ non potest esse veniale; cum sit iniuriosum misericordiæ Dei. S. Th. *q.* 20. *a.* 3. Lay. *l.* 2. *t.* 2. *c.* 2. *n.* 3.

3. Mortale etiam est præsumere de misericordia Dei: v.g. cum quis separat id, quod est impossibile secundum legem Dei ordinariam; vt si speres remissionem peccatorum, & salutem sine pœnitentia; vel per proria merita, & vires naturæ: vel etiam si quis statuat perseverare in peccatis, quamdiu benè valeat, & tamē speret se acturum pœnitentiam ante mortem, *S.* Th. *q.* 21. *a.* 1. Laym. *l. c.*

Denique mortale est, odisse Deum (odio scilicet abominationis, seu aversionis) v.g. si Deus displiceat tanquam nobis infestus, propter vindictam peccatorum. v. Laym. *l. c.* Bonac. *disp.* 3. *q.* 3.

TRACTATVS III.

De Præceptis Charitatis.

CAPVT I.

An, quando, & quomodò obliget præceptum Charitatis Dei?

CHaritatis Dei, est amor amicitię, quo Deo bene volumus, & omnia bona ipsi cupimus ob summam, & infinitam eius divinæ naturæ perfectionem.

Resp. 1. Præceptum Charitatis Dei prącipit Deum super omnia amādum. Patet ex Scripturâ. Ratio est, quia finis vltimus plus est diligendus, quàm omnia media, quæ ad eum referuntur: non quidem intensivè, (etsi enim hoc etiam deceat, non tamen est in prącepto) sed appretiativè, ita vt nullam creaturam pluris facias, quàm Deum, velisque potius omnia perdere, quàm Deum offendere, & sic illi male velle, *S.* Th. 2. 2. *q.* 27. *a.* 3. Azor. Sanch. Bec. 2. 2. *c.* 19.

Resp. 2. Probabile est præceptum Charitatis Dei obligare. 1. Quando homo adeptus est sufficientem cognitionem Dei infinitè boni, à quo omnia sua bona habet, & cui omnia debet. Ratio est, quia cum teneatur Deo ex filiali amore tota vita servire, id non videtur posse fieri, nisi eliciat actum amoris. Ita *S.* Thom. *q.* 89. *art.* 6. Nav. Val. & cæt. comm. (Notat autem Con. *disp.*

Universidad de Deusto Biblioteca

24. *d.3.n.* 50. non ſtatim poſt talem noticiam peccare mortaliter, ſed tantùm, ſi differat notabiliter, v.g. vltra annum) contra Palaum, qui dicit probabile eſſe, quòd non obliget. Si ſcrupulus te angat, an præcepto huic ſatisfeceris, docet Eſcob. ex Petro Hurt. 2.2. *di.* 172. *ſ.* 1. §. 24. quòd ſi poſitivè non meminiſti te omiſiſſe, tenere potes, te ſatisfeciſſe. Trull. tamen. *l.* 1. *c.* 5. *d.* 14. *n.* 9. monet expedire, vt quis ſe in confeſſione aliquando accuſet ſub dubio, ſi fortè præceptum iſtud violarit, vel alia præcepta affirmativa, de quibus non certò conſtat, quando obligēt vel violentur. 2. Quando eſt periculum labendi in odium Dei, niſi actum Charitatis elicias. 3. Quando quis tenetur conteri v.g. moriturus, aut celebraturus, cui Confeſſarius deeſt. Ratio eſt, quia contritio includit actum Charitatis. 4. Si quis gravem tentationem, præſertim in articulo mortis, putet ſe aliter vincere non poſſe. Quibus aliqui addunt articulum mortis abſolutè, eò quòd tunc ſecuriſſima via eligenda ſit. v. Laym. *l.* 2. *t.* 3. *c.* 2. Bon. *d.* 3. *q.* 4. *p.* 2. Hurtad. 2. 2. *di.* 174. *ſ.* 6. *d.* 27. Ex *dictis reſolves.*

1. Mortale eſt, ſi quis omittat dilectionem Dei, tunc quando præceptum obligat.

2. Mortaliter peccat etiam, ſi quis amet Deum amore appretiativè, ſeu æſtimativè, minore, quàm creaturas.

3. Peccat item contra Charitatem Dei ſi quis Deum non diligat principaliter propter ſe tanquam finem vltimum omnium rerū; ſed tantùm propter aliud, v.g. vitam æternam, vel ad evitandum infernum. Quod eſſe mortale, docet Sylu. & Nav. quia ſcilicet Deus non diligeretur appretiativè ſuper omnia, ſi aliud ab illo amaretur, vt finis principalis. Addo *principalis* quia vt benè Tolet. *lib.* 4. *c.* 9. Deus propter retributionem vitæ æternæ amari poteſt; ſed minùs principaliter; vt ſcilicet vita æterna vel alia Dei dona ſint tantùm cauſa movens, vt faciliùs, expeditius, & ferventius diligatur.

4. Mortale, & graviſſimum omnium eſt, ſi quis Deum formaliter oderit odio inimicitiæ, ſeu malevolentiæ (amori amicitiæ oppoſito) v.g. ſi optes Deum non eſſe, non habere ſcientiam, potentiam, &c. De his v. Laym. *l.c.* Bon. *l.c.* Sanch. *l.* 2. *c.* 3. & 5. Reg. *lib.* 17.

CAPVT II.

De Præceptis Charitatis erga proximum.

CHaritas proximi præcipit. 1. Ordinem in eo diligendo. 2. Dilectionem inimicorum. 3. Eleemoſynam. 4. Correptionem fraternam. Deinde prohibet. 1. Odium proximi. 2. Scandalum. 3. Ne iniuria, bellum, aliùdve grave damnum, vel malum inferatur. De quo poſtremo agetur in Decalogo; de reliquis hic.

DVBIVM I.

Quis ordo ſervandus inter perſonas, quæ diliguntur?

REſp. 1. Ordine Charitatis quiſque tenetur poſt Deum diligere. 1. Seipſum, ſecundum bona ſpiritualia. 2. Proximum, quoad eadem bona. 3. Seipſum, quoad bona corporalia. 4. Proximum, quoad eadem. 5. Denique ſeipſum, & deindè proximum quoad bona externa. Ita Laym. *l.* 2. *t.* 3. *c.* 3. ex S. Th. & communiter. *Vnde reſolves Caſus ſeq.*

1. Peccat contra Charitatem ſui, qui ſalutē ſuā ſpiritualem, vel corporalem negligit: quod grave eſt, ſi fiat ſine cauſa, & cum gravi damno, v.g. mortis, vel gravis morbi. Trull. *l.* 1. *c.* 6. *d.* 1.

2. Nullius boni conſequendi cauſâ licet peccare, etiam venialiter: quia alis vellet ſibi malum ſpirituale. Lay. *Ibid.*

3. Tenetur quiſque proximo in extrema neceſſitate ſpirituali conſtituto ſuccurrere, etiam cum certo vitæ periculo: dummodò ſit æquè certa ſpes illum iuvandi; neque gravius inde malum imminear; v.g. teneris cum vitæ periculo baptizare, vel abſolvere moriturum, ſi alius non adſit qui faciat, S. Aug. *lib. de mend.* S. Th. *q.* 26. *art.* 5. & 44. Regin. *c.* 4.

Dixi, *in extrema*: v.g. quâ certò putetur moriturus in mortali: quia in gravi tantùm obligatur is, qui ex officio alienam ſalutem curat, vt Parochus; cui ideo non licet fugere tempore peſtis, niſi ſubſtituto æquè idoneo. Valent. & Laym. *l.c.*

4. Ordinariè non licet vitam ſuam poſtponere alienæ. Addo, *ordinariè*: quia licèt, ſi ſit perſona publica, à qua multum pendet: vti etiam pro Repub. pro fide, & religione defendenda, imo etiam pro amico, propter Deum dilecto. Laſſ. *l.* 2. *c.* 9. *l.* 6. Laym. *l.c.*

Reſp. 2. Quoad proximos interſe ſervandus eſt hic ordo. 1. Qui melior eſt, magis diligendus eſt, eâ dilectione, quam comitatur gaudium circa bona poſſeſſa, item honor, cultus, & reverentia. Sic v.g. plus diligendus eſt vir ſanctus, quàm parens improbus. Ratio, quia eſt magis coniunctus cum præcipuo obiecto Charitatis, quod eſt Deus. Item parentes, magis quàm filij, vel vxor; magiſque benefactores, quam ij, quibus benefecimus. Laym. *l.c.* & comm. 2. Appretiativè, & dilectione eâ, quâ alteri optamus bonum nondum poſſeſſum: cum beneficentia, magis diligendi ſunt ij, qui nobis ſunt coniunctiores, quoad ea bona, quę ſunt debita tali coniunctioni, & in quibus hæc fundatur *Vnde reſolves.*

1. In bonis pertinentibus ad naturam, & vitam corporalem conſervandam, ſuccurrendum eſt *extra neceſſitatem extremam.* Primó omnium vxori, quia eſt vna caro cum viro. 2. Filiis. 3. Parentibus, & quidem patri præ matre. 4. Fratribus, ſororibus, deinde propinquis, domeſticis, & familiaribus. Dixi *extra extremam neceſſitatem*, quia in hac parentes, eo quod vitam dederint, præferendi ſunt etiam vxori, & liberis. Laym. *ibid. n.* 5. & 6.

2. In rebus pertinentibus ad civilem communicationem præferendi ſunt concives; in bellicis, commilitones; in ſpiritualibus, ſpirituales filij, patres, fratres. Bannez tamen probabiliter docet, parentes carnales, etiam in ſpiritualibus, aliis omnibus præferendos: quia coniunctio carnalis eſt fundamentum aliarum coniunctio-

ctionum. v. Laym. *hic. l. c.*

DVBIVM II.

De odio, & dilectione inimicorum.

CErtum est, inimicos aliquo modo diligendos, cum sint proximi cum S. Th. 2.2. *q.* 25. *a.* 1. & commun. omnes. Sed quæritur de modo, & an possint odio haberi?

Resp. 1. Quilibet homo saltem privatus, tenetur proximo etiam inimico, communia dilectionis signa & beneficia exhibere ex præcepto; specialia verò ex consilio tantum, nisi aliundè ratio obligationis accedat. Ita comm. cum Laym. *c.* 4. ex S. Th. *l. c. q.* 25. *a.* 8. & 9. Dixi 1. *communia*, qualia secundum Cai. V. *odium*, sunt, quæ Christiano debentur à quovis Christiano in communi, concivi à concive, cognato à cognato. Ratio autem est, quia ista negare, est vindicare iniuriam, quod non licet privato Dixi 2. *nisi aliundè accedat ratio obligationis*, qualis esset, v.g. 1. Timor scandali ex omissione. 2. Spes salutis inimici, vid. Azor. *tom.* 2. *l.* 11. *c.* 3. 3. Necessitas temporalis, vel spiritualis 4. Culpæ deprecatio, & exhibito specialium signorum amoris. Ratio est, quia his casibus, neglectus specialium signorum esset exterior odij declaratio. Laym. *l. c. Vnde resolves Casus sequentes.*

1. Per se loquendo, nemo tenetur ad inimicum diligendum positivo & peculiari actu, neque ad eum salutandum, alloquendum, ægrotum invisendum, mœstum consolandum, hospitio excipiendum, vel familiariter cum eo agendum, &c. quia hæc sunt signa specialia amoris. Fill. *t.* 28. *c.* 1. Dico, *per se*: quia si omisio scandalosa esset, aut per aliquid horum posses sine tuo incommodo, inimicum tibi, & Deo reconciliare, id omittere, esset grave: vti etiam, si inæqualis persona soleret aliũ salutando prævenire; v.g. subditus Prelatum. Layman. *l. c.* 2. Non licet inimicum excludere à communibus orationibus, v.g. oratione Dominica, & quę pro communitate instituitur; nec à cõmunibus eleemosynis, resalutatione, responsione, expositarũ mercium venditione; quia hæc sunt communia dilectionis signa: ideòque contra hæc facere, v.g. cognatos omnes invitare, obvios omnes ex vicinia, vel collegio ex consuetudine salutare, solo inimico excluso, est ex genere suo, & regulariter, mortale. S. Th. Nav. Laym. *ll. cc.* Addo 1. *ex genere suo*: quia si levitas materiæ, aut causa rationabilis excuset, v.g. si pater, vel Superior, filio vel subdito, ob correctionem ea subtrahat ad tempus, leve, vel nullum erit: quia habet ius punièdi. Addo 2. *regulariter*: quia si persona multò maior inferiorem non resalutet, v.g. nobilis rusticum pater filium, non videtur mortale, vt notat Sà. ver. *Charitas.* Bon. *d.* 3. *q.* 4. *p.* 3. v. Azor. 3. *p. l.* 12. *c.* 13.

3. Etsi quivis teneatur inimico veniam legitimè petenti, non tantùm interiùs remittere sed etiam externa remissionis signa ostendere: negat tamen Trull. *l.* 1. *c.* 5. *d.* 5. ex Azor. & Fill. teneri statim postquam offensio est illata, eò quòd sit res violenta, & supra fragilitatem humanam. Non tenetur autem remittere satisfactionem pro damno, si ab eo sit læsus: imò nec eam acceptare si offerat; sed etiam iuridicè potest compensationem petere, dummodò in vtroque casu deponatur odiũ, vt docent Valent. Naur. Lay. *l.* 2. *t.* 3. *c.* 4. Quòd si tamen pœna sit valde gravis, verbi gratia, capitis, mutilationis, neque læso ex ea commodum proveniat, non videtur ea, deprecante altero, sine peccato vindictæ posse expeti. Similiter, si satisfaciat quantum potest, ad id, quod non potest cum vrgere, videtur contra charitatem, vt docet Sylv. & Fill. *t.* 28. *c.* 11. *q.* 9.

Resp. 2. Etsi odium inimicitiæ, sive personę secundum se, & bonorum, quę in se habet, volendo scilicet illi malum vt sic, sive quatenùs illi malum est, ex genere suo sit mortale: odium tamen abominationis, sive qualitas, quo non hominem, sed eius malitiam, vel saltem personam tantùm quatenùs malam, vel nobis noxiam aversantur, sæpè licitum est, vt docet Con. *a.* 29. *d.* 3. & communiter. *Vndè resolves sequentes Casus.*

1. In confessione satis esse, si dicas te grave malum voluisse proximo, nec opus esse explicare speciem mali, v.g. mortem, infamiam, &c. quòd omnia cõprehendantur sub vna ratione mali, Cai. Bon. Turr. Trull. *l.* 1. *c.* 6. docent probabiliter; sed contrarium probabilius docent Suar. & Pal. *t.* 6. *d.* 4. *p.* 1.

2. Licèt proximo velle malum aliquod, v.g. temporale, (dummodò non sit iusto gravius) quatenus id illi bonum est, v.g. morbum, vel adversitatem, vt a peccatis emendetur. Bon. *d.* 3. *q.* 4. *p. vlt.* §. 1. *ex multis.* Cavendum tamen est, ne fiat ex vindicta, ex quasi Psalmum 108. super inimicum tuum legas, peccat mortaliter. Generatim verò, ob bonum spirituale, proprium vel alienum, licèt mala pœnę, inefficaci affectu, aliis velle: quia cum in hoc affectu bonum spirituale præferatur temporali, non est inordinatus, v. Less. *l.* 2. *c.* 47.

Sic licet, v.g. mortem, optare hæresiarchæ, vel publicæ pacis turbatori, ob bonum commune, & multorum, iuxta illud, *Galat.* 5. *Vtinam abscindantur.* Item tristari de eo, quòd dignitates conferantur indignis, vel de sanitate eius, qui ex illa sumit occasionem peccandi. Item mortem, egestatem aut morbum alicuius desiderare, vt cesset à peccatis, & vitam in melius mutet. Eàdem ex causa Bon. Azor. & Palaus, *tit.* 6. *p.* 1. *n.* 11. excusant à peccato matrem, quæ mortem filiarum exoptat, eò quod ob deformitatem vel inopiam commodè, & honestè nuptui tradere non possit. Etsi verò sibi ipsi optare mortem Nav. & cæteri dicant esse mortale; ad evitanda tamen gravia mala, v.g. afflictionem internam, id licere volunt Sanch. Sot. Gran. Dian. *p.* 5. *t.* 14. *R.* 92. 1ta, & Trull. *l.* 1. *d.* 2. *n.* 11. excusat fœminam, quæ sibi (vel alteri) mortem optat ad vitandum gravem infirmitatem, mendicitatem, vitam acerbam, &c. vel alia similia mala à marito, v.g. inflicta, vel infligenda, Mulierculas tamen ob minimas molestias mortem optantes Dian. *loc. cit.* mortalis damnat, nisi (vt plerumque fit) excuset defectus advertentiæ, & deliberationis.

3. Privatus, qui aversus ab alio fugit illum, si id faciat, vt eum suo colloquio,

Universidad de Deusto Biblioteca

loquio, & ſolatio privet, atque ita contriſtet, & malè illi ſit, eſt odium inimicitiæ, & peccatum: ſi verò nihil mali optando, tantùm fugias, qui tuæ naturæ eſt difformis, vel tibi ſolet eſſe moleſtus, eſt odium averſionis, & peccatum, ſi ſit ſine ratione: quale non erit, ſi ſit perſona valdè aſpera, modo abſit contemptus, ſcandalum, & vindictæ cupiditas, v. Bon. *l. c.*

DVBIVM III.

De Præcepto Eleemoſynæ, ſeu miſericordiæ corporalis.

SVppono. 1. Huius præcepti obligationem naſci ex duplici cap. 1. Ex neceſſitate proximi egentis. 2. Ex perſona poſſidentis bona, vel neceſſaria, vel ſuperflua.

Suppono. 2. Duplicem dari neceſſitatem proximi. 1. Dicitur *extrema*, ex qua egenti imminet periculum vitæ, vel etiam gravis, & diuturni morbi, ſecundùm Dian. *p.* 5. *t.* 8. *R.* 1. 2. *Gravis*, ex qua imminet periculum gravis mali vt captivitatis, infamiæ, gravis iacturæ bonorum, vel ſtatûs, vnde fiat, vt difficulter ſe poſſit ſuſtentare; verbi gratia, ſi non poſſit vivere ſecundùm ſuum ſtatum, vel ſi nobilis cogatur alteri famulari, vel artifex, aut vir honeſtus, mendicare. 3. Dicitur *communis*, quâ laborant mendici triviales. Laym. 3. *t.* 2. *c.* 6.

Suppono. 3. Bona neceſſaria, & ſuperflua dici, vel reſpectu vitæ, ſive naturæ, vel reſpectu ſtatus, vel decentis conditionis perſonæ; quo modo ſæculares rarò putant ſe habere ſuperflua, vt docent Laym. & Navarr. *c.* 24. Nam quæ ſunt neceſſaria ad alendos liberos, famulos, honeſtas donationes, convivia, hoſpitum tractationem (qualia tamen non ſunt, quæ ad quemcumque faſtum, & pompam quiſque ſibi requirit) ſpectatis etiam communibus, eventibus, hæredibus, neceſſitate futura, &c. non ſunt ſuperflua.

Reſp. 1. Nemo tenetur dare eleemoſynam ex bonis ſibi ad vitam neceſſariis, niſi eſſet perſona talis, ex qua penderet ſalus Reipub. Eſt communis. Et ratio patet ex ordine charitatis.

Reſp. 2. Probabile eſt, ex ſuperfluis naturæ, & ſtatui teneri aliquem, etiam in gravi neceſſitate, ſuccurrere proximo, ſi probabiliter putet alium non ſubventurum: idque vt Azor. *t.* 2. *l.* 12. *c.* 7. Syl. & Fumus volunt, ſub mortali, contra Medinam, qui vult eſſe tantum conſilij. Ratio eſt, quia cum in Scriptura frequenter damnentur homines ob neglecta opera miſericordiæ, hæc non ſunt reſtringenda ad extremam, & raram neceſſitatem. v. Laym. *loc. cit.*

Reſp. 3. Proximo in extrema neceſſitate teneris ſuccurrere ordinariè, ex bonis etiam aliquo modo ad ſtatum neceſſariis. Suar. Lay. *ex cōmuni*; Satisfacis tamen probabiliter, ſi; des cum onere reſtituendi, quando erit ditior. Vaſq. &c. contra Suar. Con. &c. v. Dian. *p.* 5. *t.* 8. *R.* 5.

Addo *ordinariè*: quia ſi maius damnum æſtimaretur, te excidere tuo ſtatu, quam mors pauperis, non tenereris. Azor. *loc. cit.*

Reſp. 4. Probabile eſt, quòd proximo

ximo in gravi neceſſitate conſtituto quiſque teneatur ſubvenire, cum modico detrimento propri ſtatus: quia parvo ſuo incommodo tenetur magnum incommodum proximi impedire. Laym. *l. c.* ex. D. Th. Bon. *d.* 3. *q.* 4. *p.* 6. *Et dictis collige.*

1. Homines privati non tenentur inquirere pauperes. Vaſq. &c. ſi tamen dubitent de extrema alicuius indigentia, tenentur inquirere veritatem. Sanc. Dian. *p.* 5. *t.* 8. *R.* 39.

2. Nemo tenetur magnam vim pecuniæ dare pauperi, ad pretioſiſſimā medicinam emendam vitæ ſervandæ neceſſariam, vel ad redimendum à periculo mortis. Sà & Con. *diſp.* 27. *dub.* 8. *n.* 135. Et ratio patet ex dictis.

3. Si proximus tantum egeat vſu rei, ſatis eſt illam accommodare, v. g. ſi ab hoſtibus ſpoliato veſtem commodes, vel vulnerato equum, donec domum revertatur. Lay. Bon. *l. c.*

Reſp. 5. In communibus pauperum neceſſitatibus tenetur aliquando dare eleemoſynam, qui habet bona naturæ, & ſtatui ſuperflua. Ita commun D. Th. Suar. Bellar. contra Nav. & Vaſq. qui negant teneri. Ratio eſt; tū quia quiſq̄ tenetur diligere proximum ſicut ſe ipſum: tum, quia alioqui pauperes iſti incíderent in neceſſitatem gravem. Videtur tamen, hæc obligatio tantum eſſe ſub veniali, vt rectè Medina: idque ſi nulla ſit iuſta cauſa negandi, aliàs ſub nullo. Vide. Laym. Bon. *l. c. Vnde reſolvuntur Caſus ſequentes.*

1 Pauperibus trivialibus, etſi ex nuditate, morbo, &c. videantur oſtendere ſigna extremæ neceſſitatis, rarò quis tenetur ex præcepto ſubvenire, etiam de ſuperfluis: tum quia ferè ad movendos ſpectatores iſta neceſſitas exaggeratur; tum quia ab aliis iuvandi præſumuntur. Malder. Vuigers. Dian. *p.* 5. *t.* 8. *R.* 17.

2. Si quis dives & abundans diu neget omnes eleemoſynas, cum propoſito dandi meliore, & commodiore loco, ac tempore vel egentioribus, vel in alium pium vſum convertendi, is non peccat, cùm habeat iuſtam cauſam negandi: ſi verò talis, ſine rationabili cauſa, omnes à ſe pauperes inhumaniter repelleret, eum, dicit Laym. *l. c.* verſari in malo ſtatu.

3. Nulli omninò quantumvis diviti, omnes pauperes ſine eleemoſyna repellenti, facilè neganda eſt abſolutio, tum ob dubium, & diſſenſum DD. de hac obligatione: tum quia vix reperitur, qui cauſam ſaltem apparentem non prætendat, ſi ſuperflua ſe habere fateatur. Laym. *Ibid.*

4. Etſi dicta de eleemoſyna danda, intelligantur reſpectu omniū egentium, etiam peccatorum, infidelium, & inimicorum, damnandi tamen non ſunt Magiſtratus, excludentes à ſuis civitatibus iſta de cauſa, pauperes peregrinos. Laym. *ib.* Trull. *l.* 1. *c.* 5. *d.* 10.

5. Religioſis æquè, ac aliis pauperibus debentur eleemoſynæ: quia eorum paupertas, & neceſſitas eſt vera, & iuſta, tametſi voluntariè contracta, cùm voluntas, & cauſa fuerit rationabilis, & gratia Deo. Lorc. Dian. *p.* 5. *t.* 8. *R.* 18. Aliud eſt de iis, qui ſponte ſua culpabiliter ſunt pauperes, vt vagabundi. *ibid. R.* 19.

Reſp. 6. Eleemoſyna tantùm facienda

Universidad de Deusto Biblioteca

cienda est ex bonis propriis,& quorum quis liberam habet administrationem. Potest tamen fieri ex alienis, quando proximus est in extrema(vel etiam secundùm Less. *l.* 2. *c.* 12. in valde gravi) necessitate,& aliundè succurri non potest:tunc enim omnia sunt communia.In communi verò necessitate,licet tantùm cum consensu domini, tacito vel expresso. v. S. Th.2.2.*q.*32.*a.*7.Regin. 286. Fill. Lay. Bon. *l.c. n.*11.Less. *l.* 2. *t.* 12. *Vnde resolves.*

1. Non licet dare eleemosynam ex bonis obnoxiis restitutioni,v.g.furto ablatis; licet, tamen ex adquisitis per opus illicitum (sed non cum iniustitia) v.g. ex lucro meretricum.Ratio est, quia hæc sunt propria;priora non. Bon. *ibid.*

2. Pueris,filiis familias,servis,ancillis,vxoribus,non licet dare eleemosynam, nisitenuem, in qua parentum, dominorum, & maritorum voluntas præsumitur.Particulares veró casus,in quibus vxor dare potest,vide suo loco præcepto 4. *&* 6. *c.* 1. *d.* 4. v. Bon. *di.* 3. *q.* 4. *p.* 6. Dian.*p.* 5. *t.* 8. *R.* 25. vbi ex Hurt. notat si pater nullas det eleemosynas,posse pro eo dare filium.

3. Tutores, & Curatores, & qui habent curam bonorum alienorum, possunt facere modicas eleemosynas ex bonis quæ administrant, quales nimirùm ipsi facere deberent, quorum sunt, Vasq. Azor. Con. Dian. *p.* 5. *t.* 8. *R.* 35.

DVBIVM IV.

De misericordia spirituali, seu præcepto correptionis fraternæ.

CORreptio fraterna,est admonitio, qua quis proximum conatur revocare à peccato. De qua certum est; præceptam esse iure tum naturali,quo membra vnius corporis se mutuò iuvare tenentur, tum divino positivo Matth.18.*Si peccaverit in te frater tuus, corripe ipsum.* Bec. 2. 2. *cap.* 21. Laym. *l.*7.Fill.Bon.*p.*7.Quæritur autem,quæ sit eius materia, quos & quomodo obliget?

Resp. 1. Omne mortale peccatum proximi, per se est sufficiens materia, vt hoc præceptum obliget sub mortali. Ita communiter. Et ratio est, quia cùm vitam spiritualem proximi tollat, sufficientem necessitatem correptionis inducit. Dixi 1. *omne mortale:* quia etsi etiam veniale sit materia correptionis, non tamen graviter obligans;nec nisi facillimè possis. Dixi 2. *per se:* quia si quis ob timorem, verecundiam,pusillanimitatem, putet se non ita strictè obligatum, vel minus esse idoneum ad corripiendum, videtur tantùm peccare venialiter:vid.S.Tho.2.2 *p.*32.*a.*2.& cæteros suprà cit.

Resp. 2. Præceptum hoc obligat concurrentibus his circunstatiis. 1. Si certò cibi constet de peccato proximi: indagare enim tenetur solus Superior. 2. Si probabile sit non emendasse, nec emendaturum, vel relapsurum: quia eleemosyna, egenti tantùm danda est. 3. Si alius æquè idoneus non adsit,qui correpturus putetur.4. Si sit spes fructus,quia desperato fine,cessant media. 5. Si bona occasio, locus, & tempus opportunum, possisque sine tuo gravi damno facere. Quòd si horum aliquid desit, præceptum non obligat. Vndè patet, eius omissionem in privatis,vel nullam esse, vel levem. v. Bon. *l. cit.*

Resp.

Resp. 3. Etsi hoc præceptum obliget omnes, etiam subditos;magis tamen Prælatos. Ratio prioris est, quia omnes sunt commembra, teneturquè sibi externa officia Charitatis præstare. Ratio posterioris est, quia subditi tantùm ex Charitate. Prælati veró etiam ex officio, & iustitia tenentur. Vndè peccare possunt etiam graviter,veniales culpas non impediendo,si vigor disciplinæ per hoc minuatur. Eademque fere est ratio de patrefamilias præsertim erga liberos, Laym.*l.c.num.*5.Pal. Trull. *l.* 1. *c.* 5. *d.* 13. *&* 15. *& cateri.*

Resp. 4. Ordo in correptione servandus est, quem Christus præscripsit, *Matth.* 18. scilicet.1. Vt corripias privatim: deindè coram testibus: tum ad Prælatum Ecclesiæ, sivè Superiorem deferas.Excipe tamen.1.Nisi præstet Superiori,viro probo & prudenti, quàm aliis testibus innotescere; provt cautum est *in regula S. Aug.* 2. Nisi peccatum sit publicum, tunc enim potest publicè corripi. 3. Nisi vergat in grave damnum tertii aut communitatis, si Superiori non statim innotescat; v.g.si quis proditionem moliatur,heresim occultè spargat:tunc enim immediatè Superiori indicandũ, quia commune bonum præferendum est privatio, Fill. *t.* 28. *c.* 7. *n.* 149. *&* 155. 4. Quando corripiendus est contentus,vt Superiori statim significetur; vt est apud quosdam religiosos, qui quoad hoc iuri suo renunciarunt. v. Suar.Bec. Laym. hic Sanch. Fill. *l. c.* *Ex dictis resolvitur.*

1. Qui facilè potest impedire peccatum mortale proximi, & ob mali temporalis amorem neglexit, peccat mortaliter. Ita Layman. Suar. Sanch. *l.* 6. *mor.c.*18. vid. Palaum hic.

2. Si certò constet fratrem perfectè emendasse peccatum occultum, nec ex eo esse vllum periculum relapsus,vel damni, ipsi aut alteri,non licet (etiam in Soc. Iesv) denunciare Patri vel Prelato,nisi frater expressè in istam denunciationem consentiat. Sanch. 2. *mor. l.* 6. *c.* 18. *nu.* 40. &. 60. Pal. *de char. t.* 6. *d.* 3.*p.* 12. Fill. Trull. *l.* 1. *c.* 5. *d.* 14. Suar. Hurt.*d.* 163. & denique C. Lugo, *Resp. mor. l.* 4. *d.* 46.vbi tamen notat, in Soc. Iesv casum esse ratissimum. Ratio autem est, quia cessat motivum charitatis, atque adeó ratio denunciandi;ideòque est peccatum,& quidem, vt C.Lugo *l. c.* notat ex Suar. mortale ex genere suo, v. infrà *l.* 4. *c.* 3. *d.* 5. & Dian.*p.* 4. *t.* 4. *R.* 71.

3. Si Superior immediatùs se solo possit delinquentem emendare, itavt nullum periculum damni,vel relapsus, ipsi, vel alteri, vel communitati imminear,videtur peccare manifestando Superiori mediato delictum. Palo. *l. c.* Trull. *d.* 16. *n.* 1.

4. Prælati & Magistratus tenentur aliquando inquirere subditorum peccata, vt corripiantur: non tamen multum,& curiosè de aliquo in particulari rogare debent, nisi is speciale eius signum dederit: neque facilè admittere accusatores spontaneos, quia illi specie boni communis sepe se quærunt. Hurt. &c. Dian. *p.*7. *tr.*13. *R.*10. *&* 12.

5. Episcopi,Prælati Religiosorũ, Pastores animarum tenentur etiam cũ suo incommodo, imò aliquando cum vitæ periculo, adhibere diligentiam,

quam

quam possunt, vt peccata publica, & occulta impediant; quia cum Christo pacti sunt curam, & sollicitudinem gregis, pro qua multa ab eo bona accipiunt. Hurt. *t.* 2. *d.* 162. *sec.* 7. §. 60. (apud Dian. *p.*7. *tom.*3. *R.* 28.) atque hanc esse omnium Patrum & Theologorum doctrinam, quam Christus verbo, & exemplo docuerit: additque idem esse de Magistratibus, & concionatoribus. Licèt verò hi non teneantur ad id ex iustitia, (sicut Prælati, & Magistratus) tenentur tamen peccata publica corripere, (sed non facilé Prælatorum, & Religiosorum, quorum authoritas ob bonum commune est necessaria) etiamsi non sit spes emendationis. Con. Hurt. Dian. *l. c. R.* 13.

6. Correptio adhibenda est, non statim sed dum maior fructus speratur. Hinc interdum permitti potest reiteratio peccati, vt ferventiùs resipiscat, Dian. *p.*7. *t.*3. *R.*29. & 30. ex Reg. Fill. Trull. Neque sufficit semel esse factam correptionem, sed debet iterum, iterumque fieri, quandiu speratur fructus. *Ibid. R.* 32.

DVBIVM V.

De scandalo.

ARTICVLVS I.

Quid, quotuplex sit, & quale peccatum.

RESp. 1. Scandalum, dicitur peccatum occasionatum, & est duplex; Activum, & Passivum. Activum, est dictum, vel factum (quo nomine etiam omissio intelligitur) minùs rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis. Ex S. Thoma. 2. 2. *q.* 43. *art.* 1. Sanch. Azor. Laym. *c.*13. Bon. *d.*2. *q.* 4. *p* 2. Dixi *minùs rectum*, hoc est, quod vel in se malum sit, vt si loquaris turpia coram adolescente; vel mali speciem habeat, vt si iusta de causa coram aliis eam ignorantibus, comedas carnes die vetito. Scandalum activum, aliud est per se tale, aliud per accidens. Per se dicitur, quando directé intenditur alterius ruina; id est, si ideó aliquid fiat, vt aliquis ad peccatum inducatur: v.g. si adulter alienam sollicitet ad adulterium. Per accidens dicitur, quando indirecte, & interpretativè tantùm causatur alterius peccatum: vt si quid facias, quod tibi in mentem venit, aptum natum esse ad inducendum alterum hic, & nunc ad peccatum, & nihilominùs facis, vt si coram pusillis pecces, vel die vetito carnes comedas, non dicendo quod habeas veniam. Item si Clericus domi suæ alat mulierem populo suspectam, estò absit omne peccatum, & peccandi periculum. Vid. Sà *V. Clericus.* Laym. Bon. *l. c.* Scandalum passivum est ipsa ruina, sive peccatum, in quod labitur proximus, ex occasione alterius dicti, vel facti. Quod dividitur in datum, seu pusillorum, quod oritur ex activo: & in acceptum, quod non oritur ex activo, sed ex ipsius sumentis malitia; quale erat odiū, & invidia Pharisæorum in Christum, occasione eius dictorum, vel factorum: vnde hoc dicitur Pharisaicum *Ex his patet.*

1. Ad scandalum activum non requiri, vt de facto passivum ex eo sequatur; sed satis esse, quòd data sit occasio, ex qua naturâ suâ sequi possit: vt si quē inducere velis ad peccatum, qui tamen non consentiat, sicut etiam è contrà, passivum potest dari sine activo. Laym. *Ibid.*

2. Scandalum Passivum non esse speciale peccatum, neque addere circunstantiam aggravantem: v.g. qui viso alterius furto etiam furatur, non ideò peccat graviùs. Laym. *ibidem.*

3. Non semper esse scandalum, si pecces coram aliis, sed tantum quando attentis omnibus circunstantiis, tam personę agentis, quàm coram quibus fit actus, potest probabiliter timeri, ne per hunc actum trahātur ad peccatum, qui aliàs peccaturi non essent. Sanch. Laym. *l.* 2. *t.* 3. *c.* 13.

4. Omne scandalum activum directè intendens ruinam proximi, esse speciale peccatum contra Charitatem, habet communis sententia. An veró idem sit quando intenditur indirectè, controvertunt Scholastici, & parùm refert ad praxim Sanch. *l.* 7. *c* 6. & 9. Azor. 1. *p. l.*4. *c.*7. Bon. *l. c. Vnde resolves hos Casus.*

1. Mortaliter peccat, qui alteri dat occasionem ruinæ mortalis, nisi indeliberatio excuset, & sic opus indifferens, vel veniale sæpè transit in mortale ratione scandali, v.g. si iocosum verbum proferat Religiosus coram fœminis, vel iis, qui indè occasionem peccati mortalis sumere possunt. Layman. *l. c.*

2. Venialiter peccat ratione scandali, qui alteri dat occasionem ruinæ venialis tantùm. Quod verum est, etsi directè illam intendat, & quidem peccatum mortalem. Sanch. *l.* 1. *c.* 6. *n.*11. ex communi; contra Suar. Ratio autem est, quia ruina est parva. Et patet à simili, vt si quis per fornicationem intendat furari rem minimam, furtum tantum erit veniale.

3. Scandalizans committit pręter peccatum scandali: etiam peccatum eius speciei, ad quod alterum inducit; ideòque confiteri debet speciem peccati mortalis per quod, & ad quod induxit, cum numero inductorum, vel qui probabiliter induci potuerunt. Sanch. Azor. Laym. Bon. *l. c.* Card. de Lugo *de pœnit d.* 16. *s.* 4. Dian. de Sacr. *t.* 2. *t.* 4. *R.* 114. Excipit tamen Card. de Lugo. *l. c.* si præter intentionem scandalum dederit. Tamb. *de exped. conf. l.* 2. *c.* 1. *n.* 9. ait, quoad inductos sufficere si dicas. Fui multis occasio peccandi meo exemplo Vid. infrà *l.* 3. *t.* 6. *c.* 1. *d.* 2.

4. Etsi is, qui scandalizavit alios, teneatur illis rursus dare bonum exemplum, vt inquit Sà: Si quis tamen nudo exemplo suo alios ad furtum induxit, neque alio peculiari modo, v.g. exhortatione, consilio, mandato est cooperatus, non tenetur ad restitutionem; quia talis inductio est tantum contra Charitatem, non contra iustitiam. Idem docet esse Less. si cum Caio, v.g. potites ea intentione, vt ipse, consumptis pecuniis, furetur. Vid. Less. *c.* 9. *d.* 2. *n.* 113.

5. Non censetur dare scandalum, qui licèt publicè peccat, facit id tamen coram iis, qui vel sunt ita viles, vel infames, aut improbi, vt nemo moveatur ad peccatum; vel qui sunt ita probi, v.g. si quis fornicetur coram aliis,

aliis, qui parati sunt idem facere, nec eius exemplo moventur; vel si coram mansuetis quis contendat, rixetur, vel alium cædat Sanch. 1. *mor. c. 6. n. 6.*

6. Non ideò factum aliquod est scandalum, quia alius incipit de tali homine malè suspicari, aut sentire; quia hic non peccat, si ob sufficientia indicia suspicetur. Secùs tamen est, si incipiat malè sentire de fide Catholica, Clero, Ordine Religioso, vel minùs ad pietatem affici. Vndè patet faciliùs dari scandalum ab iis, qui sunt in magna auctoritate, vel pietatis existimatione, quàm ab aliis. Con. *d.* 32. *num.* 33.

ARTICVLVS II.

An, & quando scandalum Passivum permitti possit, aut ob illud vitandum, aliquid omitti debeat?

Resp. 1. Permitti non potest absque necessitate, vel vtilitate propria vel aliena. Ratio est, quia tenemur ex Charitate impedire peccata proximi, si facilè possimus. Lay. *c.* 23. ex commun. *Vndè resolvitur hic Casus.*

Absque causa non licet petere mutuum ab vsurario, vel ab infideli iuramentum per falsos Deos, à concubinario administrationem Sacramenti, vel vt celebret: cum enim absque peccato id non sit facturus, cooperareris eius peccato. Suar. Sanch. Trull. *l.* 1. *c.* 6. *d.* 5. *n.* 15.

Resp. 2. Ex causa necessitatis, vel vtilitatis, potest permitti. Patet in dicto casu, qui simpliciter sine peccato fieri potest: ideòque licèt talia petere ex rationabili causa, etsi alter ex sua malitia sit peccaturus. Requiritur autem maior necessitas, vt permittatur scandalum pusillorum, quàm Pharisaicum. Item maior, si plures sint scandalizandi, si timeatur peccatum grave, & denique, si certò, prævideatur, quàm aliàs. Laym. *l.c.* Bon. *d.* 2. *q.* 4. *p.* 2.

Resp. 3. Debet permitti, si alioqui propria salus periclitaretur, vel aliis, præsertim communitati, grave damnum immineret. Vndè bona spiritualia necessaria ad salutem, nec debet, nec potest quisquam dimittere ob cuiusquam scandalum. Fill. *l.* 28. *c.* 6.

Resp. 4. Bona spiritualia, (& secundùm Lorcam apud Dian. *p.* 5. *t.* 7. *R.* 24. etiam temporalia) non necessaria ad salutem, non tenetur quis omittere, vel differre, ob scandalum Pharisaicum, iuxta illud Math. 15. *Sinite illos, &c.* nisi tamen ex dilatione, fructus sperareturr. Facilius verò ac sæpius talia bona differenda, vel etiam omittenda sunt, ob scandalum pusillorum: v.g. ingressus religionis debet differri ob scandalum parentis, si consensus illius brevi speretur. Laym. *l. c.*

Resp. 5. Ad vitandum grave scandalum pusillorum, quædam præcepta impleri non debent, nisi tamen omissio esset magis damnosa ommittenti, vide Lay. *l.* 2. *t.* 3. *c.* 13. Ratio huius est; quia tunc concurrente duplici præcepto, scilicet naturali de cavendo scandalo, & positivo, maius, & fortius est naturale. *Ex dictis resolvuntur Casus seq.*

1. Prelati Ecclesiastici non tenentur, (imò nec possunt) ea, quæ ad bona Ecclesiæ conservanda, sunt necessaria, v.g. lites, &c. omittere ad vitãda scandala Pharisaica, imò etiam pusillorum: etsi his priùs reddi debeat ratio rectitudinis. Dian. *p.* 5. *t.* 7. *R.* 24. ex D. Thom. &c.

2. Si fœmina vtatur veste virili, vel contrà, tantùm ex levitate, sine pravâ intentione, aut periculo scandali, & libidinis, veniale tantùm erit, aliàs mortale, nullum verò, si ex necessitate. Dian. *p.* 5. *t.* 7. *R.* 32. ex D. Th. Sylv. &c.

3. Peccatum, ex quo Confessarium in confessione (ex infirmitate tamen) graviter scandalizandum nosti, debes reticere. Laym. *l. c.* ex Nav. &c.

4. Vxor semel, vel iterum debet omittere ieiunium, ex quo maritus graviter offendetur, & orietur discordia. *Ibid.*

5. Si ituro te ad sacrum die festo, excitanda sit gravis rixa, vel cœdes, non teneris ire. *Ibid.*

6. Superior peccata subditi sæpè potest dissimulare, ad vitandas turbas, & maiora mala, quæ alioqui teneretur punire.

7. Mulier, quæ scit in se, vel in sui aspectu aliquem in particulari scandalizandum, mortaliter peccat, si datâ operâ ei se cõspiciendam offerat: ideòque potest, & debet, non tantùm publico, sed etiam sacro abstinere die festo, semel aut iterum, ad peccatum illud evitandum. Dixi *aliquem in particulari*: quia ob timorem scandali alicuius ex communitate in genere, vel etiam plurium, abstinere nimis esset difficile, & plenum scrupulis. Dixi 2. *semel aut iterum*: quia sæpè, nimis esset grave, & durum, Bon. Sanch. Layman. *l. c. n.* 10. & alij, v. Dian *p* 5. *t.* 7. *R.* 21. & 22. vbi in contrarium citat aliquos Authores negantes obligationem prætermittendi rem præceptam ad evitandum aliorum scandalum.

8. Mulier, quæ ex ornatu, etiam conveniente suo statui, probabiliter prævidet aliquem in particulari lapsurum mortaliter, tenetur ad breve tempus eum dimittere, aut talis conspectum fugere. Dixi *ad breve tempus*: quia ad longum nimis illi grave foret. Vid. Dian. *l. c.*

9. Si verò idem timeretur in particulari ex ornatu superfluo, vano, & inconvenienti (quem assumere vanitatis, & placendi causa, vt videatur pulchra, & procum faciliùs inveniat: secluſis aliis, non nisi veniale est,) teneretur eum omninò dimittere, etiam sub mortali: quia nullum habet ius ad illum ornatum: & ex altera parte tenetur vitare peccatum alterius, quando commodè potest. Vid. Sylv. V. *ornatus.* Alij tamen, vt Cai. Nav. *c.* 23. videntur docere, eam tantùm teneri sub veniali, (sed minus probabiliter, quando in particulari lapsus prævidetur, & brevi tempore abstinendum est) qui etiam cum Azor. Less. & Bon. excusant à mortali eas, quæ ex consuetudine loci media vbera detegunt, fuco, pigmentis, alienis crinibus vtuntur: dummodo non aliorum lasciviam, sed tantum maiorem pulchritudinis ornatum intendant, absque alio fine mortali, aut lege particulari id sub mortali prohibente. Addunt tamen fore grave, & mortale

Universidad de Deusto Biblioteca

mortale peccatum, huiuscemodi morem detegendi pectus, vel tenuiter tantum tegendi, vbi non est, introducere. Nav. *n.* 19. Less. 112. Lay. *l.c. &c.* Vid. Bon. *de matr. q.* 4. *p.* 9. *n.* 17.

10. Si mulier non in particulari, sed in genere tantum, aliquos in se scãdalizandos putet, modò eorum lasciviam non intendat, nec ei placeat, (licèt ei placeat, quod laudetur vt formosa) non videtur teneri abstinere ab illo ornatu, etiam superfluo, sub mortali; v.g. fucando faciem, imò etiam denudando ex communi consuetudine pectus: nisi tamen denudatio, vel ornatus esset valdè turpis per se, ac directè ad libidinem provocans. Ratio est, tum quia est scandalum potius acceptum, quàm datum; & ornatus ille, ac pulchritudo remotè tantum ad peccatum provocat, vt docent. Laym. & Bon. tum quia nimis grave esset isti sexui, præsertim si maritum quærãt, perpetuò sic abstinere; cum illa occasio sit vniversalis, & perpetua; nec formosiores vnquam licitè irent foras, cùm pulchritudo naturalis plus noceat, quàm artificialis. Plura de hac re vid. apud Dian. *t.* 1. *misc. R.* 30. Bardel. *l.* 3. *d.* 5. *n.* 13. Interim fœminam nudum pectus gerentem non mala intentione, etsi quidam excusent à mortali, ego tamen, inquit Sà, difficilè absolverem. Et certum est, quod Confessario incumbat huiusmodi ornatum dissuadere, & deterrere ab eo. Vid. Sà. V. *ornatus, &c. l.c.*

11. Peccant etiam graviter, qui componunt, describunt, repræsentant, vel pingunt turpia, & ad libidinem provocantia. Bon. Sanch. & Fill.

Resp. 6. Potest aliquando permitti proximi ruina, quando is paratus est ad malum, & alter non intendit vt peccet, sed tantùm non auferendo occasionem, permittit vnum peccatum, ne fiant plura, ita vt permissio sit impeditiva maioris mali. *Vnde resolves.*

1. Hero licet non auferre occasionem furandi filiis, aut famulis, cùm eos nihilominus ad furandum propensos, & paratos novit, vt sic deprehensi puniantur, & resipiscant, tunc enim rationabiliter permittit furtum vnum, vt evitentur plura. Sanch. Laym. Bon.

2. Probabile est, non licere talia vltrò ponere, aut ijs obijcere: quia positivè concurreret ad peccatum; & non tam auferret occasionem, quàm poneret. Sà V. *peccatum*, & Sanch. qui ex eadem causa docet non licere marito dare vxori ansam adulterandi, vel adultero, vt tentet vxorem. Interim probabiliter contrarium docet Lay. *l.* 2. *t.* 3. *c.* 13. Quod confirmari potest exemplo Iudith, quæ vix aliter videtur fecisse *c.* 9. Cùm enim sciret permissionem libidinis in Holoferne fore impeditivam malorum, posuit ei occasionem, nempe ornatum suum, alioqui licitum, & tamen communiter censetur in hoc non peccasse. Vid. Bon. *d.* 2. *q.* 4. *p.* 2. Pal. *hic.*

ARTICVLVS III.

An liceat alterius peccato materialiter cooperari?

Resp. Cooperari tantùm materialiter, subministrando tantùm materiam, & facultatem peccandi, vel exhibendo obiectum, licet; si sequentes conditiones adsint. 1. Si tuum opus, vel

vel cooperatio sit secundùm se bona, vel saltem indifferens. 2. Si bona intentione, & rationabili ex causa fiat, & non vt iuves alterum peccare. 3. Si alterius peccatum impedire nequeas, aut saltem non tenearis propter causam rationabilem. Circa quam notat Sanch. & Laym. etsi eius gravitas certâ regulâ definiri nequeat, sed prudentis iudicio metienda sit; tantó tamen graviorem requiri. 1. Quantò gravius est peccatum, cuius occasio datur. 2. Quantò probabilius est, te non cooperante alterum non peccaturum; aut quantò certior est affectus peccati. 3. Quantò propinquiùs tua cooperatio peccatum attingit. 4. Quantò minus iuris habes ad tale opus. 5. Denique quantò magis peccatum cum iustitia pugnat, idque propter damnum tertij. Laym. *l.* 2. *t.* 3. *c.* 13. *Vnde resolves hos Casus.*

1. Hoc modo licitè materialiter cooperatur sponsa contrahens cum spõso, quem scit Sacramentum accipere in peccato mortali: Sciens verò eum habere votum castitatis, peccat contrahendo cum ipso, quia ad contractum illicitum concurrit. Laym. *loc. cit.* ex Sanch. *lib.* 7. *de matr. d.* 11. *n.* 11.

2. Licitè quoque post matrimonium contractum materialiter cooperatur coniux, si coniugi obstricto voto castitatis reddat debitum; imò ad id tenetur ex iustitia, si eum exigentem non possit à proposito evocare. *Ibid.*

3. Similiter Parochus Eucharistiam licitè potest, & debet ministrare peccatori, & excommunicato, & hæretico, occulto, si petat publicè: imò Confessarius præbere debet petenti etiam privatim, si ex sola confessione eius peccatum novit *Ibid.*

4. Excusantur à pëccato famuli, si ratione sui famulatus præstent quædam obsequia, quæ sine gravi suo incommodo negare non possunt; vt v.g. vestiant Dominum, sternant equum, comitentur ad lupanar, meretrici deferant munera, eidem venienti aperiant ostium: quia hæc tantùm remotè se ad peccatum habent, & sine iis peccatum fieret. Vndè tamen non sequitur, alteri cuivis licere ea prestare. Bon. *p.* 11. *n.* 26. Azor. *t.* 2. *l.* 12. *c. vlt. q.* 8. Lay. *l.* 2. *t.* 3. *c.* 13. Sanch. *l.* 1. *mor. c.* 7. *n.* 21.

5. Ad ea opera, quæ propinquiùs se ad peccatum habent, aut invant, v.g. subiicere humeros, admovere scalas hero per fenestram ascendenti ad concubinam, deferre litteras amatorias ad meretricem, comitari ad duellum, &c. non sufficit communis ratio famulatus, sed exigunt maiorem necessitatem, & causam, vt licitè fiant; v.g. periculum gravis, aut saltem notabilis damni, si detrectent. *Ibidem.*

6. Ob simile periculum excusantur vt plurimùm caupones, & popæ in locis, vbi Catholici vivunt mixti hæreticis, qui ministrant, aut vendut carnes die ieiunij comesturis: item vinũ ebriosis, dum postulant, etsi sciant eos à peccato non excusari: quia plerumque peccatum æquè fieret, subministrantibus aliis, & ipsi damnum notabile paterentur, dum paulatim nemo ad eos veniret. Sanch. *l.* 1. *c.* 7. Bon. &c. Quòd si tamen hæ rationes non adessent, non excusarentur. Vnde non licet ea patrifamilias (vti nec cœnam die ieiunij) ministrare suæ familiæ; neque cauponi illi, præter quem non sunt alij: nisi tamen alia gravior causa cogeret. *Ibid.*

7. Ea quæ ad peccatum proximè

Universidad de Deusto Biblioteca

concurrunt, vel inducunt, vel cum iustitia pugnant, etsi ex genere suo sint indifferentia, v.g. hero alterum occisuro gladium dare, ostendere illum, qui ad necem quæritur, compulsare campanam (sine scandalo tamen) ad concionem hæreticam, meretricem, etsi conductam, ac paratam, è domo evocare, & ad herum deducere, furi scalam applicare, gerenti iniustum bellum dare mutuas pecunias, pagum hæretico domino vendere, gravissimam causam requirunt, hoc est metum tanti mali, quod secundùm leges charitatis nemo teneatur subire, ad evitandum malum alterius, v.g. si aliás occidendus esset. Laym. *c.*23. *n.*4.

8. In Civitatibus, in quibus id vitandi minoris mali causa permissum est, licet domum locare vsurario, (excipitur tamen ius alienigenarum) & meretricibus: maximé si alij conductores desint; nisi tamen meretrices graviter nocerent vicinis honestis, vel ob situm ansam maiorem darent peccatis. Sanch. 1. *mor. c.* 7. Bon. *l. c.*

9. Excusantur à mortali; imó etiam venialí, si causa adsit; artifices, qui faciunt, aut vendunt res indifferentes, quibus quis bene potest vti, licèt plurimi abutantur, v.g. aleas, fucos, gladios. Ratio est, quia remotè tantùm ordinantur ad peccatum, & simpliciter impediri nō possunt. Quod si tamē abusurus esset cōtra iustitiam, non liceret; v.g. si occisuro dares gladium ob magnum pretium, quod offert. Item, si quis sciat hunc innocentem non pervertendum, nisi per has suas merces: quia modicum lucrum certæ saluti alterius est postponendum. Sanch. *l. c.*

10. Excusantur etiam, qui ob iustam causam vendunt agnum Iudæo, vel infideli vsuro ad sacrificium: Item, qui Iudæorum Synagogas, Hæreticorum Templa, legitimo Magistratu permittēte ædificant, vel restaurant; præsertim si fieret æquē sine ipsis Navarr. *l.* 5. *cons.* 1. *de Iudæis.* Laym. *l.*3. *t.*3. *c.* 13. *n.* 4. Venena autem vendere, nisi ijs qui bene vsuri putantur, v.g. ad confectionem colorum, vel medicinam, non licet. Vid. Sanch. 1. *moral. c.* 7. Vnde venditio veneni, quod non servit nisi ad hominis occisionem, simpliciciter est mala.

11. Christiani captivi ex gravi metu in triremibus Turcarum, vel Hæreticorum licitè remigant contra Catholicos; sarcinas, machinas, arma ad bellum necessaria convehunt, propugnacula ædificant, &c. Ita probabiliter Less. Sanch. Suar. Laym. *l.* 2. *t.* 3. *c.*13. contra Tol. & alios, qui docent peccare mortaliter. Quod si tamen eo loco res esset, vt hæc negantes magno periculo classem Christianam eriperent, vel victoriam conferrent, tenerentur tantū bonū vitæ suæ anteferre. Suar. Less. Sanch. *l. c.*

12. Incolæ Vrbis, vel Provinciæ, quam Tyrannus occupavit, licitè manent inter iniquos possessores, eosque cogente imperio, iuvant excubiis, fossione, contributione; idque ex legitimi Principis præsumpto consensu: ex quo etiam talia obsequia licitè promittunt cum iuramento, ad maiora mala sua, & legitimi Principis declinanda. Laym. *l. c. n.* 5.

13. Nautæ, & aurigæ Catholici in Hollandia, etiam sine gravi metu, si absit prava intentio, licitè vehunt annonam ad castra hæreticorum, si adsint alij, qui illis cessantibus facerent: quia nisi id faciant, excludentur omni lucro tanquam osores boni publici. Vid. Less. *l.* 2. *c.* 19.

2. *c.* 19. Sanch. *l.* 1. *c.* 7. Fill. *t.* 22. *c.* 5.

LIBER III.

DE PRÆCEPTIS DECALOGI, & Ecclesiæ.

TRACTATVS I.

De primo Præcepto Decalogi.

HVius præcepti, provt est affirmativum materia propria, sunt actus virtutis Religionis. Est autem hæc virtus moralis qua interior, & exterior cultus Deo debitus exhibetur. Actus eius internus est animi submissio, qua infinitam Dei excellentiam veneramur. Externus est, quo internum testamur, vt oratio, sacrificium, &c. de quibus vid. Schol. 1. 2. & 3 *parte.* Provt verò est negativum, prohibet vitia Religioni opposita: quæ quia opponuntur virtuti inter morales præcipuæ, sunt peccata (post ea quæ contra virtutes Theologicas cōmittuntur) gravissima, & ex genere suo mortalia. Sunt autem duplicia: alia quę opponuntur per excessum, vt superstitio cum suis speciebus: alia per defectum, vt irreligiositas cum suis.

CAPVT I.

De superstitione, & speciebus eius.

CAPVT. I.

Quid sit; & quotuplex?

REsp. 1. Superstitio est falsa religio, seu cultus vitiosus veri, vel falsi Numinis. Less. Et convenit cum definitione communi ex S. Thom. quam dicit, esse vitium, quod Religioni opponitur secundùm excessum. Dicit *per excessum:* non quod Deus nimiùm coli possit, aut maiore honore quam dignus sit; sed id intelligitur secundùm circunstantias; eo quòd exhibeat cultum, vel quem non debet, vel eo modo quo non debet, vel illi cui non debet.

Resp. 2. Superstitio est duplex: alia cultus indebiti, sive incongrui, quo verus Deus, sed modo indebito colitur, tribuendo ei cultum falsum, & perniciosum, vel superfluum, qui nimirum sit contra, vel præter Ecclesiæ consuetudinem ac præscriptum. Alia est ratione rei cultæ; cum scilicet cultus Deo debitus, falso Deo, vel creaturæ defertur. Et hæc subdividitur in Idololatriam, Divinationē, & Vanam observātiam; ad quam Magia, vel revocatur, vel potiùs quartam speciem constituit. Laym. *lib.* 4. *to.* 10. *c.* 1. ex S. Th. *q.* 92. *art.* 2. *Ex quibus resolves.*

1. Superstitionem cultûs falsi committit. 1. Qui Deo nunc offert cultum per ceremonias veteris legis, v.g. circumcisionem, immolationem agni, &c. quia significant Christum adhuc venturum, & nondum venisse. 2. Laicus, qui Deum colit tanquam publicus Minister Ecclesiæ, v.g. sacrificando, absolvendo. Quod semper esse mortale docet Suar. *de rel. l.* 2. *de superstin. c.* 2. 3. Is qui sua auctoritate proponit aliqua facienda, tanquam ordinata ab Ecclesia, ad Dei cultum. 4. Qui falsas reliquias proponit, vel miraculum factum esse per aliquam imaginem, vel se habuisse has, vel illas revelationes fingit, sive ad faciendum lucrum, sive ad devotionem augendam. 5.

Qui vt populum moveat, fingit miraculum aliquod, vel historiam reperiri in Scriptura Sacra; &c. Et hæc superstitio, etsi sit ex genere suo mortalis, quia primæ veritati iniuriam irrogat & religionem fundat in mendaciis: sæpè tamen excusatur ignorantiâ, vel simplicitate. Less. *l.* 2. *c.* 43. Sanch. 2. *mor. c.* 37. Nav. *c.* 12. Laym. *l. c.* Bon. *d.* 3. *q.* 5. *p.* 1.

2. Superstitio cultûs superflui, est v.g. 1. Ceremonia audiendi Missam ante ortum solis cum certo numero, situ, ordine cereorum, vel Sacerdotis, qui dicatur Ioannes: vel qui habeat staturam Christi, &c. quia hic cultus est ex se ipso inanis, & ad spiritum excitandum inutilis. 2. Ieiunare die Dominico, cùm non ieiunas aliis diebus. Item in Missa contra rubricam plures formare cruces, plures dicere *Alleluia*; dicere *Gloria*, vel *Credo* contra rubricas, aliasque ceremonias demere, vel addere (etsi fiant ex devotione, hæc enim corrigenda est,) quia sunt præter Ecclesiæ consuetudinem. Hæc tamen & similia bonâ intentione facta, venialia tantum sunt ordinariè, vt docet Tol. Less. *l. c. d.* 1. Navarr. & Laym. quia est materia levis: & actio ex se non mala; & multa excusat simplicitas. Quòd si tamen ex se mala esset, vt si rem furtivã offeras, turpia verba in templo canas, ore, vel organo, notabiliter lascivam, vel ad impuritatem provocantem vocem edas, est superstitio ferè mortalis, vt Laym. *l. c. ex comm.*

DVBIVM II.

De Divinatione.

Quid & Quotuplex sit?

RESP. 1. Divinatio est, cùm quis opem Dæmonis tacitè vel expressè invocat, vt noscat res contingentes, & liberè futuras, alitèrve occultas, & naturaliter incognoscibiles. Quæ si sint tales, quas solus Deus scire potest, involvitur tacita Idololatria: quòd Dæmoni tribuatur cultus Divinus: si verò sint tales, quas Dæmon naturaliter scire potest, (nam ex signis, aliisque modis, occultissima quæque cognoscere potest, etiam plurimas hominum cogitationes, & res futuras, V. Delr. *l.* 4. *c.* 2. *q.* 2. Sanch. 2. *mor. cap.* 38.) nihilominus illicita est, eò quod commercium habeatur cum Dei iurato hoste: quod importat quandam proditionem, & apostasiam à Deo, ac fortè etiam, vt vult Suar. contra Valent. superstitionem, v. Laym. *c.* 2. Bon. *p.* 3. S. Th. 2. 2. *q.* 5. *art.* 1.

Resp. 2. Divinatio est duplex: vna, in qua est invocatio vel pactum expressum cum Dæmone, & generali nomine dicitur Necromantia, vt cùm Dæmon occulta docet per pythones, arreptitios, præstigias, per personas mortuorum, vel vivorum apparentium, aliavè signa in aëre, aqua, igne, speculis. Alia est, in qua tantum est invocatio, vel pactum tacitum, seu interpretativum, vt cum ex lineamentis corporis, vocibus, garritu avium, & similibus, quibus se Dæmon immiscere solet, quæritur cognitio, ad quam ea sunt improportionata. D. Th. *q.* 95. Cum verò vtriusque speciei variæ rursus sint species, eas hîc omitto; quòd secundum sententiam communiorem in genere moris non differant, nec specialem habeant malitiam, ideòque in confessione non sit opus explicare, an v.g. facta sit divinatio ex speculis, aëre, mortuo, &c. Exprimendum tamen necessario est, vtrum invocatio, sive pactio expressa, an tacita intervenerit; quia sive

hæc

hæc mortaliter inter se specie differant, sive non, notabiliter tamen mutant iudicium Confessarij. Vid. Laym. *l. c.* Sanc. *l. c.* Less. *l. c. d.* 5. Delr. *l.* 4. *disp.* 4. *c.* 2. Bon. *q.* 5. *p.* 4.

Resp. 3. Divinatio, quæ fit per actum expressum, & qua Dæmon expressè invocatur, excusari non potest à mortali, eam verò, quæ fit per pactum tantum implicitum, aliquando excusari à mortali quidam asserunt; videlicet tunc, cum vel intercedit simplicitas, & ignorantia non crassa, nec affectata, vel fides certa non adhibetur, sed tantum timor quidam, aut suspicio concipitur eventus futuri. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 3. Sanch. Less. Suar. Caiet. Bald. *t.* 2. *l.* 4. *d.* 4. *n.* 22. *&c.* eó quód tunc superstitiosa verè non sit, cum intentio non sit talis. Vid. Suar. Less. Sanch. Laym. Caiet. Navar. Sayr. Valen. & Tanner. *d.* 5. *de res. q.* 7. *disp.* 1. *n.* 21. *& dub.* 2. *nu.* 25. *Ex dictis resolvuntur sequentes casus.*

1. Expressè censetur invocare, seu convenire, & pactum facere cum Dæmone, qui vel verbis Dæmonem invocat, vel saltem facto aliquid vsurpat, per quod scit, aut putat Dæmonem cooperari.

2. Is veró tacitè paciscitur, qui vanis, & naturaliter improportionatis vtitur ad aliquid cognoscendum, vel efficiendum. Neque requiritur, vt dæmon aliquando pactus sit, se ad talis vani medij adhibitionem concursurum, eo enim ipso, quod quis vanitatibus iis vtitur, dæmon se immiscet; licèt præter intentionem vtentis sit eum invocare, vt docent Suar. Less. & Sanch. *ll. cc.*

3. Non excusatur à peccato, qui vtendo talibus rebus, de quibus constat esse naturaliter improportionatas, protestatur, se nullum cum dæmone comercium intendere, quia reipsa facit contra suam protestationem. Cùm enim nec Angeli boni talibus se misceant, dæmon implicitè iis invocatur, vti præter citatos docent Laym. & Bon. *ll. cc.*

4. Neque is excusatur, qui talia media vtilia credit propter experientias, quia has dæmon procurat, vt homines paulatim illaqueet, & ad similia vsurpanda inducat. Vid. Sanch. 2. *mor. c.* 38.

5. Si quis ab astris, somnijs, similibusve ita depẽdeat, vt omnes penè actiones suas, & vitam iuxta ea regulare velit, eum mortaliter peccare docent Less. Suar. Sanch. *loc. cit.*

6. Ex talium observatione semel, atque iterum aliquid omittere, ad quod alioqui sub mortali non teneris, veniale tantùm esse censet Cai. & Arm. V. *Somnium* vti, & subinde timere leviter ne ita sit, aut eveniat, quod portendunt, vt notat. Suar. *sup. l. c.*

7. Communiter, & vt plurimum in similibus, in quibus tacitum tantum est pactum, venialiter tantum peccari, docent consequenter Doctores supra citati, & mox citandi: quia communiter fere aliquid istorum intervenit, quæ à mortali excusare dicunt, v.g. quòd fides integra non adhibeatur. Sanch. *l. c. n.* 23. Cai. *in summ.* Armil, &c. Rectè tamen notat Delrio, esse semper rem valdè periculosam, iuxta illa suas actiones dirigere, etiam non credendo. Vid. Sanch. *l. c.*

8. Licita est 1. Physiognomia, quæ est ex vultu, dispositione, & habitudine, corporis, & membrorum. 2. Chiromantia, si, ex lineis, & partibus manuum, consideret temperiem corporis, imó etiam animi propensiones, & affectus

proba-

probabiliter coniectet. 3. Item divinatio, quæ ex somniis coniectat hominis complexionem, & hinc affectiones animi diurnas. 4. Item illa, qua ex avium, piscium, aliorumve animalium voce, motu, aliisve actionibus, naturales aliqui effectus pronuntiãtur futuri vt plurimum, v. g. serenitas, pluvia, &c. 5. Astrologia naturalis, quæ effectus corporeos, & naturales, vt ventos, eclipsin, fertilitatem, salubritatem, morbos, & similia prædicit: quæ ad medicinam, vel agriculturam conducunt: imò etiam cũ ex pũcto nativitatis, sive horoscopo probabiliter prædicit complexionem corporis, & affectiones animi. Quia hæ divinationes omnes naturales sunt, & mediis proportionatis vtuntur. Less. *l.2.c.* 43. *d.* 7.

9. Illicitæ verò sunt omnes prædictæ divinationes, si ex iis aliquid nosci, aut prænunciari intendatur circa ea, ad quæ proportionata non sunt, vt circa effectus contingentes, & liberos, aut quæ à Deo pendent; vt circa statum animæ, dona gratiæ, divitias, honores, fortunam, nuptias, statum vitæ, & similia, quorum electis voluntaria est, & à libera hominum voluntate pendet: itemque de rebus occultis, vt furto, thesauro abscondito. Vid. Less. *l. c.* & Bon. *d.* 3. *q.*5. *p.* 3. *n.*11. Suar. Sanch. *l. c.* Bon. *n.*11.

10. Peccant, qui Ægyptios de fortuna consulunt, & quidem si fiat cum firma fide, vel scandalo, &c. mortaliter si verò causa curiositatis, vel risûs, vt fit communiter, venialiter tantùm Fill. & Sanch.

11. Superstitiosa est divinatio, quæ fit per sortes divinatorias, ad futurum, vel occultum aliquid cognoscendum quasi sortibus vis aliqua divina insit, vt si quis v.g. ex taxillorum proiectione, & dispositione divinet, quis sit obtenturus victoriam, beneficium, &c. Idem ferè est de sortibus consultoriis, quibus inquiritur, quid in hac, vel illa re sit agendum. Dixi *ferè*: quia aliquando hæ licitè fiunt quando causæ necessitas, & honestas exigit, aptiorque modus dubium vincendi non apparet: dummodo fiant præmissa oratione cum debita reverentia; & indicium non expectetur nisi à solo Deo: vt v.g. si quis hærens in bivio aliter quoad viam se determinare non possit; vel divino instinctu, aut iussu fiant, vt 1. Reg. 10. in electione Saulis contigit. Fill. Sanch. Bon. *l. c.*

12. Sortes divisoriæ sine superstitione, & plerumque licite fieri possunt; sive ad honestum ludum, sive ad hæreditatis divisionem, sive ad litis compositionem; dummodo litigantes, qui æquale ius habent, consentiant: quia nihil aliud continent, quam contractum inter eos, qui ad aliquam rem ius habent vt illius sit, cui sors obtigerit. Sic etiamsi plures mortem meriti sint, nec expediat omnes puniri, sorte definiri potest, quis ex ijs sit occidendus. Dixi *Plerumque*: tum quia in electionibus Ecclesiasticis sunt illicitæ, vt Layma. *l.* 3. *t.* 4. & Bon. tum quia officia sæcularia, non sorte, sed secundum personarum aptitudinem sunt dividenda, etsi inter plures æquè aptos, & dignos sorte agi possit. Vid. Less. *c.* 43.

13. Potest excusari à superstitione, qui modo illicito futura se velle divinare ostendit, loci causâ. Ratio est, quia non est actus superstitiosus, nec affectatio cognitionis Deo propriæ, sed tantùm vanitas aliqua. Suar. & Sanch. Regin. *l.* 17. *nn.* 170.

DVBIVM

DVBIVM III.

Quid, & quotuplex sit idololatria?

RESp. 1. Ea est, quando tribuitur honor creaturæ sicut Deo D. Th. *q.* 94. *art.*1. Id verò fit, vt docet Less. *l.2.c.* 43. non tantùm sacrificio, sed etiam quovis signo honoris, quo quis creaturæ tanquam Deo se submittere intendit, v.g. genuflectione, suffitu, detectione capitis ad statuam Iovis?

Resp. 2. Idololatria est duplex: alia materialis, sive simulata, vt cum quis sine interno affectu, ex metu mortis, cultum Idolo exhibet. Alia formalis, ac propria: eaque; vel perfecta, vt cùm quis adorat Idolum, quod ex infidelitate putat esse Deum: vel imperfecta, cùm quis vel ex odio Dei, vel affectu aliquid à dęmone, aliâve creaturâ obtinendi; ipsi quasi Deo cultum defert. Laym. *l. c.* ex S. Aug. & S. Th. *Vnde resolves.*

1. Idololatria aliquando coniungitur cum infidelitate, vel hæresi cum scilicet creatura adorata in intellectu habetur pro Deo; aliquando nón.

2. Idololatria etiam materialis, & ficta est grave, & mortale peccatum, quia est saltem mendacium perniciosum, & contra religionem: sepè etiam contra confessionem fidei externam. Sanch. *l.*1. *c.*37. *n.*21. Azor. 1. *p. l.*9. *c.*11.

3. Idololatria imperfecta, ob malitiam voluntatis, est peccatum gravius, quàm perfecta. Vid. Laym. *l.*4. *t.*10. *c.*2. Sanch. *l. c.*

DVBIVM IV.

Quid, & quotuplex sit vana observantia, & vnde colligitur?

RESp. 1. Ea est superstitio, qua medio aliquo improportionato, & à Deo non instituto procuratur aliquis effectus, v.g. sanitas, scientia, &c. S. Th. 2. 2. *q.* 96. *a.*1. Bonac. & alij. Differt autem á divinatione, quòd hæc tantùm ordinetur ad occultorum cognitionem; illa verò ad effectum externum. Convenit cum eâdem, quòd vtraque nitatur pacto dæmonis, eique tribuat perfectionem propriam Dei. Vnde quæ de divinatione dicta sunt; proportionaliter huic accomodari debent.

Resp. 2. Dividitur 1. (sicut divinatio) in eam, quæ ex pacto expresso cum dæmone, & in eam, quæ ex implicito pacto procedit. 2. Dividitur communiter in quatuor species. Prima dicitur ars notoria, quæ inspectione certarum figurarum, vel certo aliquo ieiunio, oratione, &c. vtitur ad scientiam, repentè, ac sine labore acquirendam, vt faciunt Anabaptistæ. Secunda dicitur Magia, (quod nomen alioqui generale est) quæ versatur circa corpora variè immutãda, aliosque effectus miros. Tertia, est observatio eventuum, quâ ex consideratione alicuius eventûs, coniicitur quid sit futurum; vt v.g. si ex eo, quod casu occurrat vulpes, canis, aut cadaver certa imminere credat, & inde actiones suas moderetur. Quarta, dicitur observatio sanitatum, cùm adhibentur quædam signa, orationes, certus numerus crucium, sacra verba, &c. velut necessaria, & efficacia ad pellendos morbos. Idem est de gestatione Reliquiarum cum vana circunstantia, v.g. in tali capsâ, tot diebus, cum tali herbâ, &c. Sanch. *c.* 40. *n.* 11. Fill. *t.* 14. *c.* 6. *n.* 157.

Resp. 3. Vana observantia, (sicut divinatio est peccatum mortale ex genere suo. Ratio est, tum quia tribuit honorem divinum creaturæ, expectando ab

eâ, quod à solo Deo expectari debet: tum quia nititur pacto cum dæmone, Less. Bon. *q.* 5. *p.* 4. & alij. Nec potest excusari à mortali ex parvitate materiæ: quia simpliciter, & in omni materia vsurpatur cognitio, aut virtus Dei propria. Aliundè tamen fieri posse, vt non sit mortale, docent Auth. suprà cit. *dub.* 2. *res.* 3. 1. Ratione ignorantiæ, si pactum sit implicitum tantùm. 2. Si non adhibeatur fides, licèt timeatur ita esse, vel futurum. Vide dicta de divinatione *dub.* 2. *res.* 3. *cas.* 7. & Less. *dub.* 8. *n.* 53. & 66.

Resp. 4. Vana observantia cognosci potest. 1. Ex insufficientia causæ adhibitæ ad effectum; si nimirùm nec habeat naturalem virtutem, nec de supernaturali ligitimè conster. 2. Ex adiunctione falsæ, vel vanæ circunstantiæ, vt v.g. si flagellatio fieri debeat certâ horâ, numero, manu, flagro serico; si nomina adhibeantur ignota, vel characteres peregrini, verba falsa, vel apocrypha, v.g. Christum habuisse febres, vel pasmum, &c. Item si ponatur, vis in modo scribendi, v.g. Evangelium S. Ioannis, à virgine, oriente Sole, &c. 3. Si effectus statim evanescat, &c. Delrio *l.* 2. *q.* 5. Sanch. *c.* 40. *n.* 43. *Ex dictis resolves.*

1. Superstitiosum est. 1. Sumere aliquam potionem, vel bolum, vel quidvis aliud vsurpare, ad scientiam aliquam subitò acquirendam. 2. Gestare amuleta, ligaturas, & involucra falsis characteribus consignata contra vulnera, vel subitam mortem, ne possint lædi, vel ne sanguis effluat, vel ad consiliandam invisibilitatem, impenetrabilitatem, amorem, fortunam, nocumenta, & maleficia. 3. Ex casu fortuito conjicere de eventu, v.g. sibi aliquid boni, vel mali eventurum, vt si manè egrediens pedem offendat, ideòque domum regrediatur; timens aliquid infausti. 4. Dies aliquos habere tanquam faustos, alios verò infaustos, ideòque negotium omittere, v.g. die Veneris nolle vngues præscindere. Fœminarum carminatricum benedictiones, & preces ad morbum depellendum adhibere. 6. Projicere statuam alicuius Sancti in flumen, vt pluat. 7. Si putentur Missæ non prodesse defunctis, nisi legantur septem, cum septem certi coloris candelis, & septem eleemosynis 8. Si vnguento armario, quo gladius inũgitur, absens curetur. 9. Si certo festo, v.g. S. Ioannis, certæ adhibeantur orationes; vel festo S. Matthiæ hederæ folia aquis imponantur, vt cognoscatur, cui debeant nubere. 10. Si quibusdam precibus, imaginibus, aut characteribus, aut crucibus tribuatur certa, & infallibilis vis, v.g. evadendi ab honeste, expellendi morbos, non moriendi sine prævia confessione, non incidendi in infortunium, &c. Aliud tamen est, ea per orationes petere, ac sperare, Delrio. *l.* 3. *p.* 2. *q.* 4. *s.* 7. Suar. *c.* 15. Less. *c.* 44. *d.* 3. Sanch. *n.* 34. & 37. Fill. *n.* 150.

2. Superstitiosum non est. 1. Observare Lunam, aut tempora aptiora colligendis herbis, (v.g. die S. Ioannis Baptistæ) purgandis corporibus, cædendis arboribus, &c. 2. Verba Sacræ Scripturæ, vel reliquias gestare ad Dei tantùm honorem, & sine dictis vanitatibus. 3. Circa templum alicuius certi Sancti ter iumentum circumducere, die alicuius certi Sancti equis venam secare, &c. si scilicet hæc fiant, vt maior devotio excitetur, & effectus Sanctorum meritis adscribatur. Aliud tamen esset, si putarentur tales circunstantiæ infallibiles, aut plenè necessariæ, aut per se efficaces: Vid.

Vid. Navarr. *in man. c.* 11. Addit Laym. ex Cai. si homines rudes bona fide, & ex devotione aliquem ritum ab Ecclesia non receptum observent, aliquando in sua simplicitate relinquendos, cum difficulter abducantur ab eo, quod bona fide à suis maioribus acceperunt 4. Nec damnandæ quædam devotiones, quas vocant. Novendiales, (v.g. novem, vel ad exemplum S. Gregorij, triginta, vel alium certum numerum Sacrorum celebrare, cum certo numero, & magnitudine candelarum, & similia) si fiant in memoriam alicuius mysterij, v.g. novem mensium, quibus Christus fuit in vtero, vel quinque vulnerum, &c. Esse tamen superstitiosum, credere eas preces non prodesse in maiore, vel minore numero. 5. Multi excusant etiam eos, qui sanant morsos à rabido cane, quod putent illos ad hoc habere gratiam gratis datam: & sic tenet Navar. *in man. cap.* 11. Vid. Sanch. Laym. Bon. *ll. cc.*

3. Non est illicitum vti virtute rei naturalis, quæ per superstitionem cognita est, modò eius observatio, aut operatio non pendeat ab ope dæmonis. Ratio est, quia licet illa cognitio malè parta sit, peccatum tamen transijt; neque virtus naturalis ex eo quidquam mali contraxit. Vid. Sanch. 2. *mor. cap.* 8. Bon. *q.* 5. *p.* 4. Laym. *l.* 4. *t.* 10. *c.* 4.

DVBIVM V.

Quid sit maleficium, & quomodo possit tolli?

Resp. 1. Maleficium est vis nocendi alijs ex pacto, & cooperatione dæmonis. Differt à Magia, quod hæc intendat facere mira; illud autem dirigatur ad nocendum. Tol. *l.* 4. *c.* 10. Fill. *t.* 24. *c.* 8. *q.* 1.

Resp. 2. Maleficium aliud dicitur amatorium, seu philtrum, cuius vsus est ad carnalem amorem, vel odium excitandum, dæmone hominis phantasiam commovente, nihil tamen agente in voluntatem. Vnde patet, si maleficio sic infecti labantur, eos verè peccare, quia libertas non aufertur. Aliud dicitur Veneficium, quo alicui personæ, vel eius bonis damnum infertur. Fill. *l. c. n.* 183. Azor. *to.* 1. *l.* 9. *cap.* 26.

Resp. 3. Contra maleficia vti licet 1. Remediis petitis ex medicina. 2. Exorcismis, & Sacramentis Ecclesiæ, peregrinationibus, invocationibus Sanctorum, &c. 3. Destructione signorum per quæ dæmon nocet, absque alio tamen maleficio. Navarr. *& communiter alij.* 4. Si maleficus licito modo potest maleficium tollere, licet eum ad id accersere, rogare, imò etiam pecunia indicere, vel verberibus, aut tormentis cogere, (non tamen interficere, si nolit) Lugo, Dian. *par.* 8. *tom.* 7. *R.* 53. idque etiamsi constet eum id facturũ per novum maleficium, sicuti ex causa licet ab vsurario petere mutuum ad vsuram. Ratio est, quia cum habeam ius petendi quod ab illo rectè præstari potest, & est indifferens, imputabitur illius malitiæ, si id malè faciat. Vide Sanch. *l.* 7. *de matr. d.* 95. *num.* 11. Fill. *num.* 192. Less. *l.* 2. *c.* 44. *d.* 6. contra Delrium. 5. Licet etiam contrarium signum positivum apponere, ex se tamen honestum: v.g. si dæmon esset pactus cum malefico, se tandiu nociturum, quandiu maleficiatus se cruce non signaret, aut lavaret corpus (nam plerumque fit cum tali aliqua conditione, v.g. vt

Universidade de Deusto Biblioteca

vt tandiù duret; quandiu manet aliqua ligatura, aut res aliqua certo loco defossa) licebit illi se signare, lavare, &c. Suar. Less. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 45. Ratio est, quia non est intentio positiva recuperandi sanitatem eo medio, sed tantùm tollendi signum, & dissolvendi pactum cum dæmone. Vnde vlteriùs patet, licere repercutere sagam, quæ te tetigit; ea enim repercussa solet noxa cessare, vt habet Less. *l. cit.* & Sanch. *l.* 7. *de matr. d.* 95. & 96. 6. Si maleficus non potest tollere maleficium, nisi per novum, non licet eum ad id inducere; quia id esset inducere ad peccatum, & actui intrinsecè malo cooperari. Suar. Sanch. Less. &c. *ll. cc.* 7. Si dubitetur, an possit sine maleficio novo tollere, non licet ab eo petere, vt habet Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 4. *n.* 9. ex Sanch. & Suar. quia est periculum peccandi. Faciliùs autem præsumi potest eum qui signa posuit, posse ea sine novo maleficio destruere, quàm eum qui non posuit. Vnde si hic suam operam offerat, priùs erit examinandus de modo solvendi. v. Laym. *hic.* Bon. *d.* 3. *q.* 5. *p.* 5.

Quæres. Quomodo confessario agendum cum Divinatoribus, Magis, &c.

Resp. 1. Examinandi sunt, præterquam de varijs superstitionibus. 1. Quo fine tali superstitioni se addixerint, v.g. an ratione vehementis passionis, tristitiæ, vindictæ, avaritiæ, aut sanctitatis nomen conciliandi, quæ esset sacrilega hypocrisis. 2. De apostasia, idololatria, & hæresi; abnegant enim Christum, & Deum; renunciant Sacramentis; habent dæmonem pro Deo, vel Sancto; nec dãnatum putant, aut miserum, & consequenter illius assecias non esse damnandos. 3. De blasphemijs in Deum, & Sanctos, de sacrilegis, abutuntur enim rebus sacris, vt aqua Benedicta, Eucharistia, &c. 4. De luxuria; & commixtione cum dæmone, &c. 5. De damnis proximo illatis. Suar. Sanch. Fill. Bon. *l. c.*

Resp. 2. Monendi sunt, eos teneri. 1. Pactum expressum, si quod habent cum dæmone, aut comercium abiurare, & dissolvere. 2. Libros suos, schedas, ligaturas, aliaque instrumenta artis comburere. 3. Comburere chirographum si habent: si verò solus dæmon id habeat, non necessariò cogendus est vt reddat; quia pactum sufficienter dissolvitur per pœnitentiam. 4. Damna illata resarcire, ad quod proindè etiam tenetur Fiscus (vbi veneficorum bona confiscantur) vtì, & hæredes, si ad eos bona deveniant. Lay. *l. c.* Suar. *tom.* 1. *de rel. l.* 2. *c.* 17. Sanch. *l. cit. c.* 40. Fill. *&c.*

Resp. 3. A Parochis moneri, & á Confessarijs examinari circa hoc præceptum potissimùm debent. 1. Opiliones, qui varijs dediti esse solent observationibus, vt gregem suum à lupis, vel scabie, vel alijs incómodis tueãtur. 2. Fabriferrarij, qui circa equos sanãdos vtũtur verbis, vel ex Psalmis, vel ex Oratione Dominica desumptis. 3. Rustici, qui ad sanandа pecora inanibus, & superstitiosis observationibus vtuntur, vel recurrunt ad peritos talium artium. 4. Vetulæ, quæ circa mulieres laborantes in partu, vel ex matrice, vanas, & superstitiosas adhibent orationes. 5. Milites, qui deferunt secum sacra nomina, vel orationes ad certitudinem, quod in bello, vel duello non sint vulnerandi, nunquam aquâ, igne vel subitâ morte perituri.

(***)

CAPVT

CAPVT II.

De Irreligiositate, eiusque speciebus.

IRreligio, quę religioni opponitur per defectum; vel tendit directè ad irreverentiam Dei, & est tentatio Dei, aut periurium; vel tantùm tendit ad irreverentiam rerum sacratum, & est sacrilegium, aut simonia. De periurio, in secundo præcepto: de reliquis hic.

DVBIVM I.

Quid sit tentatio Dei.

REsp. Tentatio Dei est dictum, vel factum, quo quis explorat num Deus sit potens, sapiens, misericors, aut aliquam perfectionem habeat. S. Th. 2. 2. *q.* 92. *à* 1. Sanch. &c. Ea est duplex, scilicet vel formalis, quando quis expressé dubitans de aliqua Dei perfectione, eam experiri cupit; vt si quis petat miraculum, quo patefiat fidem Catholicam esse veram, vel det se præcipitem ex turri, vt experiatur, an Deus sit misericors, eum eripiendo à lesione: vel est implicita, & interpretativa, quãdo quis, etsi expressé non intendat Deum tentare, id tamen petit vel agit, quod suapte natura eò referri videtur, vt si quis se committat periculo, à quo vel nullo modo, vel vix possit eripi, nisi miraculosè, vel si media naturalia omittat, sperans à solo Deo effectum, v.g. in morbo periculoso respuens medicinam, petensque, ac sperans à Deo temerè sanitatem. Nav. *c.* 11. Less. *n.* 4. Item si sine necessitate, & causa, rudis absque præparatione velit concionari, sperans à Deo sibi suggerendos conceptus. Suar. Sanch. Less. Laym. *l.* 4. *t.* 10. *c.* 5. *Vnde resolves.*

1. Tentatio Dei formalis est peccatum ex genere suo mortale, in quacumque etiam materia. Ratio est, quia includit dubitationem de perfectionibus Dei, quæ in gravem Dei contemptum redundat, vel magnam irreverentiam, curiosiùs agendo cum Deo, quasi cum ludione. Less. *l.* 2. *c.* 45. *d.* 1. Sanch. *l.* 2. *c.* 34. Suar. & cæteri commun.

2. Interpretativa tentatio, cui dubitatio illa deest, plerumque est tantùm peccatum veniale ob imperfectionem actus, ignorantiam, inconsiderationem, vel parvitatem periculi. Imò sæpè nullum est peccatum, quando scilicet iusta causa subest, v.g. Dei instinctus, necessitas, vel pia vtilitas. Suar. Tol. Caiet. S. Th. 2. 2. *q.* 9.

3. Si quis in puteum se conjiciat, ad declarandum Dei erga se providentiam, aut supra prunas ambulet ad innocentiam ostendendam, est interpretativa tentatio Dei. Vtì etiam sunt eæ probationes, quæ fiunt per ferrum candens, aquam ferventem, vel frigidam, &c. de quibus vid. Binsfeld. & Delr. *l.* 4. *disp.* Licèt enim Deus aliquando tales purgationes miraculosè probarit, id contigit, vel quia Deo inspirante factæ sunt, vel quia innocentes ad eas compulsi, sunt liberati. Bon. *d.* 3. *q.* 9. *p.* 1.

DVBIVM II.

Quid, & quotuplex sit Sacrilegium?

REsp. Sacrilegium est violatio rei sacræ, hoc est, dicatæ cultui divino, & peccatum mortale ex genere suo, si opus specialiter repugnet cum rei sanctitate: non verò si generaliter tantùm

repugnet

Universidad de Deusto Biblioteca

repugnet, quomodo omnia peccata mortalia generaliter repugnāt sanctitati. v.g. Templi, ita vt ibi cum veniali peccato committantur. Est autem Sacrilegium triplex, personale, quo persona; locale, quo locus; & reale, quo res sacræ violantur. S.Th.2.2.*q.9.a.3.*& cæteri Theologi. *Vnde resolves.*

1. Personale sacrilegium, est percussio Clerici, pertractio eiusdem ad iudicium sæculare, item luxuriosa violatio personæ Deo per votum castitatis sacratæ, de qua vid. infrà *t.* 4.*c.*2.*de 6.præc. dub.* 2.

2. Locale sacrilegium, est omnis actus, quo Ecclesia polluitur, vt est verbi gratia, occisio hominis, effusio humani sanguinis, vel seminis illicita, & notoria sepultura excōmunicati, vel nō baptizati: item si actus quidā profani fiant in Ecclesia, & repugnantes eius immunitati, vt si negotiationes, illiciti concubitus, & spurcities, seditiones, concilia secularia, stabulationes equorum, incendia, effractiones, spoliationes. Item si materia rei sacræ, vel Ecclesiæ directè ad profanos vsus convertatur, si reus ex Ecclesia velut asylo extrahatur (nisi tamen sit latro publicus, vel nocturnus populator agrorum, vel enorme maleficium fiduciâ asyli istic commiserit.) Denique, si furto aferantur res Ecclesiæ, aut ibi depositæ Lay. *c.* 7. Bon. *q.6.* Si verò res ablata fuerit per accidens tantùm in Ecclesia, v.g. crumena viri divitis, probabiliter non committi sacrilegium, docet Dian. *p.* 1. *t.* 7. *R.* 27. ex Fagund. & sex alijs contra Suar. Laym. &c.

3. Reale sacrilegium est indigna tractatio, & administratio Sacramentorum, vt si ministrentur vel suscipiantur cum peccato mortali. Item profanatio vasorum, & instrumentorum sacrorum, v.g. si quis calice vtatur in convivio, ornamenta Altarium, vel Sacerdotum ad vsus profanos applicet; intellige de ijs, quæ consecrari, vel saltem benedici solent; nam ad nuptias, vel communem vsum adhibere tapetes, candelabra, pelvim, imò, & manutergium, & cætera, quæ mediatè serviunt ministerio sacro, non esse peccatum docet Tamb. *expedit. sacrif. l.* 1. *c.* 2. nisi fiat ex aliquo contemptu saltem implicito, vt si semper, & indifferenter sic vtaris supradictis. Atque idem affirmat de candelis, ramis, aqua, incenso, & similibus benedictis, quód in modicis istis benedictionibus non agatur cum tanto rigore ab Ecclesia, vt patet in pane, ligno, carbonibus, &c. benedictis, vide *l. c.* §. 3. Item violatio, vel indigna tractatio sacrarū Imaginum, & Reliquiarum. Item abusus Scripturæ Sacræ, v.g. ad stabiliendas hæreses, vel res turpes. Item raptura bonorum Ecclesię, suppressio piorum legatorum, vel iurium Ecclesię defraudatio, &c. Vid. Fill. *tracta.* 24. *cap.* 9. Regin. *lib.* 19. *num.* 57. Suar.

4. Peccatur etiam sacrilegio, peccato omissionis, v.g. si, quæ ad sacrificium spectant, vt corporalia, & similia sint valdè immunda. Bon. *de Euch.*

5. In Confessione exprimenda est species, & materia sacrilegij. Ratio prioris est, quia sępè diversam malitiam habet; v.g. percussio Sacerdotis, & fornicatio cum eodem. Ratio posterioris est, quia etiam materia aliquando auget, & addit malitiam; v.g. si sit contra Eucharistiam, addit (secundùm Gordonum) communi violationi rei sacrę aliud peccatum contra latriam. Attingere autem nuda manu calices, patenas, aras, agnos, cereos,

cereos, &c. chrismate delibuta, non licet fœminis, & laicis: Citra contemptum tamen non est mortale, si vacua sint; & si causa subsit, nec veniale. Suar. Tambur. *l. c.* §. 1. sine causa autem, veniale esse docet Suar. Con. & alij commun. licèt Tamb. *l. c.* ex Sà, &c. contrarium censeat probabile: vtì & si corporalia, vel purificatoria laventur ab ijsdem. Vid. §. 2. Cætera autem, quę Eucharistiam immediatè non contingunt, nec chrismate vnguntur, vt mappas, vestes Sacerdotales, &c. immediatè contingere omnibus licet Suar. Laym. Tamb. *l. c.* vbi ex Palao, &c. idem concedit de reliquiis: sicut etiam, vt easdem thecis inclusas penes se habeant, vel laici in publicis processionibus gestent. Idem docet cum Laym. de pyxide, sive ciborio, & lunulâ benedictis, quando sacram Eucharistiam nondum continuerunt. Item de corporalibus, pallis, & purificatorijs, quando post sacrum vsum lota sunt, ex Laym. & Bon. imó etiam ante lotionem. Laym. & Tamb. *l. c.*

DVBIVM III.

De Simonia.

ARTICVLVS I.

Quid sit, & quotuplex?

RESp. Simonia est studiosa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum. D.Thom. 2.2 *q.*100. *á* 1. Laym. *l.* 1. *tr.* 10. *c.* 8. *&c.* Dicitur 1. *voluntas emendi, &c.* quibus verbis intelligitur quivis contractus onerosus, sive venditionis, sive locationis, sive permutationis, aut renuntiationis: quia simonia non consistit sine pactione aliquâ tacitâ, vel expressâ, & obligatione ex pacto. Quod addo, quia obligatio naturalis quæcunque, vt gratitudinis, sive antidotalis, non sufficit; v.g. quando quis sperat, vel intendit tantúm, non tamen obligat. Sà. *V. simonia.* Ratio est, quia non facit contractum. Bon. *de simon. d.* 1. *q.6. p.* 1. Less. *lib.* 2. *cap.* 35. *d.* 20. Dicitur 2. *pretio temporali*; sive illud sit muneris, sive linguę, vt est laus, vituperium, patrocinium; sive obsequij, & famulatus. Dicitur 3. *spirituale*: quo nomine intelligitur res supernaturalis ad salutem ordinata, sive sit formaliter talis, vt gratia, & dona Spiritus Sancti; sive causaliter, vt sunt Sacramenta, Concio, Preces, & Sacramentalia; sive sit effectus, & vsus potestatis supernaturalis, vt est consecratio, absolutio, dispensatio, benedictio, excommunicatio, electio, præsentatio, confirmatio, collatio, beneficij, alijque actus iurisdictionis Ecclesiasticæ. Dicitur 4. *spirituali annexum*: ad comprehendendum ea, quæ non sunt per se spiritualia, sed ad ea ordinantur, ijsque sunt annexa; sive antecedenter, vt ius patronatûs respectu beneficij; vasa, & vestes sacræ respectu Sacramentorum: sive concomitanter, vt labor in administratione Sacramentorum, iuxta sensum infrá dicendum: sive consequenter, vt reditus beneficiorum, qui dantur propter officium spirituale. Vnde patet, malitiam simoniæ consistere in irreverentia, quæ committitur, dum res spirituales, instar temporalium, pretio æstimantur, & contractibus subiiciuntur; atque esse peccatum mortale ex genere suo, nec veniale fieri posse ex materiæ levitate: quia nullum donum gratię, licèt parvum, potest vendi sine gravi irreverentiâ, cum ipsiusmet

doni,

Universidad de Deusto Biblioteca

doni, tùm etiam Dei. Potest tamen esse veniale ob actus imperfectionem,& ignorantiam. Suar. *tom* 3. *de rel. l.* 4. *c.*36. Azor. Fill. Laym. *l. c.* Less. *l.*2.*c.* 35.*d.*1.

Resp. 2. Simonia est triplex. Prima, dicitur mentalis, cùm exteriùs non intercedit pactum,vel nihil datur temporale (& dicitur,purè mentalis,)vel cùm aliquid datur, (& dicitur,mixtè mentalis,) cum intentione obligandi ad reddendum spirituale, sine vllo pacto externo. Secunda,dicitur conventionalis, quæ ad ipsum pactum exterius procedit sine reali executione: diciturque pura, si sistat in mutuâ conventione;mixta autem, si de reali, & conventionali aliquid participet, vt v.g. si ex alterâ tantùm parte realiter compleatur. Atque hùc reducitur simonia confidentię,cùm quis alteri dat beneficium,vt illud sibi, vel alteri resignet, vel cum onere dandi certam partem fructuum. Tertia, dicitur realis, quæ scilicet vtrimque realiter completur. Vid. Less. *l.c. d.* 6.

2. Simonia dividitur in eam, quæ est iuris Divini, estque prohibita propter malitiam suam, v.g. Hostiam consecratam vendere; & eam, quæ est iuris humani, estque mala tantùm propter prohibitionem. Et sic ab Ecclesia prohibetur. 1. Venditio beneficiorum, secundùm id,quod in ipsis temporale est, scilicet quoad ius præcisum percipiendi fructus. 2. Venditio officiorum extrinsecè tantùm ordinatorum ad res sacras, v.g.Sacristæ, Oeconomi, Advocati Ecclesiæ, Thesaurarij. 3. Oblatio pecuniæ alicui facta, vt suadeat alteri,vt det beneficium.4. Pactio de resignando beneficio, vel solvendâ pensione, si alter beneficium tibi impetret. 5. Permutatio,& resignatio beneficiorum,item reservatio pensionis ex beneficio resignato: & in casu permutationis beneficiorum, æquatio fructuum, &c. si absque superioris authoritate fiant: quæ si accedat, licita erunt. 6. Acceptio muneris,etiam sponte oblati pro examine ad Parochiam, ex Trid. *sess.* 24. *c.* 18. pro collatione ordinum, pro tonsurâ, litteris dimissorijs, ex Trid.*s.* 21. *c.*10. Excipitur tamen decima pars aurei pro Notario,si salarium non habeat, & consuetudo permittat. 7. Exactio pecunię pro admissione ad religionem, non pro statu tantùm, is enim spiritualis est, ideòque iure divino invendibilis, sed etiam pro onere sustentationis; nisi Monasterij tenuitas, vel consuetudo contraria excusent.Vid.Laym. *c. vlt.* Bon.*d.*1.*q.*1. *&* 3. Less. Azor.3. *p. l.*12. *c.* 14. *Ex dictis resolves.*

1. Simonia est, concionari, cathechizare, Missas facere pro pretio, nisi excusetur ratione laboris,non intrinseci (is enim sacer est, & inęstimabilis, scilicet vel ipsa actio sacra,vel in ea intrinsecè inclusus)sed extrinseci, non annexi rei spirituali, vt pro labore itineris, vel cantûs in Missa, vel ratione alterius incommodi pretio æstimabilis. Ratio est, quia illæ actiones ex naturâ suâ ordinantur ad aliquid supernaturale,& ad salutem, non autem ad aliquid temporale; sicut lectio quæcumque, etiam Theologiæ; quæ pretio æstimabilis est Bon. *l.c.* ex Suar.Fill. &c. vid. infrà *l.6. tom.* 3. *c.* 4. *d.* 1. Laym. *l.* 1. §. 4.

2. Item simonia est, dare, vel accipere pretium pro absolutione à peccatis, censuris, pro dispensatione in voto iuramento, impedimento matrimonij, irregularitate, &c. Potest tamen in his aliquid exigi per modum mulctæ ad causam

causam piam applicandum Laym. *l. c. n.* 10.

3. Non est simonia, dare aliquid ad redimendam vexationem à negante Sacramenta in necessitate. Suar. Less. Laym.vel ab iniquè impediente electionem,vel possessionem beneficij,ad quod ius in re habes.Quod addo,quia si nondum habes ius in re,etsi possis redimere vexationem ab eo, qui tantùm potest obesse,non tamen ab eo qui,& prodesse, & obesse potest. Ratio est, quia non datur tanquam pretium æquivalens rei spirituali, sed vt alter ad officium ritè præstandum inducatur. Nec similiter simonia est, dare stipendium ad sustentationem Clerici etiam divitis,pro Missis,Concionibus;aut de eo etiam pacisci. Ratio est, quia non datur tanquam pretium spiritualis officij, sed personæ in alterius gratiam occupatæ: nec pro operatione spirituali, vt spiritualis est, sed vt in alterius gratiam suscepta:proindèque non est eleemosyna, sed debitum iustitiæ. Suar.Laym.*l.*4 *tr.*10.*c.vlt. &c.* contra Rich. Sylv. &c.

4. Non est simonia,reddere,vel redimere pensionem merè temporalem: quia non fundatur in titulo spirituali, nec refertur ad functionem spiritualem. Dixi *temporalem*; quia spiritualis, quæ datur,v.g.Concionatori,vel Coadiutori Episcopi propter officium Ecclesiasticum,in eoque fundatur,nec differt à beneficio,nisi quod non sit perpetua,vendi nequit: mixta verò,vt v.g.quæ datur parocho seni,vel Clerico pauperi ad sustentationem,non quidem vendi potest, redimi tamen potest, modò obligatio recitandi Officium B. V. imposita non extinguatur. Quod intellige, si in loco vbi fit venditio,Bulla sit recepta. Ratio est, quia qui pensionem redimit, non emit ius spirituale, sed extinguit onus temporale solvendi certam summam pecuniæ. Less.*c.* 35. *d.*21.Suar. *c.* 26. *n.*5. Laym. *l. c. num.* 46.

5. Non est simonia iuris divini, (etsi quandoque iuris humani esse possit) spirituale cum spirituali permutare, v.g. beneficium pro beneficio,reliquias cum reliquijs, &c. vel dare temporale pro temporali, vt si calicem,vel agnos Dei præcisè ratione materiæ vendas:vel dare temporale pro spirituali, per modum doni gratuiti, etiam cum spe, vel intentione excitandi ad remunerationem doni spiritualis, vel contrà. Ratio est,quia gratitudo non respicit pretium, sed beneficium; nec solvit debitum iustitiæ, sed antidotale, quo non excluditur,quin gratis detur.Rectè tamen monet Suar. huiuscemodi dona, ob præsumptionem valdè cavenda.Item donare, promittere, vel legare temporale quidpiam, sub conditione operis spiritualis præstandi,modó non fiat per modum retributionis,seu commutationis: v.g. si parens filio promittat munus, si Sacramenta frequenter. Ratio est, quia hìc non intervenit contractus onerosus, sed sistitur,vel in liberali donatione,vel donatione sub tali conditione,& modo. Suar. *l.* 4. *c.* 45. Laym. *l. c. num.* 8.

ARTICVLVS II.

Quæ sit pœna simoniæ?

Resp. 1. Sola simonia confidentiæ,& realis, in Ordine, beneficio Ecclesiastico, & Religionis ingressu, pœnas iuris ipso facto inducit: licèt ob ingressum Religionis raró incurratur, vt dictum

ctum est, vel ob tenuitatem Monasterij, vel contrariam consuetudinem receptam. Suar. *c.* 56. & 57. Less. *d.* 23. Laym. *l. c.* §. 7.

Resp. 2. Ob simoniacam collationem, & susceptionem Ordinum, etiam primæ tonsuræ, incurritur excommunicatio, & suspensio Papalis. Less. *disp.* 24. Laym. *l. c.*

Resp. 3. Ob simoniam realem in beneficio Ecclesiastico incurritur. 1. Excommunicatio Papalis. 2. Irrita est electio, præsentatio, confirmatio, & institutio. Vndè talis non facit fructus suos: idque etiam, licèt à tertiâ personâ taliter provisus id ignoraverit: nisi tamen contradixerit, vel nisi à tertio data fuerit pecunia per fraudem, vt redderetur inhabilis; vel nisi bonâ fide, possederit beneficium per triennium. Less. *l.* 2 *c.* 35. *d.* 31. Laym. *l.* 4. *t.* 10. *c. vlt.* Bon. *d.* 1. *q.* 7. *p.* 2. *n.* 20. ex Gom. Garcia, &c. 3. Efficitur inhabilis ad idem beneficium, etiam per dispensationem Episcopi obtinendum: alijs tamen beneficijs iure ipso non privatur, nec ad alia obtinenda fit inhabilis ante sententiam Iudicis. Suar. *c.* 57. *n.* 47.

Resp. 4. Simonia confidentiæ completa, dato, & accepto beneficio, licèt accipiens promissionem vicissim non impleverit, inducit. 1. Excommunicationem Papalem vtrique parti contrahenti. 2. Annullat resignationem, & collationem beneficij, in quo est commissa, & inhabilitat ad idem postea obtinendum. 3. Privat omnibus beneficijs, & pensionibus ante obtentis; non tamen ante sententiam latam. 4. Beneficia sic collata soli Pontifici reservantur. Less. *c.* 35. *d.* 26. Suar. *c.* 43. Laym. *n.* 76.

ARTICVLVS III.

An, & cui restituendum, quod simoniacè acceptum est?

Resp. 1. Nihil spirituale simoniacè acceptum, præter beneficium (sub quo continetur pensio, secundùm Bon. negante Less.) est restituendum. Ratio est, quia cætera vel restitui non possunt, vt Sacramenta; vel non sunt restituenda ante sententiam; cùm Canones aliud non statuerint, ex Less. *in.* 68. Suar. Fill. &c. contra Azor. & Laym. Bon. *di.* 1. *q.* 7. *p.* 3. *diff.* 2. Dixi *præter beneficium*: quia hoc retineri non potest, etiam ante Iudicis sententiam; vt patet, tum ex Cap. *Si quis neque* 1. *q.* 1. tum ex 2. Extrav. *Cùm detestabile. De Simonia.* Vid. Bon. *l. c.* Vbi addit etiam fructus perceptos esse restituendos; tum quia nullo iusto titulo possunt retineri, cùm adeptio beneficij simoniaca sit ipso facto irrita tum quia sic expressè habetur in Extr. *Cùm detestabile. De Simonia* Vid. D. Th. 2. 2. *q.* 100. *a.* 6. Nav. *l.* 5. *Cons.* 6. Less. *l.* 2. *c.* 35. *dub.* 31.

Resp. 2. Pretium acceptum pro beneficio, collatione Ordinum, Sacramentorum, & Sacramentalium, si notabiliter excedat id, quod pro sustentatione exigi poterat; item pro admissione ad Religionem iure positivo restituendum est. Hoc tamen posterius non nisi post latam sententiam, si admissus in Monasterio maneat; quia plerumque ratione alimentorum retineri potest, modò in communem vsum convertatur. Vid. Bon. *l. c.* Less. *l.* 2. *c.* 35. *d.* 30.

Resp. 3. Acceptum pro beneficio, aliâve re spirituali, non sequuta collatione, iure naturæ restituendum est ei, à quo est acceptum: quia deest titulus retinendi, cùm non præstetur id, pro quo est datum. Si verò res tradita sit, simoniâ vtrinque completâ, probabilius est restituendum esse Ecclesiæ, & non danci; quia Ecclesia vtrumque punire intendit, vt Less. Laym. *hic. l. c. paragr.* 9.

TRACTATVS II.

DE SEGVNDO PRÆCEPTO Decalogi.

Prohibet hoc præceptum omnem inordinatam vsurpationē nominis Dei, qualis potissimùm fit blasphemando, temerè iurando, vovendo, & non servando: de quibus hic agendum.

CAPVT I.

Quid, & quotuplex blasphemia?

Resp. Blasphemia directè opposita laudi Dei, est verbum maledictionis, vel consilij, seu contumeliæ in Deū, sive, id fiat attribuendo ei falsa, sive negando vera, sive tribuendo creaturis, quæ ipsi debentur, sive etiam dicendo vera, sed quæ ad eius dehonorationem, seu vilipensionem tendant: vt fit per modum ei indignantis, contemnentis, &c. Ita communiter Doctores, S. Th. 2. 2. *q.* 13. Bon. *disp.* 3. *q.* 8. Sanch. 2. *mor. c.* 32. Laym. *l.* 4. *t.* 10. *c.* 6. *&c. Vndè resolves.*

1. Blasphemat, qui contra Deum infrendens; ei maledicit: item, qui ait se aliquid acturum eo invito: item, qui eum negat, qui seriò iurat per Deos falsos, qui eum vocat Tyrannum, iniustum, nolle, aut non posse nos iuvare, non curare nostra, dæmonem esse fideliorem, plus posse, non omnia bene esse ordinata, meliùs in creatione quædam fieri potuisse, aut debuisse, &c. Quæ, siquidem quis credat ita esse, & non tantùm in irâ, aut desperatione effutiat, tunc est blasphemia hæreticalis, id est cum hæresi coniuncta: quod in Confessione est addendum, quia specie differt ab imprecativâ. Hurt. 2. 2. *d.* 91. *sect.* 12. §. 54.

2. Revocantur etiam ad blasphemiam alia signa contra Deum, licèt verba non adsint; vt spuere in cœlum, infrendere dentibus, &c. Imò etiam solâ mente blasphemia interior committi potest; sicut etiam laus mentalis Dei.

3. Blasphemat item, qui in Sanctos, vel Sacra contumeliosus est; intellige, vt Sancti sunt, sive cum habitudine saltem virtuali ad Deum, ita vt moraliter huius etiam honor censeatur tangi quia alioqui tantùm erit contra duliam, si nimirùm contra illos, vt homines quidam in terris fuerunt, dicatur. Quod veniale est, si ioco fiat; v.g. si Sanctos Chrispinum, & Chrispinianum voces sutores, Ioannem, & Paulum eunuchos: grave verò erit, si contemptim, vel ex odio, aut indignatione contra Sanctos. Licèt verò blasphemiæ in Deum non admittant parvitatem materiæ; multi tamen admittunt in ijs, quæ fiunt contra Sanctos. Esc. *t.* 1. *Extr.*

4. Blasphemat item, qui iratus, etsi non contra Deum, sed contra alios, aut alia, eadem tamen seriò profert, quę ex sua significatione, aut modo loquendi, ac circunstantijs impetrant imminutionem divini honoris, aut imperij: licèt enim ea non intendat formaliter, intendit tamen indirectè, & virtualiter: quamvis

Universidad de Deusto Biblioteca

vis id ex subreptione sæpè fit veniale tantùm, si tantùm materialiter fiat.

5. In confessione exprimendum est, si quis (quod tamen rarò contingit) directè, & formaliter Deum inhonorare intenderit, aut ei formaliter iratus fuerit. Laym. *l. c.*

6. Blasphemat item, qui iniuriosè vsurpat membrum Christi; v.g. perdat te Dei sanguis, vulnera, mors Dei, caput, passio, Sacramenta, chrisma, & similia sacra: cùm ea non ad perdendum, sed ad salvandos nos data sint; & communiter in his apprehendant homines magnam Dei, earùmque rerum vilipensionem contineri. Laym. *Ibid. n.* 12.

7. Qui talium verborum consuetudinem habet, tenetur sub peccato mortali serió conari eam tollere. Quod si facit, & tamen labitur, potest excusari aliquando; eò quòd iuramenta ista impetu naturali effusa non sint voluntaria, nec in se, nec in causa, vtpote retractata proposito efficaci. Laym. *l.* 1. *t.* 2. *c.* 3. *n.* 6. V. Escob. *t.* 1. *c.* 3. *n.* 36. Si non conatur, idque Confessarius notet, neget ei cum discretione absolutionem. Laym. *l. c.*

8. Interim plurimi excusantur ob inadvertentiam in subitâ commotione; tametsi nõ satis excusare videatur, quod quidam aiunt, ijs verbis aliud se non intendere, quam vsurpare tanquàm interiectiones significativas irę suę: tum quia equè se possent assuefacere ad verba alia, irę & seriæ voluntatis significativa: tum, quia tametsi id non possent, nihilominus non videtur licere vsurpare ea, quæ ex communi apprehensione aliorum sunt inhonorativa Dei.

9. Quòd si verò quis in irâ contra hominem, non indignando Deo, sed homini tantùm, nudè nominet mortem Dei, septem Sacramenta; v. g. ò Dei mors, vulnera, &c. sine scandalo, & sine ijs circunstantijs, quibus contemptus importatur, non sunt blasphemiæ, sed vana vsurpatio nominis divini, hoc precepto prohibita, & peccatum inter venialia grave, vt Caiet. & Armilla. *V. Blasphemia*, & Sanch. suprá. Quanquam propter periculum incidendi in blasphemias, & quia rarò abest scandalum; ac nihilominus apud audientes Deus, eiusque sacra censentur inhonorari, rarò excusantur à mortali, & meritó absterrentur homines à similibus dictis; vtnotat Laym. *l. c.*

10. In ira imprecari alijs Dæmonem, grandinem, fulgur, &c. etsi multi confundant cum blasphemijs, non tamen est blasphemia, sed dira imprecatio: quæ plerumque (saltem quando dicitur in illlos, qui amantur ab irato) ob subitam commotionem, & inadvertentiam, ac defectum seriæ voluntatis, non est nisi venialis: quia cùm se homines reflectunt, aiunt longè aliter se sentire, ac sensisse, ita vt videantur interiectiones tantùm quædam esse ad significandam iram, tametsi Christianos parum deceat tam absurdis interiectionibus vti. Bon. *l. c.* ex Navar. Tol. Reg. &c. Bald. *d.* 25. *n.* 10. vbi etiam censet veniale tantúm esse, sibimetipsi, ex irâ, dæmonem imprecari, eò quòd non lædat graviter charitatem. Verùm Molina, &c. non audet id excusare à mortali, propter fœditatem, horrorem, & perversitatem. Grave autem est, si subditi Superioribus, filij parentibus, (licèt materialiter tantùm) sic maledicant, præsertim in faciem: quia est grave contra debitum reverentiam. Bald. *l. c.* vid. infrà *l.* 5. *cap.* 3. *d.* 6.

11. In

11. In irâ vsurpare Dæmonem, sine imprecatione, non est per se peccatum: assidua tamen eius nominatio non decet Christianum; & ratione scandali posset esse gravius Laym. *l. c.*

12. In confessione exprimenda est qualitas blasphemiæ; videlicet vtrum contra Deum, an contra Sanctos fuerit: illas enim specie differre est probabile secundum Suar. Sanch. Reg. Azór. Lay. Dian. *t.* 1. *R.* 50. Lugo *d.* 15. *nu.* 2. 17. contrarium tamen tenet Trull. *l.* 1. *n.* 11. *d.* 2. *n.* 5. cum Dian. *p.* 1. *de circunst. R.* 30.

CAPVT II.

De Iuramento.

DVBIVM I.

Quid sit Iuramentum?

RESp. Iuramentum est invocatio tacita vel expressa Nominis divini, tanquã primæ, & infallibilis veritatis, in testem alicuius rei. Hæc autem invocatio in eo consistit, quòd iurans, quantum in se est, cupiat, ac velit, Deum id, quod iurat testari, & manifestare (si, & quando nimirum, illi placuerit, sive in hac vita, sive in altera) tanquam quod ab ipso Deo sit cognitum, & verum. Ita communiter. DD. S. Th. 2. 2. *q.* 89. *ar.* 1. Bonac. *d.* 4. *q.* 1. *p.* 1. Sanch. 3. *mor. c.* 1. Lay. *l.* 4. *tr.* 3. *c.* 1. *Vndè resolvitur.*

1. Quoad forum internum, iurat; quisquis interiùs intentionem habet, sive formalem, sive virtualem, & invocat Deum in testem, sive his, sive illis verbis, ac signis, sive etiam nullis vsus sit: ita vt si quis vtatur verbis nullo modo importantibus iuramentum, & is tamen ea putet esse iuramentã; verè iurat; & contrà. Suar. *l.* 1. *c.* 1. Sanch. *l.* 3. *c.* 1. Laym. *l.* 4. *tr.* 3. *c.* 1. Quoad forum autem externum, quænam formulæ, iurandi rationem habeant, ac proindè quæ verba licitè vsurpari in conversatione possint, patet ex sequentibus.

2. Quando dubium est de iurantis intentione, iudicari solet secundùm communem acceptionem verborum, quibus est vsus.

3. Veram rationem iuramenti habent hæ formulæ: testor Deum, vel invoco Deum testem. Item. *auff. meinem eidt: ben meinem eidt*: nisi aliud de vsurpantis intentione constet, quia multi ita v.g. *ich schuvere dir ein eidt*, vel, *ben meinem eidt*, hoc vel illud faciam: quorum tamen mens non est seriò iurare, id sed tantùm iracundè, & graviùs affirmare. Laym. *l. c. c.* 2.

4. Fides à Sacerdotibus loco iuramenti exigi solita per eorum consecrationem; vti, & formula illa Principum: *ben duser Furstlichen, Erem, Oder cremen*, etsi non sint iuramentum, tamen in foro fori accipiuntur loco iuratæ promissionis; vti, & si à personis illustribus, vel nobilibus dicatur: *ben meiner Adlichen, Ehren, Trevvuen, und Glauben*, vide Lay. *loc. cit. c.* 2.

5. Formulæ hæ. Deus novit, Deus testabitur suo tempore, coram Deo loquor, Deus novit omnia, Deus videt meam conscientiam, censentur tantúm narrativè proferri, non invocativé, (atque adeó non sunt iuramenta) nisi aliud constet, aut ex circunstantijs probetur. Laym. *l.* 2. *n.* 4. Bon. *q.* 1. *p.* 2. ex Suar. Less. Sanch. &c.

6. Non sunt iuramenta, quæ dicuntur per modum sponsionis; v.g. ex-

pono

Universidad de Deusto Biblioteca

pono caput meum, amputentur mihi aures, ni ita sit, &c. v. Sanch. *l. c. n.* 42.

7. Non veré iurat, qui vt iuramentum coactus vicet, dicit se iurare per omne id, per quod potest: quia cùm nulla res sit, per quam, absque necessitate, iurare licité possit, censetur per nihil iurare intendisse.

8. Non sunt iuramenta, (quod Confessarij, & Catechistæ moneant, ne ex erronea conscientia peccetur) verè, certè, in veritate, fide boni viri, per fidem meam, fide boni Christiani, vel Sacerdotis; vel Regis; per conscientiam meam super conscientiam meam, &c. vt habet Less. *c.* 42. *d.* 1. Bon. *l. c.* quia tantùm significat illum loqui ex dictamine conscienriæ, & notitiâ veritatis; nec in testem adducitur Deus. Esset tamen iuramentum, dicere, per fidem Catholicam, per S. Evangelium; quia tunc censetur in testem adduci, illius fidei, & Evangelij auctor. vide Laym. *l. c.*

9. Non iurat, qui dicit tam verum est, quàm sol lucet, quam hic sedeo, ambulo, &c. Vndè etsi comparatio falsa sit, tantùm est mendacium, cum nullus in testem invocetur. Idem est si dicas, quod dico est Evangelium, est instar fidei, & de fide, &c.

10. Quamvis hæ, & similes comparationes (tam verum est, quàm Deus est, quàm Christus est in venerabili Sacramento, quàm verum est Evangelium: item, tam sum innocens quám B. Virgo, vel S. Franciscus, &c.) communiter videantur continere iuramentum cum blasphemiâ; id tamen non satis apparet, quia nullus in testem invocatur. Neque videtur esse blasphemia si sic verum, & animus proferentis sit significare tantùm similitudinem, vt sensus sit, hoc esse verum suo modo, sicut alterum est verum suo modo. Tunc veró esset blasphemia, si vsurpans intenderet significare, tantam esse (secundúm æqualitatem,) in suo dicto certitudinem, quanta est in ea veritate fidei. Sanch. 2. *mor. c.* 31.

11. Non est iuramentum cùm quis iurat per creaturas, in quibus nihil divinæ bonitatis specialiter elucet: quia tunc non censetur adduci cum relatione ad Deum, vt si dicas: iuro per hanc barbam, vestem, &c. Censetur autem iuramentum, cum fit per creaturas nobiliores: cùm per eas tunc accipiatur earum Creator, vt qui in ijs singulariter residet, ac relucet, sic v. g. dum iuratur per cœlum, intelligitur illius habitator; dum per terram, is cuius hæc est scabellum: dum per templum, is, qui ibi colitur; dum per aliquod Sacramentum, is, qui instituit; dum per crucem, is qui in ea fixus est; dum per Evangelia, ea tangendo, aut nominando, is cuius ea verba sunt. Bon. *q.* 1. *p.* 1. *num.* 4. ex Suar. Sanch. *ll. cc.*

DVBIVM II.

Quotuplex sit iuramentum?

REsp. Divisiones aliquot communiter afferuntur, sed tantum accidentales, quæ speciem non mutant, vt in cõfessione distinguere nõ sit opus. Suar. Less. Bonac. *part.* 2. Itaque dividitur.

Primò. In Verbale, Reale, & Mixtum: cum videlicet vel verbis fit, vel actione aliqua, vt erectione digitorum contactu crucis, sceptri, Evangeliorum: vel & verbis simul & actione corporali, vndè & vocatur iuramentum corporale, v. Bon. *p.* 2.

Secun-

Secundò, In Invocatorium, seu Contestatorium, & in Execratorium, seu Imprecatorium. Illud est, quo Deus simpliciter vt testis invocatur; hoc autem, quo non solúm invocatur vt testis, sed etiam vt vindex, cum iurans se, vel alium dilectum, vel aliquid sui, aut suorum, subijcit Deo puniendum, si falsum dicat: vt ita me Deus amet, adiuvet: puniat me Deus: faciat Deus, vt hinc nunquam sanus surgam: nec coniugem, nec liberos vivos hodie intuear: tollat me Deus subitaneâ morte: æternùm damnet: super animam meam, &c. in quibus quandò falsó iuratur, an sit coniũcta altera species malitiæ contra charitatem sui, aut proximi, Scholastici controvertunt. Negant Suar. Valent. &c. quia non solet quis, etiam amico suo tale malum ex animo imprecari, sed potius cogitat Deum non facturum esse, v. Bon. *d.* 4. *q.* 1. *p.* 2.

Tertió. In assertorium, & promissorium. Illud est, quo præterita vel præsentia affirmantur, aut negantur: hoc autem est, quo aliquid futurum promittitur. Addunt aliqui Cõminatorium; ut v. g. per Deum ego te cædam. Sed hoc referri potest ad promissorium. In confessione non opus est explicare vtrum per Deum, an Sanctos iuraveris: quia est eiusdem speciei malitia, cum iurans semper intendat Deum adducere in testem. Suar. Less. *c.* 42. Lugo *d.* 16. *n.* 286.

DVBIVM III.

An, & quando sit licitum iurare?

REsp. Iuramentum si debito modo fiat, licitum est. Est de fide. Et quidem est actus religionis, vt omnes docent. Tunc autem debito modo fit; cùm in eo observantur hæc tria. 1. Est iudicium, quod exigit, vt cum discretione, prudentiâ, consideratione, ac reverentiâ, non sine necessitate, aut gravi causâ fiat. 2. Est iustitia, quæ exigit, vt quod iuratur sit res iusta, licita, & honesta. 3. Est veritas, vt nimirúm, sit res, vera, aut saltem ex gravi ratione putetur esse vera: ita vt provt ex defectu alicuius horum minor, aut maior in Deum iniuria, aut irreverentia redundare censetur, ita quoque maius, aut minus commmittatur peccatum. *Vndè resolves.*

1. Quoad iudicium, si hoc solum desit, vt plurimum, est veniale tantùm: vt si absque necessitate iuret, sive ex levitate quâdam animi, sive ex consuetudine, v. Sanch. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 22. Less.

2. Mortaliter tamen etiam hic, aut venialiter peccari potest, iuxta quantitatem negligentiæ, quam iurans admittit in investigatione veritatis, vel tollendâ consuetudine. Sanch. *n.* 10.

3. Et sic mortalis est status illorum, qui non tollunt consuetudinem iurandi sine attentione, sitne verum hoc, an falsum, quod iurare solent.

4. Quod ad iustitiam spectat, peccat mortaliter, qui iurat se facturum rem mortaliter malam; vt se aliquem interfecturum, quia est gravis irreverentia, divinâ authoritate se ad peccatum mortale quasi obligare; ita vt hic duæ malitiæ concurrant: vna, quod velit malum; altera, quod ad hoc abutatur authoritate Dei, odio habentis omne malum Bon. *l. c. p.* 3. Less. *l.* 2. *c.* 42. *d.* 3.

5. Venialiter autem peccat, qui iurat facere rem venialiter malam, aut vanam, aut inutilem, aut frivolam; cùm

Universidad de Deusto Biblioteca

ibi levis tantùm irreverentia censeatur. Bon. *ib.* Less. *l. c.*

6. Item peccat veniaiter, qui iurat aliquid contra consilia Evangelica; vt se non ingressurum religionem non daturum eleemosynã, aut mutuum. Suar. Less. Sanch. Bon. *l. c.*

7. Quod ad veritatem spectat; cùm hæc deest, peccatur mortaliter: quia cõmittitur gravis in Deum irreverentia; quippè cùm adducatur in testem falsitatis, quasi vel ipse veritatem nesciat, vel velit, aut possit decipere, testando falsum. Nec hic excusat levitas materiæ: quia sive hæc sit gravis, sive levis; seria, sive iocosa, æqualiter tamen repugnat Deo testificari falsum: & tale iuramentum dicitur Periurium S. Th. 2.2. *q.* 97. *ar.* 7. Less. Sanch. Bon. *l. c.* An autẽ, & quãdo periurium possit esse veniale per accidens v. Escob. *t.* 1. *c.* 2. *n.* 6.

8. Nec excusatur, qui iurat verum, si is putabat esse falsum, vel qui iurat pro certo, de quo ipse dubitat, etsi à parte rei verum sit, Sotus, Navar. Bon. *l. c.*

9. Peccat æquè graviter, qui ab altero exigit iuramentum, sciens eum esse peieraturum. Excipe, nisi iusta causa, & necessitas exigat; quia tunc periurium ex sola peierãtis malitia sequitur, nec alter moraliter censetur illius causa, cùm vtatur suo iure. Quod tamen extra iudicium rarò habet locum in privatis personis. S. Th. *q.* 89. Suar. *l.* 3. *c.* 13. & 24. Sanch. *l.* 3. *c.* 8.

10. Non peieravit qui iuravit aliquid re ipsâ falsum, quod ipse bona fide, & cum ratione putavit esse verum.

11. Excusari subinde quidam simplices à mortali periurio videntur posse, ratione inconsiderationis, cùm vsurpant quasdam formulas iuratorias, vt per animam meam; puniat me Deus. Etsi enim sciant id vocari iuramentum, non tamen apprehendunt, quod iurare sit aliquid grave, & invocare Deum in testem, sed tantùm apprehendunt confusam aliquam rationem mali non tanti momenti. v. Bon. *l. c.* Laym. *c.* 14.

DVBIVM IV.

An in iuramento liceat vti æquivocatione?

RESp. Iurare cum æquivocatione, quando iusta causa est, & ipsa æquivocatio licet, non est malum: quia vbi est ius occultandi veritatem, & occultatur sine mendacio, nulla irreverentia fit iuramento. Quod si sine iustâ causâ fiat, erit quidem periurium; vt videre est in Propositione 26. ex damnatis ab Innocentio XI. Ita Cassianus à Sancto Elia. *v. Amphibologia.* Fuente Hurtado *in Theologia Reformata*, *Dissertatione* 14. ex genere suo mortale contra religionem; cùm sit gravis irreverentia, ad alterum in re gravi decipiendum, vsurpare iuramentum. Ita communiter DD. vide Sanch. *l.* 3. *c.* 6. Bonac. *p.* 12. Lay. *c.* 13. *Vndè resol.*

1. Graviter peccat, qui vtitur æquivocatione, quando non rogatus, sed spõtè sua iurat: quia tunc tenetur vti vocabulis secundùm communem significationem (inquit Tolet. *l.* 4. *cap.* 21.) eo quod non habeat rationem æquivocandi.

2. Graviter item peccat, qui vtitur æquivocatione, quando iuramentum iustè exigitur, vt à iudice, vel Superiore, in re gravi. Bon. *l. c.*

3. Peccat

3. Peccat etiam graviter, quamvis fiat tale iuramentum in re levi, per iocum, & citra inobedientiam, ac notabile damnum alterius. Ita Cassianus, & Fuente Hurtado *loc. cit.*

4. Licet æquivocè iurare, si iuramentum exigatur iniustè, vt v.g. si quis exigat iuramentum, qui ius non habet, v.g. Iudex incompetens: vel si non servet ordinem iuris. Item si exigatur per vim, iniuriam, aut metum, v.g. si vir exigat iuramentum ab vxore de adulterio occulto; si latrones exigant à te lytrum cum iuramento. Sayr. *l.* 4. *c.* 5. & *l.* 12. *c.* 17. Less. Trull. *l.* 2. *c.* 1. *d.* 5.

5. Qui exteriùs tantùm iuravit sine animo iurandi, non obligatur, nisi forte ratione scandali, cùm non iuraverit, sed luserit. In foro tamen externo potest cogi vt servet. Sanch. 7. *mor. c.* 10. *n.* 11. Trull. *l.* 2. *c.* 1. *d.* 10.

DVBIVM V.

Quæ, & quanta sit obligatio iuramenti promissorij?

RESp. In iuramento promissorio duę affirmantur veritates, vna de præsenti primaria, quòd scilicet iurans habeat animum implendi, quod promittit: altera secundaria de futuro, quòd scilicet impleturus sit suo tempore, quod promittit; sive promittat Deo, & est votum cum iuramento; sive homini, & est iurata promissio humana. Vndè oritur obligatio implendi, si rationabiliter possit. Ita communiter DD. V. Lay. *l.* 4. *t.* 3. *c.* 6. Bon. *p.* 7. *Vndè resolves.*

1. Defectu primæ veritatis iurans, verè peccat mortaliter, si vel non habet animum implendi, sive materia sit parva, sive magna; licita, sive illicita; vel dubitat an facturus sit, necne, quod iurat, vel putat sibi moraliter impossibile vt impleat, quod promittit, quia quoad istam veritatem præsentem, promissorium ab assertorio non differt: vndè nec parvitas materiæ excusat *Ibid.*

2. Defectu secundæ veritatis verè peieravit, qui quod promisit, postea non implet, si rationabiliter implere potest. Id solùm hic dubitatur, an qui promisit rem exiguam cum iuramento, vt v.g. dare alteri vnum pomum, vel nummum pro eleemosynâ, vel castigare prolem, vel inter vendendum nolle se minori pretio vendere, vel nolle primum locum occupare, aut præcedere in ingressu portæ, &c. an inquam sub gravi peccato teneatur hæc servare? Vbi speculativé quidem videtur quod sic, quia verè adductus est Deus vt testis, quod sit facturus, ergò si sine causa non facit quantum in se est, facit Deum testem falsum. Caiet. Val. Tol. *l.* 4. *cap.* 22. Nihilominus probabiliter alij tenent contrarium, vt Sanch. V. Laym. *sup. cap.* 14.

3. Illud certum est, quòd si ex eo quòd iurasti, tantummodò parum aliquid non serves, non est grave, v.g. si iurasti te non bibiturum vinum, non peccas mortaliter parum bibendo Sanc. *t.* 1. *l.* 4. *c.* 12. *n.* 21. quia tunc excusat parvitas materiæ. Et sic excusantur, qui iurant servare statuta alicuius Capituli, Collegij, Vniversitatis, &c. si postea parvum aliquod statutum violent. Et idem dic de tabellionibus iuratis, & alijs ministris iustitiæ; vt & de eo, qui ex summâ, quam alteri se daturum iurasset, parum tantùm detraheret Nav. Suar. Sanc. vide Laym. Bon. *p.* 14.

4. Obligaris probabiliter iuramẽto promissorio, etsi extortum à te sit per iniuriam, ac metum: vt si oblitus vti æquivocatione, iurasti prædonibus dare lytrum, vsurario vsuram. Bec. 2. 2. q. 82. &c. Negat tamen Azor. *tract.* 1. *l.* 11. *c.* 7. *q.* 2. in materia tamen matrimonij: quia matrimonium coactum metu cadente in constantem virum, nullum est: hinc etiam iuramentum extortum de eo contrahendo, videtur relaxatum ipso iure, ait Cai. *V. Periurium*, Suar. *cap.* 9. Sanch. Bon. *p.* 9.

5. Obligaris item, etsi iuramentum sit errore, aut dolo extortum, si dolus, vel error versetur tantum circa circunstantias accidentales, non magni momenti: nam si versetur circa substantiam: vt v.g. si annulum te daturum alteri iures, putans esse ferreum, cùm sit aureus; vel circa circunstantias magni momenti, quibus cognitis non iurasses, non obligaris. V. Sanch. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 42. Suar. *&c.*

6. Non inducit vllam obligationem, si iures rem malam, aut vanam, aut inutilem, aut vt habet Cai. indifferentem, quæ nec ex fine, nec circunstantijs cohonestatur; quia iuramentum non potest esse vinculum iniquitatis, aut vanarum rerum, ac otiosarum, ad quas Deus non vult nos obligari. Bon. & alij communiter. Vbi Nota ex Laym. *sup. cap.* 6. iuramentum non convalescere; etsi talis res illicita, & vana, postea mutatis circunstantijs fiat honesta, cum iuxta regulam 18. *iuris in* 6. non firmetur tractu temporis, quod initio non subsistit.

7. Nec obligaris implere, si quid iurasti contra consilia Evangelica, vt non ingredi Religionem, non dare eleemosynam, &c. Mol. Sanch. Lay. *l.* 4. *t.* 3. *c.* 6. Et licét peccaveris talia iurando, non tamen peccas non implendo, vid. Cait. *ver. Periurium.*

8. Teneris implere, nec potes commutare in aliud opus melius, vt v.g. religionem, si aliquid iurasti in vtilitatem, aut gratiam alicuius hominis aut aliquorum; dummodo sit honestum, & sine peccato impleri possit. Vndé v. g. alumnus, qui iuravit se serviturum Principi, aut huic, vel isti Ecclesiæ, &c. non potest ingredi religionem sine relaxatione. Excipe tamen, si iurasses Titiæ eam ducere, nam eo casu potes ea relicta ingredi religionem: quia iuramentum sortitur naturam actus, cui apponitur, promissioni autem matrimonij hæc tacita conditio inest: nisi ingrediar religionem; vide Laym. *c.* 6. Bon. *d.* 4. *q.* 1. *p.* 3.

Resp. 2. Iuramentum promissorium eandem habet conditionem, eodemque modo explicandum est, quo promissio, vel propositum, cui est annexum. Ratio est, quia accessorium sequitur principale, ideòque quando non obligat promissio, nec obligat iuramentum appositum Less. *l.* 2. *c.* 42. *d.* 2. Bon. *d.* 4. *q.* 1. *p.* 16. Trull. *l.* 2. *c.* 1. *d.* 17. *Vndè resolves.*

1. Titius qui cum iuramento promisit nuptias Bertæ diviti, sanæ, virgini, bonæ famæ, &c. non tenetur stare iuramento, postquam Berta incidit in paupertatem, infirmitatem, fornicationem vel infamiam: quia promissio ipsa non obligat eo casu.

2. Qui vrbanitatis causâ iuravit se ante alterum non sessurum, bibiturum, vel ingressurum domum, &c. non peccat contra iuramentum, si coactus ab altero priùs sedeat, bibat, vel ingrediatur: tum quia promissio illa vel propositum habet tacitam conditionem adiunctam (nisi me coëgeris) qua sublata non obligat, & consequenter nec iuramentum; tum quia relaxatur ab altero cedente iuri suo. Bonac. *loc. cit.* Sanch. Less. Trullench.

3. Qui iuravit se servaturum decreta, & regulas vel statuta alicuius Congregationis, Vniversitatis, vel Capituli, tantùm tenetur servare ea, quæ sunt in vigore, & quatenus sunt in vsu, vel servantur à maiore parte Capituli; nisi tamen aliud constet de mente iurantis, vel hic voluerit se ad illa independenter à statutis obligare. Ratio patet, quia promissio ipsa non aliter obligat. Trull. *l. c.* Azor. Less. Dian. *p.* 2. *tr.* 6. *R.* 39.

4. Qui iuravit se servaturum secretum, non peccat contra iuramentum illud detegendo, quando non potest illud celari absque gravi suo, vel alterius damno; quia ipsa promissio secreti non videtur obligare, nisi hac conditione: si non noceat: Sylv. Bon. Sanch. Trull. *l. c.*

5. Qui iuravit Iudici, se dicturum quæ novit, non tenetur revelare occulta. Ratio patet. Less. Bon Trull. *l. c.*

6. Qui iuravit se soluturum debitum intra mensem, non tenetur intra illum vi iuramenti solvere, si à creditore terminus solutionis prorogetur: quia cùm hic cedat iuri suo, cessat obligatio promissionis, & consequenter iuramenti: Azor. Bon. Trull. *l. c.* *n.* 18.

(***)

DVBIVM VI.

Quibus casibus excusetur ab impletione, qui in promissorio iuramento obligationem contraxit?

Resp. Tales casus præter ea, quæ ex superioribus colliguntur, à Tol. & Caiet. recensentur isti. 1. Si quod bonum erat tempore iuramenti, propter circunstantias posteà fiat illicitum, vel vanum, vel impedimentum maioris boni, vel meliùs sit omitti quám impleri. Sanch. *c.* 15. 2. Si iuramentum mutes in opus aliquod aperte melius, & Deo gratius: id enim quisque per se potest, vt habet Tol. *c.* 23. Excipe tamen semper, si quid in hominis commodum iurasses: nec enim Deus illum vult defraudari. 3. Si notabiliter mutetur status rei; vt si v.g. iurasses aliquem punire iusta punitione is autem supplex veniam peteret, & ageret pœnitentiam, posses ei sine periurio condonare: quia iuramentum obligabat servato eodem statu, in quo non pœniteret. Lay. *c.* 9.

4. Si res iurata facta sit inutilis ad intentum, maximè, si magis illius destructiva: vt si v.g. ex correctione impœnitentis filij notaretur is magis destruendus, quam emendandus; aut si turbanda familia; secuturæ rixæ cum vxore, & sic præstet non corrigere. Regin. *l.* 18. *c.* 56. Bon. *l. c. p.* 14.

5. Si ita ferant conditiones illæ, quas in quovis promissorio iuramento tacitè subintelligi, natura & DD. docent. Tales autem sunt, vt Lay. dicit. *sup. c.* 9. 1. si potero. 2. salvo. iure Superioris. 3. nisi res notabiliter mutetur. 4. nisi obligatio tollatur. De quo sequens dubium.

DVBIVM

Universidad de Deusto Biblioteca

DVBIVM VII.

Quomodo obligatio iuramenti tollatur per irritationem, dispensationem, commutationem, & remissionem.

REsp. De hoc ex conditionibus iam positis, & potestate Superiorum in suos, ac suorum vota, à Laym. *hic. c.* 11. & alijs communiter hæc traduntur.

1. Quod spectat ad irritationem: irritare, & annullare potest iuramentum omnis is Superior, maritus, aut dominus, qui, & quomodo irritare potest suorum vota. Sanch. *c.* 19. *n.* 7. Suar. Azor. Fill. *l.* 25. *c.* 9. *q.* 9. *p.* 17. *dub.* 6. vid. *Caput seq.*

2. Possunt & ijdem irritare iuramenta, promissoria, facta in gratiam hominis, quotiescunque ipsam promissionem, seu contractum infirmare ijs concessum est.

3. Quoad dispensationem: quicumque habet potestatem ordinariam, vel delegatam, vel privilegium dispensandi in votis, potest in ijsdem dispensare, etiamsi iurata sint.

4. Quoad commutationem, eadem est ratio, quæ de dispensatione.

5. Quod attinet ad remissionem, sive relationem: iuramentum factum in favorem hominis non potest relaxari, nisi ab eo, cui factum est, aut cui is, & promissa materia subiecta est.

6. Et is quidem potest remittere, etsi talis favor ei iuratus esset propter Deum; v. g. si quis propter Deum iurasset pauperculæ, eam ducere, potest ipsa iuramentum illud relaxare, vt habet Navar. & alij contra Sotum, & Sylv. quia licèt iuramentum principaliter factum sit propter Deum, quia tamen executio est in favorem hominis, etiam ab hujus voluntate dependet.

7. An etiam civilis potestas relaxare possit iuramenta suorum subditorum in temporalibus, quando iusta causa subest, v.g. quia metu, vel per aliam iniuriam extorta sunt, controvertitur. Alij negant, alij asserunt apud Laym. Probabile est, quod docet Sanch. *l.* 3. *c.* 12. cum Suarez, non posse relaxare directè, sicut potestas Ecclesiastica, quando dispensat; sed tantùm indirectè, v.g. ratione materiæ, vel supplendo vicem eius, cui iuratum, est, & qui remittere debebat. Plura ad forum externum spectantia circa iuramentum. Vid. apud. Laym. *suprà cap.* 11. Bon. *loc. cit.*

CAPVT. III.

De Voto.

DVBIVM I.

Quid sit Votum, & quotuplex?

REsp. 1. *Est promissio facta Deo, deliberatè, de bono possibili, & meliori.* D. Th. 2. 2. *q.* 88. vid. Sanch. & Laym. *l.* 4. *t.* 4. Vndè patet, quod votum sit actus latriæ soli Deo debitus. Quare dum vovemus quidquam Sanctis, sensus est, voveri ea Deo in honorem simul Sanctorum; sicut Templa, & Altaria ædificamus Deo in eorumdem honorem. Porrò ex singulis particulis datæ definitionis multi casus resolvuntur: quos vt vitetur confusio, & consulatur memoriæ, separatis dubijs proponam.

Resp.

Resp. 2. Dividitur votum. 1. In absolutum, & conditionatum. Illud est, quod fit sine vlla conditione, vt voveo eleemosynam; hoc autem, quod fit cum conditione, ita vt, nisi hac positâ, non exurgat obligatio; vt voveo eleemosynam, si sanitati restituar, vel (quod dicitur pœnale) voveo facere disciplinam, si hoc fecero. 2. In solemne, & simplex. Illud est, quod vt tale acceptatur ab Ecclesia, & sunt hæc duo: votum castitatis, quod maioribus Ordinibus annexum est, & votum professionis religiosę. Simplex autem votum est, omne aliud, quod talem solemnitatem non habet. Vbi sciendum, quod votum solemne reddat personam iure inhabilem ad contractus, vel actus contra votum, vt ad matrimonium, vel dominium bonorum habendum. Vide *infrá lib.* 4. *cap.* 1. *in tract. de statu Relig.* Simplex autem tale votum, v.g. castitatis, (excipio, quod in Societate Iesu emittitur post Novitiatum) aut ingrediendæ religionis, etsi reddat contractum, v.g. matrimonij illicitum, non tamen invalidum. Vide *infrá lib.* 6. *de matrimonio.* 3. In reale, & personale. Illud est, cùm pecunia, vel alia res externa pretio æstimabilis promittitur, vt calix, eleemosyna: hoc autem, cum aliqua hominis actio, vel cessatio ab actione promittitur, vt votum ieiunij, peregrinationis, abstinentiæ à lusu. His aliqui adiungunt mixtum ex vtroque, vt si voveas peregrinationem cum oblatione alicuius rei. Vide Less. *l.* 2. *c.* 40.

DVBIVM II.

Quæ requiritur voti deliberatio, & intentio?

REsp. Cum voti obligatio sit gravissima, riquiritur intentio, deliberatio, & libertas perfecta qua quis liberè, & directè in se voluerit promittere, cum animo se obligandi. Ita Doctores communiter. Less. Bon. *d.* 4. *q.* 2. *p.* 1. *Vndè resolves.*

1. Ætas, & vsus rationis ad vovendum ea sufficit, quæ satis est ad peccatum mortale, perfecto actu humano, & directo in se volitum. Excipe tamen votum solemne religionis, quod invalidum est ante certam ætatem.

2. Non obligat votum factum cum semiplenâ animadversione, vel deliberatione, v.g. ex repentino animi motu, vel consuetudine, linguâ mentem preveniente, vel ex calore iracundiæ rationis vsum auferente. Azor. Sanch. Trull. *l.* 2. *c.* 2 *d.* 1. Vbi notat, non esse sufficiens iudicium, quod defuerit perfecta ratio, vel deliberatio, si voventem facto voto mox pœniteat: item motum iræ, rarò, & vix vnquam impedire vsum rationis.

3. Quòd si is qui scit se vovisse, dubitet an cum sufficienti deliberatione, & vsu rationis, ob defectum ætatis, siquidem vovis ante septennium, votum non obligat; nisi constet de sufficienti rationis vsu, quia ius in tali non præsumit; & possessio stat pro libertate. Si verò post septennium vovit, obligat; quia possessio est pro voto, cùm præsumatur vsus rationis, nisi constet oppositum. Si denique dubitet, vtrùm antè, an post septennium voverit, teneri voto vult Sanch. & Palaus: negat Dian. &c.

4. Vota facta in ebrietate, etiam ante prævisa, & sic volita in causâ, non sunt valida, cùm non sint volita in seipsis, & directè: bonum autem non consurgit nisi ex integrâ causâ, quamvis ad peccatum satis sit voluntarium indirectè,

Universidad de Deusto Biblioteca

ctè, & in causâ. Laym. *l.* 4. *t.* 4. *c.* 1. *n.* 4.

5. Vota facta in metu non incusso ad hoc ipsum, vt votum extorqueretur, valida sunt; quia sunt simplicitèr voluntaria, & deliberata: facta autem in metu iniustè incusso ad ipsum votum extorquendum, invalida sunt *ex communi* non quia non sint voluntaria, sed quia vel ius ea irritat, vel Deus non acceptat, ne det vim iniustæ coactioni, idque sive metus sit gravis, sive levis dummodo quis formaliter ex solo tali metu voveat. Suar. *de voto, lib.* 1. *c.* 8. Sanch. Fill. *t.* 26. *c.* 1.

6. Quoad vota emissa ex errore, si error fuerit circa substantiam materiæ, promissæ, vel circa conditionem substantialem, vel circa finem, sive rationem formalē, ac motiuum vovendi, votum nullum est, vt v.g. 1. Circa substantiam, si quis voveret certum aliquem suum calicem, quem putat argenteum, cùm sit aureus, vel se ingressurum certum Monasterium, putans esse Ordinis Sancti Benedicti, cùm sit Carthusianorum. 2. Circa conditionem substantialem, si quis v.g. voveret se ingressurum Monasterium, vbi putaret Religiosam disciplinam, & essentialia Religionis servari accuratè, & tamen non ita esset; vel si voveret peregrinationem ad limina Apostolorum, putans tantùm distare centum milliaribus, cùm tamen distarent trecentis. 3. Circa causam finalem, si quis v.g. voveret aliquid in gratiarum actionem, pro sanitate parenti reddita, & is reipsa non fuisset ægrotus, vel esset mortuus. Et ratio nullitatis talium votorum est; quia hic deficit liber consensus, qui non fertur in incognitum, & nihil tam est contrarium consensui, quàm error, Fill. *t.* 25. *c.* 1.

7. Vota quæ emittuntur post Noviatum, in quocunque approbato Ordine, instar matrimonij carnalis, non sunt irrita ob vllum errorem, nisi solum substantialem circa substantiam.

8, Si error circa conditionem substantialem sit de re parvi momenti, non redditur votum irritum, vt si iter peregrinationis, quam quis vovit, sit paulò longius, quàm putabatur, quia parum reputatur pro nihilo. Item si error sit tantùm circa causam impulsivam, valet votum: quia illa est tantùm causa secundaria, quà seposita actus est sufficienter voluntarius secundùm substantiam. Neque talis error in cæteris contractibus actum viciat: v.g. vovit aliquis peregrinationem Romam studio colendi Deū, & simul etiam habuit causam secundariam impulsivam, vt inviseret fratrem, quem putavit esse Romæ, quem etsi intelligat deindè istic non esse, non ideó desinit obligari voto. Et ex his patet, quomodo intelligendum sit, quod dici solet, vota non obligare vltra intentionem voventis, Sanch. *lib.* 4. *cap.* 2. Less. *l.* 2. *cap.* 40. *d.* 2.

9. Ad votum non sufficit nudum propositum, licèt firmissimum: quia qui tantùm proposuit, non tenetur sub peccato præstare: qui autem promisit, obligatur sub peccato & nisi præstet, agit contra fidem Deo datam. Bon. *p.* 1. Lay. *loc. cit.*

10. Ad votum aliquando sufficit promissio implicita; vt patet in susceptione Ordinum sacrorum, vbi licèt non dicatur voveo, vel promitto castitatem, votum tamen hoc fit implicitè, hoc ipso quod sciens Ecclesiam annexuisse ijs Ordinibus istud votum, eos suscipis. At verò,

verò, si quis plenè id ignoraret, adhuc censeretur vovere ex implicita intentione, dubium est: Aliqui asserunt, aliqui probabiliùs negant, dicuntque, talem teneri ad castitatem, non ex voto sed ex Ecclesiæ præcepto. Sanch. *de matr. l.* 2. *d.* 27. *num.* 21. Bon. *q.* 2. *p.* 1. *& comm.*

11. Si quis haberet intentionem promittendi quidem, sedtamen se non obligandi, nullum esset votum, secundùm Navar. Sylv. Sanch. *num.* 27. Less. *l.* 2. *c.* 40. *dub* 1. *nu.* 6. Bon. & alios contra Caiet. quia talis non vult vovere, cùm apponat conditionem contra substantiam actus. Vndè Lugo *d.* 23. *de inst. sec.* 1. & alij contendunt talem non posse dici promittere. Verum videret esse quęstio de nomine. Si veró haberet animum vovendi, & se obligandi, non tamen implendi; tunc etiam graviter peccaret, & votum esset validum. Sanch. Fil. Bon. *p.* 1. *num.* 14. Lay. &c.

DVBIVM III.

Quæ requiratur materia voti?

RESp. Ea debet esse possibilis, (cùm impossibile, nec efficaciter intendi possit, nec ad illud sit obligatio) & non solùm bona, sed etiam melior, quàm oppositum, sive eius omissio: quippe finis intrinsecus voti est honorare per hoc Deum: id autem non potest fieri, nisi offeratur illi aliquid gratum: gratum autem esse non potest, vt quis obligetur ad relinquendum id, quod est meliùs Sanch. *l.* 7. *cap.* 7. Lay. Navar. &c. *Vndè resolves.*

1. Invalidum est votum nunquam peccandi venialiter, cùm id moraliter, & ordinariè sit impossibile. Aliqui tamen volunt; sic voventem teneri isto voto ad vitanda mortalia, & venialia graviora, de quo Scholastici Navar. *cap.* 12. *num.* 63. Suar. *l.* 2. *cap.* 3. Sanch. *de matr. l.* 9. *d.* 35.

2. Invalidum est votum de re vana, vel inutili, vel indifferente, nisi ex circunstantijs, aut fine fiat bona; quia Deo displicet stulta promissio, & hinc eam non acceptat, ac peccat venialiter talia vovens, vt v.g. si quis decidens ex equo voveat non ampliùs equum ascendere. Nav. *cap.* 12. Sanch. 4. *mor. cap.* 7.

3. Invalidum est vovere mala, & qui vovet mortale; peccat mortaliter, qui autem veniale, eum venialiter tantùm peccare dicunt Sà, Sylv. &c. *V. iuramentum*: licèt mortaliter peccare velit, Cai. *V. votum.* & Less. *l.* 2. *c.* 4. *d.* 5. quod videtur probabilius.

4. Invalidum est votum, cui adiungitur finis, vel alia circunstantia mala tenens se ex parte rei votæ, vt v.g. vovet quis eleemosynam ad obtinendam vanam gloriam, aut impetrandum per eam victoriam iniustam, fælicem successum furti, adulterij, &c. aut in gratiarum actionem pro successu talis peccari: quia datio eleemosynæ in talem finem est actio blasphema, quasi Deus peccata promoveat, ideòq; non potest esse materia voti. Caiet. Nav. *c.* 12. Sanch. *cap.* 6. Lay. *l.* 4. *t.* 4. *c.* 2. *n.* 6. Fill. *t.* 26. *cap.* 5.

5. Validum autem est, etsi ei adiungatur finis, vel alia circunstantia mala tenens se tantùm ex parte voventis, vt v.g. si quis ex vana gloria, aut ex ira erga importunum mendicum, voveat ei dare eleemosynam: quia tunc res ista bona est, quam vovet, licèt ipse voveat malè, & cum peccato, *Ibid.*

6. Va-

6. Validum item est votum factum ex affectu erga rem bonam, vt bona est; etsi coniuncta cum causa mala: vt si quis voveat eleemosynam, si ex duello evaserit salvus, si non capiatur in furto, si filius sibi nascatur ex adulterio, quod parat, &c. licèt enim duellum, furtum, adulterium velle, malum sit, tamen his positis non lædi, non infamari, prolem gigni, mala non sunt, sed Dei dona; & votum non cadit super ista mala, sed super hæc bona considerata (vt suppono) quatenus in se bona sunt, Nav. Laym. *l. c.*

7. Invalidum est, & veniale peccatum, vovere bonum, quod est impeditivum boni maioris, vt præsertim sunt vota contra consilia Evangelica, vt v.g. manere in sæculo, ducere vxorem, ire ad militiam, facere mercaturam. Nav. *nu.* 29. Suar. Fill. *c.* 1. *q.* 7. *n.* 58. Sanch. &c.

8. Si tamen aliquod bonum per se, & absolutè minus, fieret per accidens maius bonum, tunc talia vovere valet, vt v.g. si quis videret susceptionem Ordinum sibi damnosam. Vid. Bon. *p.* 1.

9. Matrimonium ordinariè invalidè vovetur, quia ordinariè melior est cælibatus. Dixi *ordinariè* quia validè vovetur. 1. Si quis ad hoc obligetur, vt quia sine iniuria, aut gravi infamatione sponsæ, vel liberorum ex ea conceptorum, à sponsalibus non potest recedere. 2. Si id Reip. valdè vtile futurum existimetur, vt quia v.g. ex eo speratur pax inter Principes, conversio hæreticorum, regni tranquillitas. 3. Si quis ob fragilitatem, & inveteratam consuetudinem peccandi, adeò sit pronus ad lapsum, vt prudentes iudicent consultum ei esse vt nubat, in quo tamen vltimo Lay. & alij dissentiunt. Vid. Bon. *l. c.* Fill. *n.* 6. Nav. Suar. *l. c.* Lay. *n.* 12.

DVBIVM IV.

Quæ, & quanta sit obligatio voti.

RESP. Tanta est, quantam, tum quantitas materiæ permittit, tum intentio voventis, quâ se vel multùm, vel parùm, vel absolutè, vel cum certa conditione, restrictione temporis, qualitatis, obligare velle designat: ita vt etsi obligatio voti sit iuris naturalis, vis tamen eius pendeat à voluntate, & facto hominis, tanquam prævia conditione, vt tantùm, vel tantùm obliget. Ita communis. vid. Lay. *c.* 3. Bon. *p.* 5. *Vndè resolves.*

1. In materia levi nemo obligatur sub mortali, quia materia id non permittit. Nav. *nu.* 40. Sanch. *l.* 4. *c.* 12. Lay. *l. c.* v.g. vovisti recitare quotidie *Salve Regina*: omittendo semel, iterumque non peccas mortaliter, quia materia est parva. Sanch. *l.* 4. *c.* 12. Lay. *l. c.* Azor. *l.* 21. *c.* 15. Imò etsi toto anno omittas, esse tantùm veniale, eò quód materiæ istæ parvæ non coalescant in vnam, probabiliter docent Diana *to.* 5. *misc nu* 24. Soto. Arag. & Tann. 2. 2. *d.* 4. *dub* 3. contra Valen. &c.

2. In materia gravi, etsi quis possit se obligare tantùm leviter: communiter tamen censetur se voluisse obligare graviter, nisi aliundè constet. Vndé violans tale votum, peccat graviter ex genere suo. Vid. *Ibid.*

3. Qui postquam gravi voto se obstrinxit, serió deindè dolet quód fecerit, non peccat graviter, modó retineat animum implendi Vid. Sà *V. votum.*

4. Qui

4. Qui violat votum de re iam antè præcepta, v.g. qui post votum castitatis fornicatur, debet in confessione addere, quód votum id habeat, aut quod Ordines acceperit, si Confessarius nesciat: quia duplex tunc est malitia peccati. Suar. *c.* 6. Less. *d.* 7. Sanch. *c.* 5. Fill. *c.* 2. *q.* 7.

5. Alieno voto nemo obligatur ex vi illius voti. Vndè si qui Canones videntur indicare, filium à patre religioni devotum teneri eam profiteri, intelligendi sunt, si filius votum patris semel ratificaverit. Suar. *c.* 9. Sanch. Lay. *c.* 5. *num.* 6.

6. Cùm hæres teneatur solvere vota realia defuncti, non tenetur vi voti, sed ex iustitia; sicuti tenetur alia illius debita, legata, &c. solvere. *Ibid.*

7. Eodem modo si communitas aliquid vovit, in quod posteri non consenserunt, non tenentur id servare vi voti, sed interdum ratione pacti, statuti, vel longæ consuetudinis, Vid. Laym. *hic. c.* 3.

8. Cùm quis vovet factum alterius, sensus est, se curaturum id eo modo, quo licitè potest, vt v.g. rogando, persuadendo, vel etiam præcipiendo, si sit Superior, vel etiam aliquando, pacificando, & suppeditando sumptus. Sic parens, qui filium devovit religioni, ad nihil aliud tenetur, quàm vt conetur eam filio persuadere: sic qui Missas, vel peregrinationem alterius curandam, quando stipendium, ac sumptus ei persolvit, non tenetur alium substituere novis sumptibus, si prior non præstet, ad quod se obligavit. Sanch. Lay. *n.* 7.

9. Vota personalia non implentur nisi per voventem: vndé qui vovit peregrinationem Romam v.g. non satisfacit, si conducat alium: neque ad id tenetur, si ipse non possit. *Ibid.*

10. Vota realia solvenda sunt ex proprio: vnde qui nequit ex suo, non tenetur ab alio mendicare. Quód si possit ex suo, & tamen alius, sive rogatus, sive spontè pro ipso velit solvere, id valet: quia tunc quod alter dat, fit ipsius; non autem actio alterius personę potest fieri alterius. Vid. *Ibid.*

11. Vota conditionalia non obligant, cessante conditione, etiam si ipse vovens causa fuerit, vt conditio non poneretur; dummodo id non impediverit per dolum, vim, aut malitiam, vt v.g. vovisti peregrinationem, si eam Petrus approbet; deindè submittis, qui persuadeat, vt non approbet: illo igitur non approbante, non teneris. Imò etsi malitiosè per fraudem, dolum, &c. impediveris, adhuc probabile est te voto non teneri, vt habet Laym. *cap.* 6. ex Suar. & alijs. Interim Laym. rectè hic, advertendum monet ad intentionem voventis; vt v.g. si filius vovit se ingressurum religionem, nisi pater contradixerit, videtur eius intentio fuisse, nisi contradixerit ex se, sua sponte, sibi relictus, &c.

12. Qui vovit rem certam, & determinatam, v.g. hunc calicem, si ea res pereat, non tenetur ad alium; cùm id non soleat intendi; si autem eam rem vendiderit, probabilius videtur esse, teneri dare pecuniam, quam accepit: quia qui vovet rem, censetur promittere omnem eius vtilitatem.

13. Qui vovit aliquid faciendum certo tempore, vt ieiunare hoc, vel isto die; illo transacto, sive cum culpa, sive sine culpa eius, ad nihil tenetur: & neque, si præviderit impedimentum eo tempore superventurum, tenebatur prevenire,

venire, cùm hæc non soleat intentio voventis esse. Suar. Nav. *l.* 1. Vid. Bon. *p.* 5.

14. Qui vovit aliquid sine certo tempore, v.g. peregrinationem, tantùm tenetur implere, cùm commodè primùm potest: quia sic moraliter quisque cēsetur intelligere suam promissionem, vt habita commoditate non nimis diu differat, quamvis minor causa sufficiat ad differendum, quàm ad omittendum. Fill. *c.* 4. *q.* 10. Suar. Laym. *c.* 3. Bon. &c.

15. Qui vovit aliquid sine certo loco, v.g. ingredi religionem S. Benedicti, satisfacit intrando quodcumque Monasterium illius Ordinis, in quo servantur substantialia regulæ. Neque tenetur pro admissione peragrare Provinciam, sed satis est adire loca aliquot non nimis dissita. Et satisfecit voto, si postquam ingressus est remittatur, aut egrediatur (saltem cum iusta causa, qualis est v.g. gravis, ac diuturna tristitia, & anxietas, sive ex natura ipsa, sive aliundè nata. Escob. ex Sanch. *t.* 1. *l.* 4. *c.* 16. *nu.* 100.) ante professionem, Vid. Trull. *l.* 2. *c.* 2. *d.* 20. *nu.* 7. *&* 8.

16. Qui vovit aliquid sine certa qualitate, v.g. religionem in genere, potest ingredi quamcumque, etiam laxiorem, modó serventur essentialia, & sit approbata. Similiter, si quis vovit triticum; &c. dare, non tenetur dare optimum quod habet, sed satis est, (loquēdo de obligatione præcisè) vt det quod non sit planè ineptum.

17. Qui vovit aliquid sine certa quantitate, v.g. eleemosynam, pecuniam, frumentum, &c. satisfacit dando quantum voluerit, modó non tam parum, vt videatur potiùs irridere suum votum, quàm implere. Ratio horum omnium petitur ex intentione voventis qua nemo censetur se obligare, nisi ad id quod commodè potest, & communiter est decens. Suar. Sanch. *l.* 4. *c.* 13.

18. In dubio de mente voventis, debet fieri interpretatio secundùm verborum, quibus vsus est, proprietatem, vel potiùs communem, & vsitatam acceptionem. Fill. *t.* 26. *c.* 2. Lay. *c.* 3.

19. Qui vovit, si ludat foliis, dare decem dupliones, tenetur secundùm Sanch. dare toties decem, quoties ludit; quia pœna est actui accessoria. Videtur tamen negare Laym. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 4. Vid. Trull. Dian. *p.* 5. *t.* 9. *Res.* 60.

DVBIVM V.

Quod modis tollatur obligatio voti?

Resp. Dupliciter tolli potest: 1. Nullius authoritate interveniente, idque vel materiæ mutatione: vt si materia antè honesta fiat turpis, indifferens, vel impeditiva maioris boni, ratione novæ circunstantiæ, vel prohibitionis: vel si fiat impossibilis, absoluté, aut moraliter; vel desitione conditionis, à qua pendebat. 2. Interventu authoritatis humanæ idque tripliciter, irritatione, cōmutatione, vel dispensatione: de quibus sequentibus dubijs. Est communis, Sāc. *l.* 4. *c.* 24. Less. *l.* 2. *c.* 40. Suar. Fill. *t.* 26. *c.* 8. *Vndè resolves.*

1. Etsi tua culpa materia facta sit impossibilis, inutilis, &c. tamen postquam iam talis facta est, cessat obligatio, & sufficit pœnitere de culpa.

2. Si concurrat obligatio duorum votorum incompossibilium, implendum est id, quod est præstantius, & Deo gratius; alterum cessat. Quod si verò sit æquale, aut nescias, quodnam sit melius,

lius, implendum est quod priùs vovisti, & ruit posterius: si & hoc nescis, libera est electio, Vid. Trull. *l.* 2. *c.* 3. *d.* 9.

3. Si materia voti fiat impossibilis quoad partem tantùm, tunc si commodè talis materia dividi non potest, aut non solet, ad nihil teneris: v.g. vovisti ædificare templum, si totum non potes, non teneris ad partem.

4. Si verò dividi commodè potest, & solet, manet obligatio ad illam partem quam potes: vt v.g. 1. Qui non potest ieiunare tota hebdomada, potest autem aliquot diebus, ad hoc tenetur. 2. Qui matrimonium contraxit, & consummavit post votum castitatis, tenetur non petere debitum; cùm eatenùs votum adhuc sit possibile (reddere enim debet.) Vid. Bon. *p.* 7. §. 1.

5. Quod si votum dividi quidem possit, sed vnum in eo sit principale, reliqua veró accessoria tantúm, non per se seorsim intenta, sed dependenter à priori, tanquam illius appendices, & modi; tunc si principale fiat impossibile, ruit, etiam obligatio accessorij, non autem contra: vt v.g. vovisti peregrinationem Romam in cilicio, & ibi certi aliquid offerre; si peregrinatio impossibilis fiat, non teneris cilicium ferre, & oblationem mittere. Vid. Sanch. *l.* 4. *c.* 10. Bon. *d.* 4. *q.* 2. *p.* 4. §. 4. Trull. *l.* 2. *c.* 1. *d.* 10.

DVBIVM VI.

De voti irritatione.

ARTICVLVS I.

An, & quomodo tollatur obligatio voti per directam irritationem?

Resp. Cùm non debeat violari cuiusquam dominium, ac quilibet dominus possit vti sua libertate, hinc si potestati dominativæ alterius sit subiecta alicuius voluntas, potest is subditi istius omnia vota, qualiacumque sint ad suum libitum, sine vlla causa validè irritare directè, hoc est, potest velle, & pronunciare, vt illa vota nulla sint, ita vt nullo etiam casu obligatio postea reviviscat (etsi peccet, si absque causa irritet, vt docet Less. *lib.* 2. *c.* 40. *n.* 75. Nav. Suar. Fill.) Porró hoc ius provenit ex iure positivo, quo datur alicui legitima potestas dominativa in voluntatem alterius. Ita communiter DD. Vid. Sanch. *l.* 4. *c.* 24. *n.* 30. *&* 31. *Vndè resolves.*

1. Quivis pater, & in eius defectu, avus paternus, tutor, imò etiam mater, non tantùm si tutrix sit, sed etiam in priorum defectu; & secundùm quosdam reliquis deficientibus, etiam magister, vel herus, vt Suar. Less. *d.* 10. *n.* 78. contra Sanch. potest directè irritare vota liberorum impuberum, vt colligitur ex *cap. Mulier.* 32. *q.* 2. *c.* 1. *&* 2. 2. *q.* 1. *& cap. Si quis, de reg.* Impubertas autem secundùm iura finitur in masculis, anno decimoquarto completo: in fœminis duodecimo completo, à die nativitatis computando; vt Sanch. *l. c.* Vid. Laym. *t.* 4. *cap.* 2. Bon. *disp.* 4. *q.* 2. *p.* 6. §. 2.

2. Vota Religiosorum (non tamen Novitiorum) etiam sub prædecessoribus emissa, irritare possunt directè præter Papam, Abbates, Guardiani, Priores, & Rectores, ac probabiliter etiam Abbatissæ, vt habet Suar. *l.* 6. *de Voto, c.* 7. *num.* 19. Regin. *l.* 18. *nu.* 342. Fill. Bon. *l. c. n.* 26. Excipitur tamen votum transeundi ad religionem strictiorem. Vide Binsfeld. 3. *p. Ench. c.* 9. Less. *num.* 75. Sanch. *cap.* 24. *num.* 30. Bon. *lib.* 5.

3. Idem potest, secundùm Sanch. *l.* 9. *de*

l. 9. de matr. d. 39. maritus respectu votorum vxoris: licét probabiliùs id alij limitent ad ea vota, quæ mariti iuri præiudicant. Laym. *hìc c.* 7. Fill. *tr.* 26. *c.* 8. *q.* 8. Less. *d.* 10. *nu.* 83. *&* *d.* 15.

4. Qui semel votum irritavit, si postea nolit, non ideò revalidatur vt vult. Sà. V. *Irritatio voti.*

5. Nullus supradictorum potest directè irritare vota emissa ante subiectionem, v.g. ante matrimonium; facta verò intra tempus subiectionis, de re implenda post tempus subiectionis, v.g. in pubertate, vel post obitum mariti, possunt irritari. Bon. *l. c.*

6. Votum, de quo dubium est, vtrùm emiseris tempore libertatis, an subiectionis, non posse irritare Superiorem, docet Salas *l.* 2. *q.* 21. & Caram. *l.* 3. *c.* 1. *d.* 1. Sed contrarium tenent Suar. Sanch. Bonac. *&c.* cum Bard. *d.* 6. *cap.* 1. §. 28.

7. Facta tempore subiectionis, possunt adhuc irritari post illud; v.g. quando filius iam est pubes. Quod verum est, etsi in pubertate ea ratificasset putans ex errore esse firma; secùs tamen, si infirma esse novisset, & independenter à prioribus ratificasset. Vid. Less. *l.* 2. *c.* 40. *dub.* 10.

8. Supradicti possunt revocare, ac directè irritare vota, etsi semel ea ratificaverint; quia non privarunt se dominio, & potestate sua. Vid. Suar. *de Voto, l.* 6. *c.* 6. Quod si tamen id sine causa fiat, erit secundùm quosdam peccatum mortale; licèt probabilius id negent Suar. *l. c. cap.* 4. *&* Lay. *hìc.*

9. Prælatus potest irritare votum subditi à predecessore æquali, vel inferiore confirmatum, non tamen à Superiore. Vid. de his Bon. *l. c.* §. 3. Laym. *c.* 7.

ARTICVLVS II.

Quis vota indirectè possit irritare?

Resp. Si alicui, non quidem voluntas voventis, sed voti materia sit subiecta, ita vt in hanc ius habeat, is tale votum potest irritare, irritatione indirecta; hoc est, eius obligationem suspendere, in quantum suo iuri præiudicatur: idque ex lege naturæ docente, quod nemo possit alteri promittere aliquid in præiudicium tertij. S. Th. *in* 4. *d.* 38. Suar. Less. *&c. locis cit. Vndè resolves.*

1. Sic irritare possunt, præter suprà nominatos, mater respectu filiorum puberum, quandiu manent in domo paterna, nec sunt emancipati: item tutor puberis, vsque ad annum vigesimum quintum, in ijs quæ eorum potestati officiunt Lay. *c.* 7.

2. Idem potest vxor respectu mariti; v.g. si is voverit longiorem peregrinationem, habitare alibi, cubare seorsim quę derogant vitæ sociali, & vsui dominij, quod habet in corpus mariti. Less. *numer.* 83. Filliuc. *numer.* 273.

3. Item dominus, & domina respectu famulorum; vt si ii voverent ieiunium, quo fierent inepti ad obsequia domini; quale votum non est castitatis, vel brevis orationis. Less. *n.* 86.

4. Item non tantùm Pontifex respectu omnium fidelium, sed etiam Episcopi, & Principes respectu subditorum; quando materia illis præiudicat. Denique Superiores respectu Novitiorum, in ijs quæ impediunt Novitiatus exercitia. Less. *d.* 13. *nu.* 8.

5. Non possunt irritare indirectè vota de re aliàs præcepta, v.g. non furandi; quia nemini præiudicant. Item neque vota implenda tunc, quando materia voti non erit ampliùs subiecta; v.g. vota servi, implenda cùm erit liber; & coniugis, cùm alter erit mortuus.

6. Potest quis etiam indirectè irritare vota longè anté facta, quàm sibi materia subiiceretur: v.g. facta à coniuge longè ante matrimonium.

7. Potest quis etiam vota à se, vel antecessore concessa, & confirmata, indirectè irritare, vt patet ex *artic superiore.* Excipe tamen, nisi suo iure cessisset, & hanc cessionem subditus acceptasset: vt v.g. in voto castitatis mutuo mariti, & vxoris consensu facto. Secus tamen esset, si vel sola vxor, vel vterque independenter ab altero vovisset.

8. Vota indirectè tantùm irritata reviviscunt, & obligant, quando alteri desinunt præiudicare. Vide de his Bon. *p.* 7. Lay. *c.* 8.

DVBIVM VII.

Quid sit commutatio voti?

Resp. Commutatio est substitutio alterius operis honesti loco eius, quod voto promissum erat sub eâdem obligatione, circa quam, vt licitè fiat, traduntur hæ regulæ: Prima, ad commutationem voti requiritur authoritas Ecclesiastica. 1. Quando commutatio fit in paulò minus bonum: quod si notabiliter minus sit, miscetur dispensatio. 2. Quando dubium est de æqualitate boni. 3. Quando fit in bonum æquale; licèt aliqui tunc putent sufficere authoritatem propriam. Hæc tamen sufficit ad commutationem in melius; quia in meliori minus continetur. Voco autem *melius,* quod est tale in ordine ad vtilitatem spiritualem voventis; & Deo gratius.

Secunda: ad commutationem voti in æquale, requiritur causa, licèt minor, quàm ad dispensationem; quia dispensatio planè liberat ab obligatione voti; commutatio verò aliud subrogat. Vndé si fiat in melius, nulla causa requiritur; si in æquale cum authoritate Superioris, sufficit maior in illud propensio. Si verò dubitetur an sit æquale, sufficit notabilis molestia in implendo. Vide Less. *lib.* 2. *cap.* 40. *Vndè resolves.*

1. Quamvis oratio absolutè sit melior ieiunio, non licet tamen propria authoritate hoc in illam commutare: quia hic, & nunc potest ieiunium esse Deo gratius, vtpotè vtilius ad bonum spirituale huius hominis. Less. *d.* 16. Sanch. *cap.* 56.

2. Omnia vota personalia propria authoritate commutari possunt in votum religionis; imò ipso iure omnia vota realia sic mutantur in professione.

3. Qui habet votum religionis non potest illud propria authoritate commutare in susceptionem Episcopatus: tum quia hic non efficit hominem perfectiorem quam religio, licèt perfectiorem esse supponat: tum quia non constat, quod illud hic, & nunc sit Deo gratius: tum quia sic respondit Innocent. III. apud Bon. *in secundum præceptum. d.* 4. *q.* 2. *p.* 7. Idem docet Less. *l.* 2. *cap.* 4. *d.* 16. *n.* 103. Azor. Sanch. Lay. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 6. *nu.* 15. Palaus *d.* 3. *t.* 16. *nu.* 2. Fag. Dian. *p.* 6. *t.* 6. *Res.* 62.

4. Qui habet facultatem dispensandi, habet etiam commutandi; non tamen contrà: quia commutatio est pars dispensationis; qui autem potest maius, etiam minus potest. Qui autem habet facultatem commutandi tantùm, non potest

Universidad de Deusto Biblioteca

test mutare nisi in æquale: quod moraliter, & non scrupulosè æstimandum est, vt monet Laym. *cap.* 8. In qua æstimatione, ait Caiet. non negligenda sunt concomitantia: v.g. in voto peregrinationis, habenda ratio non tantùm laboris, sed etiam expensarum, quas fecisset. Suar. Less. V. Bon. *p.* 7. §. 3.

5. Si is, cuius votum mutatum est, malit deindè implere primum, id potest: tum quia id est melius, vel æquale: tum quia in eius favorem factum est, cum tacitâ conditione, si ei placuerit Less. *num.* 97. Sanch. Fill. *nn.* 289.

6. Si voti legitimé à Superiore cõmutati materia, sive opus fiat impossibile, vel indifferens, non tenetur redire ad prius, quia obligatio extincta est. Vid. Lay. Bonac. *loc. cit.*

DVBIVM VIII.

Quid sit dispensatio, & qui possint dispensare in votis?

REsp. 1. Dispensatio est absoluta obligationis voti condonatio, nomine Dei facta. Ad hanc, vt valeat, iusta causa requiritur; qualis v.g. est. 1. Bonum Ecclesiæ, vel commune Reip. 2. Notabilis difficultas in observatione voti. 3. Imperfectio actus, vel levitas, ac facilitas, ex qua processit votum. Suar. *l.* 6. *c.* 17. Fill. *num.* 260. Sanch. *l.* 4. *c.* 45. Vide Bon. *p.* 7. *nu.* 24. Lay. *c.* 8. *n.* 5. *Vndè resolves.*

1. Cùm causa non sufficit ad integram dispensationem, partim dispensari, partim commutari potest. Bonac. *loc. cita.*

2. Prælatus videns, ac (cùm facilè possit) non contradicens, videtur dispensare, ait Sá.

3. Potestas etiam delegata dispensandi in votis, extendit se etiam ad vota iurata, & iuramenta pia soli Deo facta. V. Suar. *lib.* 6. *de voto.* Sanch. *l.* 8. *de matr. dub.* 3.

4. Ante voti acceptationem à certa persona, aut Ecclesia, non censetur ei ius acquisitum, ideóque sine eius iniuria potest dispensari, vel commutari.

Resp. 2. Potestas dispensandi convenit omnibus Prælatis, qui habent iurisdictionem in foro externo, vel privilegium Less. *q.* 2. *cap.* 40. *d.* 12. Sanch. *c.* 37. & commun. Vndè dispensare possunt sequentes. 1. Papa respectu omnium fidelium in omnibus votis. 2. Episcopus, respectu suorum subditorum, non autem Parochus; quia tantùm habet iurisdictionem fori interni. Suar. *l. c. c.* 12. 3. Prælati Regulares exempti, respectu suorum Religiosorum, & Novitiorum: idque circa vota, quæ vel in sæculo, vel etiam in Novitiatu fecerunt. Less. *n.* 8. & 107. Sanch. *lib.* 9. *de matr. d.* 29. non autẽ Prælati non exempti, neque Abbatissæ. Suar. Less. *locis citatis.* 4. Ex privilegio Papæ, Confessarij Ordinum mendicantium, secundùm concessionem, & moderationem suorum Superiorum, vt notat Less. *d.* 13. *n.* 108.

Resp. 3. Supradicti omnes, Papâ inferiores, possunt, dispensare in omnibus votis, exceptis quinque soli Papæ reservatis, scilicet voto castitatis perpetuæ, religionis approbatæ, peregrinationis ad limina Apostolorum, ad Sanctum Iacobum Compostellam, & Vltramarina, sive in Terram Sanctam. Vid. Bon. Lay. *locis cit.*

(***)

TRAC-

TRACTATVS III.

DE TERTIO, ET QVARTO Præcepto.

CAPVT I.

Quid tertium Præceptum. Memento. &c.

PRæceptum hoc, quatenus vult tempus aliquod sãctificari, sive impendi cultui divino, est naturale, & adhuc obligat: quatenus verò tempus id designatur dies Sabbathi, est cæremoniale, & in Novo Testamento abrogatum, ac pro eo ab Ecclesia designatus dies Dominicus, & Festi; præscriptusque modus colendi, vt quædam opera illis diebus fiant, quædam non: hæc prohibentur, illa præcipiuntur, Bon. Laym. ex D. Th. 2. 2. *q.* 122.

DVBIVM I.

Quę opera tum hoc præcepto, tum ab Ecclesia prohibeantur.

REsp. 1. Die festo prohibentur omnia opera servilia, hoc est, quæ & versantur circa materiam externam; & vel mechanica, & illiberalia sunt, v.g. fuere, fabricare; vel requirunt tantùm laborem corporis, & ab operariis tantùm, & servis fieri solent. Ita DD. communiter. Vid. Lay. *l.* 4. *tr.* 7. *c.* 1. Suar. Fill. *&c.* ex D. Th. *loc. cit. Vndè resolves.*

1. Impertinens est ad rationem operis servilis, vtrum fiat ex lucro, an ex recreatione; ex hac, an ista intentione, pia, vana, & turpi. Caiet. Suar. Lay. *l. c.* &c. contra Sylv. & Canonistas.

2. Impertinens quoque est, sive fiat cum defatigatione & labore, sive non; sive brevi, sive longo tempore, &c. quia nihil horum mutat naturam operis.

3. Servile non est, ideòque nec prohibitum festo ludere, choreas ducere, instrumenta musica pulsare, iterfacere peditùs, equo, curro, vel navi: vndé etiam ad hæc necessaria, sunt licita. Navar. *cap.* 13. Tol. & Laym. Suar. *de fest. cap.* 27.

4. Nec servile est, ducere iumenta sine onere; cùm id sit iterfacere, vt ait Fill. *hic c.* 9. *n.* 170. Ducere autem iumenta, currus, vel navigium onustum mercibus est servile. Suar. *loc. cit.* Fill. *loc. cit.* Quod si tamen ante festum talia itinera incepta sint, continuatio eorum permittitur, vel ob publicam vtilitatem, vel ob damnum, quod aliàs sequeretur.

5. Item nec servile est, sive gratis, sive pro pretio docere, studere, scribere, transcribere, & secundùm quosdam, vt Medinam Lopéz & Armillam, quorum sententiam probabilem dicet Lay. contra Sà, Fill. Azor, & alios multos, pingere, etiam coloribus (nam de rudibus lineamentis plerique concedunt) terere tamen colores, & non pingere, sed tingere: vt v.g. colorare asseres, vel pannos, dealbare parietes, illiberale est.

6. Videntur etiam excusari posse in Typographijs, litterarum Collocatores, quando post divina collocant neglectum pensum, vt habet Lay. *hic.* Imprimere tamen, servile habetur. Escob. E. 5. *c.* 4. Suar. Sayr. &c.

7. Excusat etiam Fill. *hic n.* 169. distilla-

Universidad de Deusto Biblioteca

ſtillationem, quæ ſine corporis fatigatione potiùs ad experientiam, & peritiam ſit quám ex officio, & arte.

8. Servile aliqui non putant, (alij contrarium tenent,& excuſant per conſuetudinem)ad otium,aliaque peiora vitanda,venari. Granad. 2.2. *c.*3. *t.* 12. *d.*4. *ſ.*7.*n.*65. aucupari, militare, gladiari, piſcari (ſaltem in fluminibus recreationis gratia) & ſimilia:piſcatio tamē moderata eſſe debet. Vid. Lay. & Fill. *tr.* 27. *c.*9. *q.*12. Bon. *d.*5. *q.* 1. *p.* 2. *num.* 25. Eſcob. qui docet,laborioſam, & ex officio, non licere. Similiter quidam excuſant puellas ad otium vitandum acu pingentes. Arm. Azor. Palaus, Sà, March. Vid. Dian. *p.*6. *t.*6. *Reſ.* 15. & *p.* 4. *tr.* 4. *Reſ.* 62.

Reſp. 2. Prohibentur præterea quædam opera non ſervilia, quæ dicuntur forenſia; vt ſunt mercatus, placitum, iudicium ad mortem, vel pœnam, & ſtrepitus omnis iudicialis, ideſt actiones, quæ ad deciſiones cauſarum, tam civilium, quam criminalium, tam ſæcularium, quàm Eccleſiaſticarum ſpectant. Ita commun. Doct. ex *cap.* 1. *ferijs Vndè reſolves.*

1. Feſto non licet citare, adducere teſtes, ideſt, exigere iuramentum iudiciale, proferre, aut exequi ſententiam; quæ ſi feratur, eſt irrita. Vid. Lay. *l.*4. *t.*7. *cap.* 2. *nu.* 7.

2. Nec licet emere, & vendere res non neceſſarias, negotiari publicè, vel privatim, inire contractus emptionis, locationis permutationes, &c. (niſi ex conſuetudine, vel alijs iuſtis cauſis excuſentur) quia intelliguntur nomine mercatus, qui prohibitus eſt, *c.* 1. *de ferijs*, vt docet Bon. ex Suar. *c.*13. & Fill. *t.*27. *c.*10. *q.* 2. *nu.* 180.

3. Feſto licet excommunicare, diſpenſare, Iudicem privatim informare; Advocatum conſulere, conſilia conficere, eligere, &c. quia non requirunt ſtrepitum iudicialem. Vid. Bon. *locis citatis.*

DVBIVM II.

Quæ cauſæ excuſent ab obſervatione feſtorum, ob quas opera prohibita liceant?

Tales præcipuè ſunt ſeptem.

PRima. Diſpenſatio Epiſcopi, vel habentis poteſtatem quaſi Epiſcopalem, vt Superiores Religionum, imó, & Parochi, quando non datur facilis acceſſus ad Epiſcopum. Suar. *c.* 33. Lay. *cap.* 4. *nu.* 2. Bon. *p.* 1. *nu.* 20.

Secunda. Conſuetudo: nam ſic licent nundinæ illæ in feſtis paſſim haberi ſolitæ; & præparationes deliciarum non neceſſariarum, vt cupediarum, placentarum, & ſimilium ciborum artificioſorum: item emptiones, & venditiones rerum parvi momenti Bon. *l. c.* Lay. *l. c.*

Tertia. Pietas in Deum; per quam licent opera, quæ proximè (non quæ remotè) ſpectant ad cultum Dei; vt pulſare campanas, circumferre Imagines, vel Cruces, in ſupplicatione. Ornare autem, & verrere Templa, ac ſimilia, quæ ad ipſum officium, non ſpectant, ſi abſque ratione in feſtum differantur, venialia habentur. Fill. *num.*218. Bon. *loc. cit.*

Quarta Charitas erga proximum; per quam licent, & valent actus iudiciales pauperum, orphanorum, viduarum, & miſerabiliū perſonarum, ne expenſis graventur. Sic etiam poſſunt ruſticanorum in parvis oppidis, ſi alijs diebus adeſſe

adeſſe nequeant; cauſæ civiles agitari. Similiter licet pauperibus, & infirmis, pro tunc egentibus ſub venire. Item emere, & vendere ruſticis, qui alijs diebus impediuntur. Layman. *cap.*2. *num.*7. Vid. Dian. *tractat.* 1. *Reſ.* 34.

Quinta. Neceſſitas propria, vel aliena corporis, vel animæ; ſi nimirum ſine gravi incommodo, aut detrimento aliquid omitti non poſſit. Quomodo excuſantur. 1. Iudicia, quæ celeritatem requirunt: v.g. ſi latro ſit fugiturus niſi tunc capiatur. 2. Servi, & ancillę coacti á dominis laborare, nec audentes recuſare: quod ſi tamen frequenter contingat, eos deſerere debēt. Suar. Lay. *loc. cit.* 3. Iidem, & ſimiles reficientes ſuas veſtes, cùm id alijs diebus non poſſint. 4. Pauperes, qui ſe, ſuoſque alere non poſſunt, operantes privatim ſine ſcandalo; maximè quando multi dies feſti concurrunt. Bon. *num.* 13. 5. Cocci, & culinarij. 6. Piſtores, Laniones, & ſimiles in oppidis populoſis, & concurſu feſtorum. 7. Chirurgi, & Pharmacopolæ. 8. Conflatores ferri, & vitri, coctores laterum, calcis, &c. & quicumque, quorum opus ſemel cœptum non poteſt interrumpi ſine damno. 9. Molitores, & nancleri pendentes à ventis. 10. Piſcatores halecum, thunnorum, &c. qui certo tantùm anni tempore id poſſunt. 11. Inſtauratores fontium, pontium, viarum publicarum, & ſimilium, quæ moram non patiuntur. 12. Sartores in operibus neceſſarijs, vt funeribus, nuptijs, &c. ſi aliter fieri non poteſt, vt ſatisfaciant. 13. Agricolæ ad cavendum damnum ruri laborantes; vt ſi ob pluviam imminentem ſegetes, vel fœnum congregent. Bon. *num.*13. Fill. *num.* 211. 14. Denique excuſantur etiam mercatores, qui clauſis tabernis quædam vendunt; cùm præſupponere poſſint, emptoribus ea tunc eſſe neceſſaria, nec aliàs commodè emere poſſe. De ſuprà dictis Vid. Suar. Fill. Lay. Bon. *locis cit.*

Sexta. Vtilitas, non ſimpliciter neceſſaria, ſed ad communem lætitiam, vel ſplendorem: ſic enim licet in adventu, vel ortu Principis laborare, vt perficiātur theatra, ignes, veſtes, &c. Quamquam monet rectè Suar. preſtare in hoc caſu petere veniam à Paſtoribus. Vid. Bon.

Septima, Excuſat item, ſaltem à gravi peccato, parvitas operis, ſeu temporis. Vndé grave non videtur vna hora laborare, vt habet Suar. *l.* 2. *de feſtis c.*32. maximè vt notat Lay. ſi labor non ſit nimis ſervilis, & fatigans corpus. Imò durum videtur mortalis damnare, ſi quis duas, aut tres horas impendat. Vid. Fill. *t.* 27. *c.* 11. *q.* 1. *num.* 105. In forenſibus autem, & iudicialibus, materiæ quantitatem, non ex quantitate temporis, ſed qualitate operis deſumendam, monet Eſcob. *exam.* 5. *c.* 3. *n.* 14. ex Pal. *tom.* 1. *tr.* 9. *d.* 2. *p.* 3. *nu.* 4. Sic grave peccatum eſſe aſſerit venditionem rei magni momenti, cum magna ſolemnitate, licèt brevi tempore fiat. Quod intellige (ſecundùm prędicta) niſi conſuetudo, vel neceſſitas excuſet.

DVBIVM III.

Quæ opera feſtis prędipiantur?

REſp. Præcipitur 1. Auditio Concionis, non tamen ſub mortali, niſi quatenus quiſque tenetur diſcere neceſſaria

Universidade de Deusto Biblioteca

saria ad salutem. Vid. Trident. *sess.* 24. *cap.* 4. *de reform.* Fill. *hic*, *cap.* 8. Bon. *t.* 1. *d.* 5. *q.* 1. *p.* 2. *n.* 27. Suar. &c. Dixi *nisi quatenus, &c.* quia homines rudiores, ignorantes præcipua mysteria fidei, ea præsertim, quæ sub gravi obligatione eos scire teneri dictum est suprà *l.* 2. *t.* 1. *cap.* 1. tenentur lege charitatis, (si aliás ea commodè addiscere non possint) sub gravi peccato Concioni, vel potiùs Cathechesi interesse. Bon. *d.* 5. *in præc.* 2. *nu.* 28. addens eo casu Concionem etiam Missæ præferendam esse. Trull. *l. cap.* 1. *d.* 4. *num.* 12. Fag. &c. 2. Præcipitur speciali præcepto, obligante sub mortali audire Missam, hoc est morali, & humanâ assistentiâ, sivè presentiâ ei interesse. Est comunis ex *cap. Omnes fideles*, & ex *cap. Missas, de consec. dist.* 1. contra Angelum, & Rossellam, qui semel, vel iterum negligere, dicunt esse veniale. Obligat hoc præceptum omnibus Festis, omnes baptisatos vsum rationis habentes; non autem infantes, amentes, nec catechumenos. Ratio primę partis est; quia est vniversale. Ratio secundę est, quia assistentiam humanam habere nō possunt. Ratio tertiæ est, quia non sunt Ecclesiæ subiecti. C. Lugo. *disp.* 22. *s.* 1. & 2. ex Nav. Sanch. & Conin. *Vndè resolves.*

1. Non est obligatio audiendi Concionem in Parochiâ propriâ; tùm quia DD. multi nullum hac de re præceptum agnoscunt, cùm Trid. *s.* 24. *c.* 4. *de reform.* dicat *teneri vbi id comodè fieri potest*; tum quia si quæ obligatio fuit, ei derogatum est per privilegia Regularium, & generalem consuetudinem contrariam. Suar. *de rel. to.* 1. *l.* 2. *cap.* 16. Azor. Navar. Cened. Zerol. *par.* 1. V. *Prædic.* Trull. *l.* 2. *cap.* 1. *d.* 4. V. Barb. *in Trid. sess.* 24. *c.* 4. Imó Fratres Prædicatores, & Minores, & qui cum ipsis in priviligijs communicant; Concionantes in suis Ecclesijs, quovis anni tempore possunt auditoribus suis concedere 18. annos, & 320. dies Indulg. nomine Papæ Diana *par.* 4. *tom.* 4. *R.* 22. ex Rodrig. &c.

2. Non est obligatio ad audiendam Missam feria quinta, & sexta, & Sabbatho Maioris Hebdomadæ: neque diebus Rogationum. Azor. Henriquez, Suarez, *dis.* 88. *sect.* 5.

3. In die Nativitatis Christi tantùm teneris audire vnam Missam. Navar. Suar. Fill.

4. Satisfacit, qui recitat sub Missa (ex obligatione) Horas Canonicas, vel pœnitentiam iniunctam in Confessione vt contra Caiet. Sylv. Aug. Armil. docent. Suar. Sà, Roder. Fill. &c. Ratio est; quia duobus præceptis potest simul satisfieri, vt vid. suprà *l.* 1. *t.* 2. *c.* 3. *dub.* 3. Idem de eo, qui confitetur tempore Missæ, affirmat Regin. *l.* 19. *n.* 14. dummodó intentionem habuerit audiendi Missam. Negat autem Suar. *d.* 88. *sess.* 6. Azor. *cap.* 7. *quæst.* 6. Gordonus, Card. Lugo, *loc. cit.* si quidem possit differre Confessionem, nec adsit necessitas præcepti Confessionis. Idem dicit Bonac. *disp.* 4. *q. vlt. p.* 11. Vbi contrarium praxim quorumdam excusat, vel ob necessitatem communicandi; vel intentionem audiēdi Missam aliam; vel denique ob bonam fidem.

5. Satisfaciunt etiam inservientes Missæ, si recedant allatum necessaria, v.g. vinum, hostiam, thus, &c. quia cùm hæc ordinentur ad officium, non censentur abesse: dūmodò non recedant ab Ecclesia, vel saltem non longé. Vid. Bon.

6. Peccat,

6. Peccat, qui non audit integram Missam, & quidem venialiter, si omittatur parva pars; mortaliter, si notabilis, v.g. media, vel tertia pars. Laym. tamen, & alij durum putant, mortalis damnare eum, qui ab Offertorio, vsque ad finem adsit. Additque communiter excusari à mortali, qui audiunt à principio Epistolæ, vel secundùm alios; Evangelij vsque ad finem, vel ab initio vsque ad Communionem. Vide Bon. *t.* 1. *d.* 4. *q. vlt.* C. Lugo. *d.* 22. *sect.* 1. *n.* 3.

7. Non peccat, saltem mortaliter, qui à duobus Sacerdotibus successivè duas dimidias Missas audit, vt habet Navar. *c.* 21. Sà. Sotus, Herinq. Dian. *t.* 1. *tr.* 3. *R.* 18. Bon. *d.* 4. *q. vlt. part.* 11. Hurtado contra Suar. Con. Fag. quia audit integram Missam. Non est probabile post. 53. inter præpositiones damnatas ab Innocentio XI. satisfieri præcepto Ecclesiæ audiendo duas vel tres partes Missæ simul à diversis celebrātibus. Vide Cassianum à S. Elia *verbo. Missa.* Puente Hurtado *in Theologia Reformata Disertatione.*

8. Nō satisfacit, qui sub sacro dormit, pingit, docet; vel qui est post murum, aut aliam rem tali loco, vndè nihil audiri, videri, vel notari possit quid fiat; quia non censetur mortaliter præsens. Satisfacit tamen surdus, cæcus, & quicumque (licèt sit post ostium, aut columnam, vel in fenestra, vel procul à tēplo) ita est præsens, vt ex signis externis colligere possit, quid à celebrante agatur, spectata loci natura (etiamsi ipse per accidens, nihil audiat, videat, aut intelligat) sitque pars per moralem coniunctionem eius multitudinis, quæ dicitur præsens, & est in conspectu altaris. Bon. *l. c.*

9. Audiens debet esse attentus, saltem virtualiter, & in confuso, vt aliquo modo advertat quid fiat. Hinc si quis nunc attendat, nunc fabuletur, vt tamen semper advertere possit quid fiat, licet peccet irreverentiâ, non tamen damnandus est mortalis. Imó. Con. 3. *p. q.* 83. cum Sylu. Rosel. & Med. docet eum satisfacere, qui voluntariè toto sacro est distractus, modò ibi sit præsens, & cum reverentia externa assistat. Quod probabile esse docet, Laym. contra Suar. Bon. & alios, vide Conin. *l. c.* & Card. Lugo. *n.* 26. & 27. Plura de tota hac materia, Vide sup. *lib.* 1. *tract.* 2. *cap.* 3. *dub.* 2. 3. & 4.

10. Pręceptum audiendę Missę impletur quocumque in loco sive in Parochiali, aut Cathedrali, sive in Regularium Ecclesiâ, sive in Oratorijs privatis, sive extra Ecclesiam audiatur. Ratio est, quia Ecclesia tantùm auditionem Missæ præcipit, non autem locum; ergo quovis loco impletur. Tol. *l.* 9. *c.* 7. Azor. *c.* 6. Rodriq. Nav. Fil. Nung. Suar. Con. Bon. *d.* 4. *q. vlt. p.* 12. *n.* 4. & plures. Quæ doctrina licèt certa satis sit; nihilominus quia post omnes supra citatos Auctores à quodam moderno, viro aliàs docto, in dubium vocatur, peculiari dubio examinada est, ne cui (quia liber obvius est) scrupulus, aut conscientia nascatur erronea.

DVBIVM IV.

An sit obligatio audiendi Missam in Parochiâ Dominicis, & Festis maioribus.

RESP. Etsi id quidem decens sit, non tamen est obligatio. Est communis

Aucto-

Universidad de Deusto Biblioteca

Auctorum (quos vide *superiore dub. casu. vlt.*) & vt ait C. Lugo *dis. 22. s. 1 n. 2.* certa; etsi Marchantius *in Candelabro mystico tit. 4. cap. 7. & in Resolutionibus moralibus*, in formâ manualis editis *c. 8.* in dubium vocet, scrupulumque movere conetur. Ratio est, 1. Quia nullum extat ea de re præceptum. 2. Quia *cap. vt dominicis.* Iubetur Parochus ante Missam eijcere eos, qui proprio Parocho contempto, isthic Missam audire vellent: ergo sine contemptu (formali) licet. 3. Quia *cap. Si quis, de consec.* iubentur ij, qui habent oratorium domi, in maioribus festivitatibus audire sacrum in Parochiâ, vel in civitatibus. 4. Quia vniversalis fidelium, & ipsorummet etiam Parochorum, doctorum, & confessariorum (qui pœnitentes hac de re non interrogant) consuetudo, id non tantùm (vt loquitur Marchantius *l. c.*) insinuat, sed manifestè docet. 5. Quia Trident. *s. 22. c. 7.* tantùm dicit, populum debere moneri, (non autem teneri) vt frequenter adeant Parochias, saltem Dominicis, & festis maioribus, vid. Fag. Lugo, Barb. Zenedo, Trull. *lib. 3. c. 1. d. 6.*

Neque obstãt quæ March. obijcit, vt:

1. Quod iura antiqua decernant contrarium; eó quod Sixtus IV. *de tregua, & pace*; præcipiat, ne Mendicantes prædicent, non teneri audire Missam in Parochia, Dominicis, & festis. Nam in primis ex illo Sixti decreto nihil sequitur, cùm is non dicat teneri, sed tantùm prohibeat, nè publicè *prædicetur non teneri.* Cùm enim honestissimum sit populum audire Missam in Parochiâ, idque suadere deceat, minimè deceret, id (publicè præsertim) dissuadere: nam indè scãdala, & proprij Parochi contemptus sequi possent. Et hoc est, quod Sixtus cavere voluit. Deindè, esto antiqua forsan aliqua iura id habeant, eis posterioribus temporibus, per varia privilegia, receptamque consuetudinem vniversalem, est derogatum. Caiet. Lugo, & cæteri Auth. cit.

Nec obstat. 2. Quòd multos Canonistas eam opinionem secutos asserit. Esto enim olim quidam sic senserint; hoc tamen tempore, post tot, & tam ampla privilegia, post tam claram, & diuturnam consuetudinem, post Eminent. Cardinalium declarationes, & ipsorum etiam Pontificum nota decreta contraria *vt videbis sequenti Resp.* an aliqui id doceant nescio.

Nec 3. Locus Tridentini pauló antè in resp. citatus, quem obijcit, vt patet ex ipsis verbis, & declaratione Emin. Cardin. Authorumque communi explicatione.

Resp. 2. Episcopus non potest censuris, mulctis, alijsque pœnis, cogere ad audiendam Missam in Parochia. Est contra March. *l. c.* vbi ait: *Regulares ita communiter respondere, vt privilegiorum suorum fimbrias magnificent, & dilatent phylacteria*; & contra Authorem *Parochiani obedientis*; Ratio autem est: quia, vt ait Navar. Episcopus non potest tollere nec restringere ius commune, & generalem totius orbis consuetudinem. Ita docent præter Auth sup. cit. S. Ant. *p. 2. tit. 9. c. 10. §. 1. d. 4.* Syl. V. *Missa.* Tolet. Laym. *l. 4. t. 7. cap. 3. & c.* & commun omnes Theologi, & Canonistæ moderni: afferuntque Azor. *tom. 1. l. 7. cap. 8. quæst. 6.* & Cardin. Lugo *d. 22. s. 1.* pro hac sententia, declarationem Cardinalium in Tridentin. quæ expressè habet: *Non posse Ordinarium mulctis, & pœ-*

nis cogere ad audiendam Missam, vel Concionem in propria Parochia, etiam in casu negligentiæ, & contumaciæ. Et si quis his duobus, tanquam Regularibus minùs fidat, legere potest eandem declarationem apud Barbos. in Trident *sess. 22. cap. 8. de Sacrif. Missæ, & sess. 24. de reform. cap. 4. num. 12.* Item, *Tractatu de officio, & potestate Parochi*: vbi eandem sententiam Barbosa ipse sequitur, & pro ea supra viginti Authores celebres, partim Theologos, partim Canonistas, quà Regulares, quà non Regulares citat. Vide *eiusdem Remissiones* in Tridentinum impress. Antuerpiæ, Anno 1644. & Zerollim, *in praxi Episcopali. p. 2. V. Parochia, & p. 1. V. Missa* §. 6. Idem disertis verbis confirmat Clemens VIII. Anno 1592. 22. Decembr. decreto suo, circa hanc ipsam controversiam Duaci excitatam, quo eam dirimit his verbis: *Presenti nostro decreto sancimus, licere Secularibus, Christique Fidelibus vniversis, Missas, diebus Dominicis, & Festis alijs maioribus audire in Ecclesijs, tam Fratrum Prædic. quàm aliorum Mendicantium, necnon etiam Collegij Societatis IESV, iuxta eorum privilegia, antiquas consuetudines, dummodò id in contemptum Parochialium Ecclesiarum non faciant: & tam dictis Fratribus Prædicatoribus, ac Presbyteris dictæ Societatis, quàm alijs privilegiatis, quibus id à Sede Apostolicà indultum est, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata sua etiam Quadragessimali, & Paschali, & quovis alio tempore, confiteri licitè posse, &c.* Quòd si verò dicta privilegia, & alia similia clariùs cognoscere lubet, inspiciatur, (vt alia taceam) Compendium privilegiorum Societatis IESV, vbi præter Leonis X. clara sunt verba Pauli III. in Extrav. datà Anno 1549. Kalend. Novemb. quæ incipit. *Licèt debitum*: Qua *omnibus Christi Fidelibus, cuiuscunque conditionis, qui verbi Dei Prædicationibus, in Templis eiusdem Societatis interfuerint, concedit, vt ibidem Missas audire, & Sacramenta recipere liberè, & licitè valeant, neque ad id Parochiales Ecclesias accedere teneantur.* Porrò ne quis miretur; tam ampla privilegia Regularibus concessa à varijs Pontificibus, placebit inspicere eorum Bullas, in quibus reperiet motiva gravissima; aut si nec inspicere lubet, recogitet saltem; Deum ipsum Innocentio III. (dum vidit Ecclesiam Lateranensem iam iam ruituram) ostendisse eam sustentari à S. Dominico, & S. Francisco. Consideret quód sicut olim in varias orbis plagas, & in ipsam Germaniam, doctrina Christi translata est operâ Regularium; ita sine eorum subsidio conservata diu non fuisset, vel saltem minùs floruisset. Et deniquè, ne Regularibus succenseat quisquam, quòd privilegia sua tueantur, sciendum est, quod sine consensu Sedis Apostolicæ ijs renunciare, aut cedere non possint: vt *v. l. 2. Decret. tit. 43. de arbic. cap. 5.* imò etsi faciant, irritum fore, & peccaturos; quia iniuriam, inferrent Ordini, & Ecclesiæ toti.

Nunc ad argumenta Marchantij breviter respondeo.

1. Affert auctoritatem cuiusdam P. Capuccini, qui *Parochianũ obedientem* scripsit. Et huic quidem me pauló antè sat multas gravesque authoritates opposuisse existimo.

2. Ait, quorumdam Episcoporum praxim esse contrariam, eamque fundari in iure antiquo, & novo Trident. *l. c. sess.*

l. c. sess. 22. *& sess.* 24. Vbi dicit teneri vnumquemque Parochiæ suæ interesse, ad audiendum verbum Dei, & rudimenta Fidei: hæc autem in plerisque locis ruralibus docentur in Missa; ergo etiam ad Missam possunt compelli.

Resp. 1. Praxim istam (sicubi est) paucorum esse;& contrariam praxi communi Episcoporum, in omnibus Regnis, & Provincijs, & insuper Præsulis summi.

2. Praxim istam, nec fundari in iure antiquo cùm illi, (si quod fuit) per privilegia sit derogatum, & abrogaverit consuetudo: nec in novo. Tum quia Trid. *l. c.* loquendo de Concionibus, & Cathechesi, nullam facit mentionem Missæ: & in pœnalibus non valet illatio. Tum quia Tridentinum expressè addit,(quod Marchantius in sua citatione omittit, cùm tamen ad rem plurimùm faciat,)*si commodè fieri potest.* Tum quia nec illam quidem obligationem, quoad Conciones esse receptam, ostendit vniversalis Ecclesiæ consuetudo; eò quòd forté regulariter: *commodè fieri non poterat*: vt notat Card. Lugo *l. c.* Neque Cathechesis communiter docetur in Missa, nisi fortè in Pagis, vbi rariùs contendunt Regulares cum Parochis de re præsenti. Deniquè nescio, an Episcopi, de quibus loquitur, ex numero fortè sint eorum, de quibus Pius.V. in Bulla *Etsi Mendicantium*, quæritur, quòd etsi Episcopi Ordines Mendicantes meritò colere, & adiuvare deberent, non solùm id negligant, verùm etiam Concilij Trid. verbis in pravum sensum detortis, eos incommodis, & perturbationibus afficiant.

3. Citat decreta Synodi Leodiensis, & Namurcensis; subiungitque: *Quis verò audeat hæc condemnare, & Patres istius Synodi, inter quos multi Teologi fuerunt?*

Resp. Decreta ista (& si quæ fortè sunt similia) intelligenda esse, ne cum contemptu proprij Parochi audiant Sacrum extra Parochiam: aut si quæ sensum alium habent, non esse recepta, vel vsu abrogata. Ita Authores cit. communiter. Videri potest C. Lug. *l. c.* Barb. & Zerol. *ll. cc.* & dignissimus lectu libellus Francisci Fontani, Concionatoris Regij, cuius titulus: *Responsa ad quæsita cuiusdam primarij Prelati, &c.* excussus primùm Gallicè Nancæi, Anno 1625. posteà verò Latinitate donatus, & recussus Viennæ Austriæ, typis Michaëllis Rictij, anno 1634. Mitto rationes cæteras, quibus frequentationem Parochiæ (sine obligatione tamen) persuadere conatur; cùm eam, vtpotè honestam in primis, atque decentem, minimè improbare, sed erroneam tantùm conscientiam impedire intendam; ne videlicet cum persuasione obligationis Parochialia, vel cum apprehensione peccati, Regularium Templa frequententur.

DVBIVM V.

Quæ excusent ab auditione Sacri?

Resp. Duæ sunt causę, quarum altera si adsit, non teneris curare celebrari privatim in portatili cum privilegio, neque (etsi id consilij sit) preces interim alias loco Missę dicere, vt habet Navarr. *c.* 13. Suar. Fill. *t.* 5. *c.* 5. *q.* 11.

Prima causa est impotentia, vel simpliciter, vel moralis, aut difficultas ex notabili incommodo, proprio, vel proximi; corporis, vel bonorum, vel etiam honoris: quia hęc est mens Ecclesię prę-

cipientis instar discretæ, & benevolæ matris. Bonac. *d.* 4. *q. vlt. p. vlt.* Navar. Filliuc. *t.* 5. *c.* 7. *q.* 11. Suar. *d.* 85.

Secunda causa est, quodcũque motivum rationabile, quo quis bona fide putat se excusari. Vid. Suar. *in* 3. *p. s.* 6. *c.* 3. Lay. & Bon. *l. c. Vndè resolves.*

1. Excusantur qui sunt in navigatione, vel carcere. Item in morbo, vel convalescentia, in qua obsit prodire foras. Item qui sunt in excommunicatione, vel interdicto: de quo suo loco.

2. Item, qui custodiunt Castra, Vrbem, gregem, infantes, vel puerũ (qui in Templo quietus, & sine perturbatione aliorum contineri non potest) vel domum aut ægris solatio sunt, aut coquere debent, & similia curare, quæ omitti non possunt. Bon. Con. *num.* 86. & 314.

3. Item, cui periculum est gravis offensionis mariti, parentum, vel dominorum. Henriq. Suar. Fill. *nu.* 227. Si tamen id feré semper fieret, de alio medio laborandum esset.

4. Item, si quis alioqui omissurus esset occasionem commodam itineris, v.g. socios, cùm viam ignoret, vel pericula metuat. Aliàs verò tenetur ad Missam ante iter, vel in itinere Suar. *sect.* 6. Rodriq. Bon. *l. c.*

5. Si sit gravis difficultas eundi ad Ecclesiam ob distantiam v.g. vnius, vel alterius miliaris Germanici, vel etiam minoris spatij: maximè si via sit molesta, cœlum pluvium. Vbi habenda est ratio personarum, loci, temporis & consuetudinis. Bonac. Suar. Fill. *l. c.* March. *Resol. past. t.* 4. *c.* 6. *n.* 7.

6. Si ex consuetudine patriæ, fœminæ egredi non solant tempore luctus, vel etiam post partum. Sylvest. Caiet. & Fill. *nu.* 229.

7. Si quis non habet vestes statui suo convenientes. Navar Henriq. Sà Azor. Bon. *l. c.*

8. Si quæ ex occulta fornicatione prægnans metuat, ne id advertatur, si prodeat. Lay. *l.* 4. *t.* 5.

9. Si quæ sciret, alteri à quo perditè amaretur, secuturam occasionem peccati, si prodiret. Sà, Fill. *n.* 227.

CAPVT II.

De IV. Præcepto: Honora patrem, &c.

DVBIVM I.

Ad, quid teneantur liberi erga parentes?

Resp. Tenentur vi huius præcepti, tum genitoribus, tum Superioribus, in ijs rebus, in quibus quisque, & quandiu subiectus ijs est, amorem reverentiam, & obedientiam præstare; ita vt si notabilis horum defectus sit in re gravi, graviter peccetur: quod faciliùs fiet respectu parentum, quàm aliorum. Ita communiter. Vid. Fill. *t.* 28. *p.* 2. *c.* 1. Reg. *l.* 2. *c.* 1. *&c. Vnde resolves.*

1. Contra amorem graviter peccat filius, 1. Si signa odij parentibus ostendat, & asperè tractet. 2. Si torvo oculo feré semper intueatur, ac ita asperè loquatur, ac si odio haberet. 3. Si non subveniat in gravi necessitate spirituali, vel corporali. 4. Si non impleat eorum testamenta, & legata, modò hæres sit. 5. Si grave malum, v.g. mortem illis optet. Nav. Regin. *lib.* 20. *nu.* 8. Fill. *t.* 28. *c.* 1. *q.* 3. *&* 7.

2. Contra reverentiam graviter peccat

Universidad de Deusto Biblioteca

peccat filius. 1. Si percutiat etiam leviter;& secundùm Reginald. 2. Si manum ad percutiendum deliberatè attollat. 3. Si graviter contristet. Regin. *lib.* 20. *numer.* 24. Filliu. *num.* 17. 18. 4. Si animo deliberato ad gravem iram provocet verbis contumeliosis, vel talibus,quibus sciat graviter offendendos. 5. Si maledicta, convitia, &c. in eos conjiciat.Navarr.Filliuc. *&c.* 6. Si pauperes despiciat, vel nolit agnoscere; quòd si tamen exteriùs tantùm dissimulet se nosse,& nolit apud se habere,ex iusta causa,dummodò provideat de necessarijs, Bonacina excusat à peccato gravi, eó quòd rationabiliter non sint inviti. 7. Si in foro externo, etiam de vero crimine accuset, extra crimen hæresis,proditionis, vel coniurationis in Principem, cùm non est alius corrigendi modus. *Vid.* Bonac. *d.* 6.

3. Contra obedientiam graviter peccat, 1. Si in re gravi sit inobediens circa ea, quæ pertinent ad gubernationem domus,bonos mores,vel animæ salutem. Filliuc. *num* 20. 2. Si contra voluntatem parentis ducat vxorem se indignam. Indigna autem dicitur, cum qua non potest contrahere sine dedecore iuxta suæ Religionis vsum, non tamen potest exhæredari idcircó. 3. Si sine iusta causa nolit eam ducere, quam vult parens; maximè si indé sopirentur odia, aut parentum necessitas levaretur. Erit autem iusta causa, v.g. si sit impar familia, si infirma, deformis, fatua, vel immorigera. 4. Si inconsultis parentibus nubat, vt habet Sanc. Potest tamen vbi consuluit,ipsis invitis prudenter contrahere cum se digna;cùm circa electionem status sit sui iuris,Less. *lib.* 2. *cap.* 40.*num.* 43.Sanch. *lib.*4.*c.*15. Fill. *q.* 10. *n.* 20. An & quomodo peccent liberi furando parentibus, Vid.infrà *l.*3.*tr.* 5. *c.* 1. *dub.*4. Item, an alienare possint bona, Vide infrà *l.*3. *tr.*5.*c.*3.*d.*2. *& lib.* 3. *tr.* 5, *c.* 4, *d.* 1.

4. Tenetur proles alere parentes egentes, adeó vt, si in gravi necessitate aliter iuvari non possint, teneatur manere in sæculo (nisi tamen in hoc illi certum, vel certè valdè probabile periculum salutis immineret) & si religionem sit ingressus, teneatur egredi,& iuvare parentes; dummodò eorum necessitas eius professionem antecesserit.Fill. *q.* 5. *nu.* 9. Bon. *q.* 1. *p.* 6.

5. Si verò necessitas post professionem superveniat, si ea extrema sit, tenetur egredi, petita priùs, licèt non obtenta venia. *Si* autem sit gravis tantùm, in qua vtcunque possint vivere, non tenetur quidem,potest tamen egredi, si Prælatus permittat. Quo casu tenetur,in quantum non obstat suo intento, deferre habitum, & observare substantialia Religionis: & postquam parentibus subventum est redire.Vid.Less. *lib.*2.*cap.*41.*dub.*3.*Vide*,& infrà *tr.*5.*cap.* 1. *dub.* 4.

DVBIVM II.

Ad, quid teneantur parentes erga filios?

PArentes, quo nomine etiam intelliguntur ascendentes, v.g. avus,proavus, &c. tenentur gravi obligatione iuris naturalis conservationem, & educationem liberorum curare. Circa quod ex Bon. *disp.* 6. *q.* 1. Azor, *p.* 2. *l.*2.*q.*17. Fill. *tr.* 28. *c.* 2. *resolvuntur hi casus.*

1. Graviter peccant parentes, qui sine iustâ causâ prolem hospitali,vel locis publicis exponunt.Vid. Bon. *hic*,& Fill. *t.* 21. *p.* 2. *c.* 2. & infrà *tr.* 5. *cap.* 1.

2. Mater tenetur (sub veniali tamen) lactare proprio lacte, nisi habeat iustam excusationem: tunc verò tenetur sub gravi peccato, bonam nutricem quærere. Bona. *d.* 6. *q.* 1.*par.* 6. Laym. Item tenetur secundùm iura prolem alere ad finem anni tertij: postea educatio vsque ad emancipationem spectat ad patrem. Excipe nisi hic esset pauper, & mater dives, Fill. Lay. *l.* 5. *par.* 10. *t.*3. Regin. *lib.* 20. *num.*32.

3. Pater tenetur proli, non tantùm legitimæ,sed etiam(in quo ius Civile à Canonico correctum, iuxta *cap. Cùm haberet*) spuriæ curare alimenta, hoc est, cibum, potum,vestitum,& honestas artes, iuxta suum statum: nisi tamen aliundè se alere possit, & non indigeat;deindé etiam dotem filiæ:& quidem Clerici, etiam ex fructibus Ecclesiasticis possunt hæc suis spurijs præstare. Fill. *l. c. t.* 28.*c.* 2. *num.* 28. Lay. *l.* 5. *t.* 10. *p.*3.*c.* 5. vide infrà *tr.n.* 5. *c.*4. *d.*5 *q.*1.Hinc peccant, 1. Si non adhibeant diligentiam saltem mediocrem, vt acquirant bona, quibus filij alantur, habeantque hæreditatem secundùm suum statum. 2. Si bona dilapidando impotentes se reddant, ad liberos honestè secundùm statum suum educandos, ac dotandos. Bon. *d.* 6. *q.*1.*p.*6. Azor, Fill. *&c.* 3. Si sine legitima causa filiæ dotem negent,(vel filium exhærédent)v.g. quia vult ingredi, vel est ingressa Religionem,vel quia ipsis invitis nupsit, licèt se indigno. Bon. *l. c.* §. 2. ex Azor. Regin. &c. vel quia filius ordinem *Sacrum* suscepit. Sicut enim pater tenetur dotare suam prolem pro matrimonio, vel ingressu Religionis;ita etiam ad suscipiendos *Sacros* ordines. Neque hæc donatio est revocabilis:imò sic donata non posse computari in legitimam, aut divisionem cum fratribus docet Barbo. *&* 17. Contrarium tamen tenet Molin. &c. cum Dian.*par.* 8.*t.* 6. *R.* 91.*&*. 92.

4. Parens tenetur proli subvenire relicta Religione, ijsdem casibus, quibus proles parenti; quos *vide superiore dubio cas.* 4. *&*. 5.

5. Parentes gravi obligatione tenentur instruere liberos per se,vel alios, in necessarijs ad salutem. Hinc graviter peccant. 1. Si quantum in ipsis est, non curent vt bonis moribus imbuantur, doctrinam Christianam, seu Fidei rudimenta addiscant,pravorum consortia vitent, mandata Dei,& Ecclesiæ observent, *Sacramenta* frequentent,à peccatis abstineant. Azor, Fill.Bon.*loc. cit.* 2. Si occasiones peccandi ab ijs non avertant, vel in locis, aut domibus suspectis habitare permittant. Trull. *l.* 1.*d.* 3. *num.* 4. 3. Si consilio vel exemplo malo depravent. 4. Si non obiurgent, puniantque dissolutos; moderatè tamen nam peccant etiam verberando immoderatè, v.g. vt notabiliter lædantur. *Sot. Sylv.* Bonac. *loc.cit.& d.* 3. *de contr. q. vlt. p.* 3.

6. Tenentur etiam proli relinquere libertatem circa electionem status. Vndè peccant, invitos ad matrimonium, vel Religionem cogendo,vel abstrahendo. Et quidem Trid.*sess.* 25.*de Reg. c.* 18. excommunicat cogentes ad Monasterium filias.

7. Et si frater fratri,vel sorori,saltem in extrema, vel quasi extrema necessitate teneatur subvenire lege, tum chari-

Universidad de Deusto Biblioteca

charitatis, tum pietatis: non tamen est ea obligatio, quæ inter parentes, & liberos; cùm non sit ista dependentia. Vid. Less. *l.2.c.41. num.* 24. Vndè si professus est in Religione, non tenetur egredi, vt succurrat. Trull. *l.* 2. *c.* 2. *d.*24. *num.*8. ex Suar. &c.

Quæres, an filius aliquando possit à patre privari hæreditare?

Resp. Potest ex iusta causa, aliàs non, eaque in testamento debet exprimi Auth. *Sed hodiè. C. de inoff. test.* Talis autem censetur.

1. Ingratitudo, (nisi in gratiam patris redierit, ipsumq; pœnituerit ante testamentum conditum) vt si affecit Patrem gravi iniuria, vel eius vitæ insidiatus est, vel manus iniecit, vel maleficis se immiscuit. Bon. *d.* 3. *q.*7. *p.*3. ex Con. San. Az. Mol. &c.

2. Si novercam, seu patris vxorem cognoverit carnaliter: si parenti furioso, vel carcere detento, noluit succurrere, fideiubendo: si impedierit patrem testari: si bona parentum dilapidaverit, cum gravi ipsorum dispendio.

3. Si filia minor 25. annis luxuriosam vitam elegerit, &c. Circa quas.

Nota valere has causas, quando filius aliundè habet, vndè vivat; nam alimentis ad vitam necessarijs privari non potest, cùm debeantur iure naturę, quod à iure Civili tolli non potest Bonac. *d.* 6. *quæst.* 1. *par.* 6. §. 3. ex Sanch. Mol. Azor. Reginald. Fill. Trull. *lib.* 4. *cap.* 1. *d.* 3. & *t.* 2. *l.* 7. *cap.* 17.

DVBIVM III.

Ad quid teneantur tutores, & curatores, qui parentum sunt loco?

TVtor (idem est de curatore) tenetur curam gerere pupilli, eiusque bona ritè, & fideliter administrare. Ratio est: quia in hunc finem constituitur, & assignatur pupillo patris loco. Quare si delinquat, vel notabiliter sit negligens hac in re, peccat graviter, & ad compensationem damni, quod pupillus ex eo accepit, obligatur, (& saltem de dolo, & culpâ latâ) imò si tutoris officium exercet pretio, (quod tamen si ab initio non est constitutum, censetur suscepisse gratis) tenetur etiam de levi culpâ Bonac. *de contr. d.* 3. *q.* 19. *p.*4. Vndè *resolves.*

1. Tutor tenetur tueri personam pupilli dum opus est, eumque bonis moribus imbuere, & benè educare, per se, vel per alios Bon. *loc. cit.*

2. Tenetur bona pupilli fideliter administrare, ideóque (officium tutoris suscipiens) inventarium conficere; alioqui damna ex eius defectu secuta resarcire; nec licet illi, pupillo pecuniæ nimium ad vsus inutiles concedere.

3. Tutor (vtì & Curator) tenetur conservare omnia iura, bona, & actiones pupilli, (vel Minoris) & bona, aliàs peritura, vendere, pecuniamque convertere in emptionem bonorum stabilium, vel in censum, &c. provt fuerit vtilius. Ibid. ex Rebel. *p.* 2. *l.* 17. *q.* 17.

4. Si Tutor, vel Curator pecuniam pupilli convertit in suos vsus, tenetur ad restitutionem totius lucri cessantis, vel damni emergentis, quod indè accepit pupillus, vel Minor *loc. c.* Rebel. *q.* 17.

5. Tenetur item ad restituendos fructus (deductis expensis) quos ex bonis pupilli percipere poterat, & sua culpa non percepit Sylv. V. *Tutor*, §. 4. Rebel. *loco. citato.*

6. Tenetur nomina debitorum exigere, & debita pupilli persolvere, ita tamen vt quantum fieri potest, bono pupilli consulat, Sylv. Treb. *l.c.* Tab. ib.

7. Tutor, vel Curator non potest donationes, vel remissiones gratiosas facere de bonis pupilli: quia non ad destruendum, sed tuendum est constitutus. *Ibid.* Excipe donationem remuneratoriam; sic enim potest v.g. stipendio debito pro liberali servitio aliquid addere, ex liberali donatione. Mol. Lugo, *d.* 23. *sect.* 10. Sanch. Trull. *l.*7. *c.*17. *d.*8. Vide Dian. *p.* 8. *t.* 6. *R.* 17.

8. Deniquè tenetur (officio finito) reddere rationes: quia hoc onus est commune eorum, qui bona aliena administrant. Vid. Bo. *de contr. d.* 19. *q.* 1. *p.*4. & infrà hoc libro *t.*4. *c.*3. *in appendice contractus.*

DVBIVM IV.

Quæ obligatio Dominorum, & famulorum, aliorumqne Superiorum, & inferiorum erga se invicem?

REsp. 1. Domini, & superiores tenentur habere curam famulorum, aliorumque suorum subditorum. Patet *ex* 1. *ad Tim.* 1. *Si quis suorum, &c.* Et ratio est; quia sunt ipsorum caput, & vices parentum gerunt; ideóque tenentur quodammodò ad eadem, ad quæ parentes. In primis verò curare tenentur, quantum in ipsis est, vt servent præcepta Dei, & Ecclesiæ. Bonac. *d.* 16. *quæst.* 1. *p.* 8. *Vndè resolves.*

1. Peccant Domini graviter. 1. Si sine iustâ causâ impediant famulos, ne Festis Missam audiant; vel si Festis opera servilia imponant, vel si iubeant ea, quæ sine peccato fieri non possunt. Nav. *c.* 14. &c. 2. Si peccandi occasionem permittant cùm possint impedire; aut si graviter delinquentes non corrigant, vel negligentes necessaria ad salutem, non moneant, corripiant. Bonac. *loc. cit.*

2. Peccant item graviter. 1. Si gravibus iniurijs afficiant, diabolos, canes, &c. appellent. Bona. *loc. cit.* & Trull. *lib.*4. *c.*1. *d.*6. licèt Dian. *par.*7. *t.*7. *R.*47. excuset à peccato talem contumeliam, quod ex ira, & indeliberatione soleat proferri. 2. Si alimenta convenientia non præbeant, mercedem iustam (dummodò fideliter servierint) non solvant, vel differant absque rationabili causâ. *Ibid.* 3. Si ante elapsum terminum temerè domo expellant: in quo casu, (nisi gravissima ex causa id fecerint) tenentur ad solutionem integræ mercedis. Less. Azor. *cap.* 14. *quæst.* 1. Filliuc. *num.* 117. Regin. Mol. *&c.* Escob. *t.* 3. *E.*9. *q.* 33. 4. Si eum, qui liberos aliosve domesticos, verbis, exemplo, vel moribus pravis corrumpit, & reprehensione non emendatur, é domo non dimittant. Navarr. *cap.* 14. Azor. Trull. *d.* 61. *num.* 2.

3. Herus non tenetur famulo infirmo (qandiù ægrotat) dare salarium, (nisi in extrema, vel gravi necessitate, tunc enim debet ex charitate) imò sũptus in eius curationem impensos potest repetere. Molin. *l.*1. *t.*28. *cap.*4. *num.*8. Escob. *t.* 3. *c.* 9.

Resp. 2. Famuli, cæterique subditi, tenentur suis dominis, & superioribus aliquo modo eadem, quæ filij parentibus, nimirum amorem, reverentiam, & obedientiam præstare. Ratio patet ex dictis, quia sunt illis quasi loco parentum S. Thom. 2. 2. *q.* 103. Regin.

lib. 20. *num.* 62. *Vndè resolves.*

1. Peccant famuli graviter. 1. Si non laborent, vel serviant fideliter; tenenturque ad compensationem damni Molin. Less. *l.* 1. *c.* 24. 2. Si grave damnum inferant, vel inferri permittant, cùm possint impedire. Nav. *c.* 14. *num.* 22. Fill. *t.* 28. *c.* 3. *q.* 10. Regin. *loc. cit.* Et quidem si damnum illud inferatur, (sivè à consamulis, sivè ab extraneis) in rebus, quarum cura ipsis commissa est, à restitutione non possunt excusari. Mol. Less. *lib.* 2. *cap.* 23. *d.* 10. *nu.* 65. Fill. *t.* 36. *c.* 6. *q.* 9. *num* 114. 3. Si absque gravissima causa discedant à domino ante terminum elapsum; vltra hunc veró manere non tenentur, etiamsi morbo impediti servire aliquandiu non potuerint Mol. *loc. cit.* Regin. *num.* 517. Escob. *E.* 7. *nu.* 50. 4. Si domino in rebus magni momenti non obediant. Bon. *loc. cit.*

2. Famuli non peccant, si sustentationem, vel mercedem iustam Domino negante, vtantur compensatione occulta. Mol. *loc. cit.* Fill. *tr.* 36. *c.* 6. *q.* 3. dummodò tamen alius modus non sit impetrandi; nec plus accipiatur, quam debetur; neque scandalum, aut aliud incommodum grave timeatur. Vid. Bona. *de restit. d.* 2. *q. vlt. p.* 2. *num.* 16.

3. Similiter pro obsequijs, ad quæ non tenebantur, præstitis (si quidem illa non gratis, & liberaliter, sed animo mercedis exhibuerint) licere ex rebus domini accipere compensationem, quæ aliter obtineri non possit, docet Navar. *c.* 17. *n.* 108. Less. *l c.* Plura de his *Vid.* infrà *t.* 5. *c.* 1. *d.* 4. & *c.* 3. *d.* 10. & Bon. *d.* 6. *q.* 1. *p.* 8. Non tamen proprio iuditio, sed prudentis, & docti confessarij resolvenda, & taxanda est, compensatio. Videantur. Cassianus à S. Elia *in Theologia expurgata verbo compensatio. cap.* 4. Fuente Hurtado *in Theologia Reformata Dissertatione* 24.

DVBIVM V.

An quid teneantur Coniuges erga se mutuó, vi huius præcepti?

Resp. Vxor in ijs, quæ spectant ad domus gubernationem, & bonos mores, tenetur obedire marito; hic veró vxorem, non vt servam, sed vt sociam tractare. Ratio est, quia maritus est caput, & vxor commembrum Navar. *cap.* 14. *num.* 20. Tol. Fill. *t.* 28. *c.* 9. *q.* 6. *nu.* 144. & commun. *Vndè resolves.*

1. Coniuges peccant. 1. Si debita intentione non contrahant matrimonium. 2. Si sine dispensatione prætermittant proclamationes. 3. Si Sacramenta matrimonij in statu peccati mortalis recipiant. 4. Si vtantur matrimonio contra naturam, vel modo indebito, vel cum periculo abortus. 5. Si debitum sine iustâ causâ negent. 6. Si cum periculo pollutionis, tactus habeant impudicos.

2. Peccat graviter vxor. 1. Si maritum rixis, vel aliter verbis ad gravem iram, vel blasphemiam provocet. Filliuc. *l. c. n.* 145. & Bon. 2. Si quid notabile expendat contra voluntatem viri, & consuetudinem fœminarum similis status, nisi tamen ex paraphernalibus, si habet. 3. Si spreto viro sibi imperium vendicet. 4. Si nolit sequi virum docimilium mutantem, dummodò possit sine periculo vitæ, & salutis; & contrarium non sint pacti; & maritus post nuptias non sit factus vagus. Nav. Tol. Bon. *p.* 7. *Vid. infrà t.* 5. *c.* 1. *dub.* 4. 5. Si sine sufficienti iudicio malè iudicet de mariti continentiâ. 6. Si sine iustâ causâ debitum neget, *Vid. infrá l.* 6. 7. Si se ingerat in administrationem domûs sine iusta causa, qualis est, si v.g. maritus prodigus bona familiæ dilapidet. Sylv. Trull. *c.* 1. *d.* 4. *n.* 18.

3. Peccat graviter maritus. 1. Si verbis contumeliosis vel infamatorijs afficiat vxorem. 2. Si impediat illam circa præceepta Dei, vel Ecclesiæ sine iustâ causâ. Sayr. *l.* 7. *c.* 7. Nav. *c.* 14. Si veró impediat etiam sine causa, circa ea bona, quæ consilij tantùm sunt, vt est Confessio, Communio, &c. communiter tantùm peccat venialiter, nisi constet, quod magnam ex ijs vtilitatem percipiat. Sayr. Fill. Bon. *q.* 1. *p.* 7. Trull. 3. Si cædat graviter: moderatè tamen castigare verbis, vel etiam ex gravi causa moderatis verberibus, habita ratione conditionis, & statûs, quandoque potest. 4. Si alimenta neget, nisi tamen vxor à consortio mariti propriâ, culpâ discesserit. 5. Si negligat gubernationem domûs, & rem familiarem. 6. Si vxori non cohabitet, vel sine iustâ causâ diu absit. 7. Si cùm possit, alimenta non procuret. Fill. *nu.* 140. & 141. Nav. *c.* 14. *n.* 19. Tol. *l.* 5. *c.* 2. Sanch. *l.* 10. *de matr. disp.* 18. *nu.* 16. Bon. *p.* 7.

DVBIVM VI.

Quę obligatio Parochorum erga suos?

Resp. Curatus, sivè Parochus iure divino tenetur.

1. Residere in suâ Parochiâ. Trident. *sess.* 23. *c.* 1. *de ref.* Barb. *de off. Paroch. c.* 8. *num.* 1. alioqui in conscientiâ fructus non facit suos, teneturque pro ratione absentiæ restituere fabricæ Ecclesiæ, vel causæ piæ. Potest tamen ex iustâ causâ, & licentiâ Episcopi ad breve tempus abesse Vid. Navar. *c.* 25. Azor. *t.* 2. *l.* 2. *c.* 4. Posseu. Barb. Trull. *l.* 4. *c.* 1. *d.* 8.

2. Tenetur administrare Sacramenta. Quoties, & quanto cum periculo, vide infrà, & Bon. *t.* 1. *d.* 4. *q.* 5. *p.* 2. Posseu. Barb. *locis. cit.*

3. Orare pro populo, & celebrare, vt populus audiat Missam: quam etiam teneri eum eidem applicare diebus saltem Festis, & aliquot alijs, docet Tol. *l.* 3. *c.* 5. Sed negant Suar. Con *in.* 3. *p. q.* 83. *art.* 1. *d* 1. cum nullo iure id cautum sit Vid. Bon. *q. vlt.* Barb. *loco cit.*

4. Docere populum, concionando, arguendo, &c. per se, vel per alios, Tol. *l.* 5. *c.* 5. Posseu. Barbos. Trull. *locis. cit.* vide suprà.

5. Tenetur singulis diebus Dominicis, & Festis solemnibus populo doctrinam Christianam explicare, per se, vel per alium, vt constat ex Trid. *sess.* 24. *c.* 4. *de reform.* idque sub gravi obligatione etiam iuris Divini, ob summam necessitatem, propter quam eos ab Episcopis, alijsque Prælatis ad id cogi posse sub pœnâ excommunicationis, (omnesque alios vt eam audiant, discant, & sciant) docet Trull. *l.* 1. *c.* 1. *d.* 4. *n.* 7. & 8. Bald. *t.* 2. *l.* 1. *d.* 48. ex Sanch. Pal. Barb. &c.

6. Tenetur infirmos visitare, pauperum curam habere, peccata corrigere, &c. de quibus Poss. Reg. *tom.* 2. *l.* 20. *c.* 5. *s.* 3. Barb. *c.* 7. vide suprà.

Universidad de Deusto Biblioteca

DVBIVM VII.

Quæ obligatio Præceptorum, & discipulorum?

REsp. Inter Præceptores (idem est de Pædagogis) & discipulos est quodammodó eadem obligatio, quæ inter parentes, & liberos: *Vndè resolves.*

1. Discipuli peccant. 1. Si Præceptoribus, & Pædagogis nõ exhibeant honorem, & reverentiam. 2. Si non obediant in rebus pertinentibus ad studia, & bonos mores. 3. *Si* eos convitijs, vel contumeliosis verbis traducant. 4. *Si* negligenter studeant, scholarum, aut studiorum tempore lusui vacent, vel otio. 5. Pecunias parentum dilapident, vel inutiliter expendant. 6. Malo fine studeant. 7. Gymnasij sui leges, vel academiæ statuta (si quidem ea ad peccatum obligent) non servent. 8. *Scientias* superstitiosas, aut vetitas addiscant, vel libros prohibitos legant. 9. *Stipendium* debitum doctori suo non solvant, cùm possint: Vide Navar. *c.* 23. *&* 25. Fill. *tr.* 28. *p.* 2. *c.* 10. *q.* 1.

2. Magistri, & pædagogi peccant. 1. *Si* peccata discipulorum dissimulent, & non corrigant quando possunt. 2. Profectum eorum in litteris non seduló promoveant. 3. Non doceant bonos mores. 4. *Si* ex proposito falsa doceant vt vera, vel superstitiosa, & saluti noxia. 5. Non studeant ipsi vt officio satisfaciant. 6. *Si* stipendium exigant maius iusto, vel quàm Gymnasij leges, aut consuetudo permittat. 7. Doctoratûs insignia negent dignis, vel indignis conferant, quod Nav. dicit esse mortale; præsertim in Theologiâ, Iure Canonico, Civili, & Medicina: nam in Philosophia fortè veniale tantùm esse censet Cajet. *V. Doctoratus.* 8. *Si* discipulis malo sint exemplo. 9. *Si* malis moribus imbutos, & qui alijs perniciosi sunt, ad scholas admittant, vel ex ijs non dimittant: Vide Trull. *lib.* 4. *c.* 1. *d.* 11.

TRACTATVS IV.

DE QVINTO, ET SEXTO PRÆcepto.

CAPVT I.

Quid quinto Præcepto prohibeatur?

Non occides.

PRohibetur hominis occisio, mutilatio, verberatio, aliaque similis afflictio iniusta; de qua quæritur: quæ & quando sit iniusta.

DVBIVM I.

An aliquando liceat occidere, vel mutilare semetipsum?

REsp. Absque divinâ authoritate, non licet seipsum directè, & ex intentione occidere. Ratio est, quia est contra charitatem sui; & fit iniuria Reipublicæ, & Deo, qui est solus directus, & absolutus Dominus humanæ vitæ. Dixi 1. *absque authoritate Divina*, propter Samsonem, & quosdam Martyres, qui seipsos occiderunt, vel ex divina inspiratione, vel inculpatâ ignorantiâ. Dixi 2. *directè*: quia indirectè quandoque licet se occidere, hoc est, aliquid facere, vel omittere, ex quo præter intentionem mors certó sequatur: quia præceptum conservandi vitam vtpoté affirmativum, non semper obligat, sed potest omitti propter bonum finem, necessitatem, vel magnam vtilitatem. S. Th. 2.2. *q.* 64. Vide Fill. *hic tr.* 29. *c.* 4. *q.* 5. *&* Bec. 2. 2. *tom.* 3. *c.* 7. *q.* 8. *Vndè resolves.*

1. Miles potest, imò tenetur persistere in statione, etsi moraliter certus sit se occidendum. C. Lugo. *d.* 10. *q.* 1. Item potest ad evertendam turrim hostilem, aut perdendos hostes, pulverum incendere, etsi sciat se obruendum; vtì & navem mergere, vel incendere, ne hostis ea potiatur, cum gravi Reip. damno, vt docent Less. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 32. Fagund. *t.* 1. *l.* 5. *cap.* 11. *Similiter* licet se obijcere telo, vel ictui, ad servandam vitam Principis, amici ad mortem iniustè damnati vices subire. Less. *l.* 2. *c.* 9. *num.* 30. vel in naufragio tabulam cedere, ex Tol. Less. *loco citato* Lopez. *p.* 1. *c.* 65. Item servire peste infectis, vel ad fugiendum incendium ex alto se præcipitem dare, cum certo periculo mortis. Less. & Fill. *loco cit.* Laym. *c.* 1. *nu.* 3. C. Lugo. *disp.* 10. *s.* 1. Vbi tamen eversionem illam turris, & combustionem navis (si quidem nulla sit spes evadendi) timidè, & nonnisi ex gravissima, v.g. boni publici causa, videtur concedere: *vide. nu.* 51. 52. *&c.* Malderum *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 19. Dian. *p.* 5. *tr.* 4. *Res.* 26. Fag. *p.* 5. *cap.* 11. *nu.* 6. *& seq.*

2. Etsi Virgini non liceat ad castitatem servandam directé se occidere, licet tamen ei certo periculo mortis se exponere, etiam pro sola integritate corporali; licèt rationabiliter præsumeret se non consensuram: quia integritas ista magni æstimatur: vide Lay. *c.* 1. *n.* 3.

3. Reo licet non fugere, imó etiam sponte se sistere Iudici plectendum; licèt positivé seipsum perimere non possit, etiamsi à Iudice id ei committatur: vide Less. *c.* 9. *d.* 6. C. Lug. *d.* 10. *de iust. s.* 1. *n.* 38. contra Vasq. 1. 2. *d.* 173. *c.* 3.

4. Etsi Carthusianus in extremâ egritudine possit servare vitam vescendo carnibus, idque probabiliter ei tunc liceat, (atque adeò non peccet, qui inscio præberet cibos ex carnibus: Sanch. Dian. *p.* 8. *t.* 7. *Res.* 70.) licitè tamen, & laudabiliter etiam tunc omittit cum certo periculo mortis, vt contra Vasq. & Gran. docet Dian. *p.* 5. *d.* 4. *Res.* 32. ex Vict. Lorc. &c. quia rationabiliter negligit vitam pro bono communi Ordinis. C. de Lugo. *d.* 10. *n.* 33. contra Az. & Escob. *t.* 9. *c.* 7. vbi docet, teneri carnibus vesci, si exigit necessitas, ita vt aliter vitam conservare non possit: quod Sanch. *p.* 2. *cons. l.* 5. *c.* 1. *d.* 35. cum alijs ita distinguit: si necessitas vescendi sit ab intrinseco, v.g. morbo, ex quo iudicio Medicorum convalescere non possit, nisi esu carnium, ait probabilius esse, non teneri vesci, (tametsi licitè possit) quia morietur naturaliter ex morbo, cuius ipse non est causa; si veró sit ab extrinseco (v. g. si ob inopiam aliorum ciborum fame moriendum esset) teneri vesci, quia mors illa cùm sit violenta, ipsi imputaretur.

5. Licet carnem vigilijs, & inediâ moderatè affligere; qui autem advertens vitam ijs notabiliter minui, nihilominus continuaret, peccaret graviter, vt notat Laym. *d.* 3. *de iust. t.* 3. *p.* 3. *c.* 1. *nu.* 5. ex Cajet. Etsi multi ob bonam fidem, & zelum

zelum Deo placendi excusentur: vide Bon. *d.* 2. *q. vlt. s.* 1. *p.* 7. *nu.* 9. Fill. *loco cit.* C. Lugo *de iust. d.* 10. *s.* 1. *nu.* 32. 33. 36. *&c.* Vbi rectè notat, aliud esse procurare abbreviationem vitæ, seu mortem positivè sibi afferre; aliud permittere, vel periculum eius subire, vel non adhibere media ad avertendam. Prius ait esse illicitum, v. g. pœnitentijs indiscretis, carnisque macerationibus, vitam notabiliter abbreviare: posterius verò sæpè licere, ideòque non teneri Carthusianum carnibus vesci, nec aliquem alium vti pretiosa, & exquisita medicina, ad mortem vitandam; nec sæcularem relicto domicilio quærere salubriorem aërem extra patriam.

6. Excusantur ægri, qui paulò ante mortem, causa humilitatis, vel boni exempli, petunt humi collocari; quia non intendunt vitam abbreviare: Vide Vasq. *loco. cit.* Addit Laym. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 3. *c.* 1. *num.* 5. non teneri quemquam medijs extraordinarijs, & nimis duris, v.g. abscisione cruris, &c. vitam conservare; nisi tamen ea communi bono sit necessaria: Vide Less. *loco cit.* Sanch. *in opusc. t.* 1. *l.* 5. *c.* 1. *d.* 34. Vbi dicit, infirmum in periculo mortis, si sit spes salutis, non posse medicamenta respuere. Non videtur tamen virgo ægrotans (per se loquendo) teneri subire manus Medici, vel Chirurgi, quando id ei gravissimum est, & magis, quàm mortem ipsam horret. Escob. *E.* 7. *c.* 8. ex Turrian. *sum. p.* 1. *c.* 263. *d.* 5.

Resp. 2. Non licet se mutilare nisi sit necessarium ad conservationem corporis totius: quia nemo est suorum membrorum absolutè dominus. Less. *l.* 2. *cap.* 9. *d.* 14. *Vndè resolves.*

1. Non licet se castrare ad conservandam castitatem, vel sedandas tentationes: quia hoc ad eum finem non est necessarium. S. Th. 2. 2. *q.* 65. *a.* 1. Less. Mol. Fill. *t.* 29. *c.* 4. *q.* 3. *&c.*

2. Peccant parentes, qui filios etiam consentientes castrant, vt sint, vtiles cantui: Vide Lay. *l.* 3. *t.* 3. *c.* 1.

Quæres, an sepeliendus sit in loco sacro, qui seipsum occidit.

Resp. Id vetant Ecclesiæ Canones: qui tamen non sunt intelligendi de ijs, qui ex furore, amentiâ, vel passione gravissimæ tristitiæ, turbatâ phantasiâ, id fecerunt; vel qui ante mortem verè de hoc doluerunt. Quod si constet quempiam seipsum occidisse, & dubitetur vtrum deliberatè, an ex animo turbato factum, in praxi privatur sacrâ sepulturâ, cùm præsumatur secundùm opus externum voluntariè esse factum: nisi tamen ex circunstantijs contrarium colligatur. Si verò dubitetur, à seipso, an ab alio v.g. sit præcipitatus in aquam, delictum tam atrox, & contra naturam non præsumitur sine evidentibus indicijs, Mol. *t.* 3. *d.* 20. Vide Laym. *loco cit. nu.* 8. Vide etiam Esc. *E.* 7. *c.* 8. vbi dicit, eum qui moritur ex vulnere in duello accepto, si vivus ex loco discessit, non esse privandum sepulturâ Ecclesiasticâ.

DVBIVM II.

An, & quomodò liceat occidere malefactorem?

Resp. Extra causam necessariæ defensionis, & de quo infrà, nulli id licet, nisi authoritate publicâ, & iuris ordine servato, vt patet *Exod* 22. *& Rom.* 13. *Vndè resolves.*

1. Non licet marito vxorem, aut patri filiam occidere in adulterio deprehensas: quia ad id non habent autoritatem publicam; & leges Civiles id permittentes à iure Canonico sunt correctæ, tanquam iniquæ. Secùs est de proscriptis, quos occidendi cuivis authoritas publica datur: idque non iniustè, cùm ad Reip. defensionem sit necessarium. Peccant tamen, qui non ex zelo Iustitiæ, sed odio, aut privatæ vindictæ causâ, faciunt: Vide Lay. *loco cit.*

2. Peccat Princeps, vel Magistratus (regulariter loquendo) vt vide infrà. *l.* 5. *c.* 3. *dub.* 1. qui occidi iubet reos non citatos, vel non auditos, vel non damnatos, etsi privatâ scientiâ constet esse nocentes: quia ex iure naturę, actus publicus fieri debet ex scientiâ, & authoritate publicâ: Vide Caiet. *Ver. Homicidium.* Fill. *tr.* 29. *c.* 2. *q.* 6. *nu.* 27. Bon. *loco cit. p.* 1. *nu.* 7. Vide & infrà *l.* 5. *c.* 3. *d.* 1.

DVBIVM III.

An, & quomodò liceat occidere privata authoritate iniquum aggressorem?

Res. Ius naturę permittit, vt vim vi repellas, & aggressorem, qui iniquè eripere tibi conatur vitam, aut quæ ad eam honestè agendam tibi sunt necessaria, vt bona temporalia, honores, pudicitiam, membrorum integritatem, prævenias & occidas: ita tamen vt id fiat animo te defendendi, & cum moderamine tutelæ inculpatæ, hoc est, non inferendo maius damnum, nec vtendo maiore vi, quàm necessarium est ad arcendam iniuram. Ita comm. S. Th. *q.* 64. *a.* 7. Mol. &c. Less. *d.* 8. *n.* 44. *Vndè resolv.*

1. Non licet reo occidere ministros iustitiæ, à quibus ad carcerem, vel supplicium trahitur: vti nec licet id proscripto, vt notat ex communi Lay. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 2. quia non sunt iniqui aggressores.

2. Etsi ob contumeliam aliquam, v.g. si viro honorato dicatur *mentiris*: non liceat alterum occidere, eò quód aliter repelli possit, ac soleat, Less. Azor. Hurt. &c. Dian. *pt* 5. *t.* 4. *Res.* 12. & 13. licere tamen, si aggressor fustem, vel alapam viro valdè honorato impingere conaretur, quàm aliter avertere non posset, docent cum Dian. *loco cit. Res.* 4. Lessius, Hurt. & alij. 12. & post. Ita Cassianus à San. Elia *verbo. Homicidium.* 1. *cap.* 3. *n.* 37. verùm, & hoc videtur in praxi periculosum.

3. Si fuste, vel solo vulnere, vel amputatione brachij, vel aliter arcere iniustam vim potes, non licet occidere. Vndè si quis sit persona talis, cui non sit dedecus fugere, debet fugere potiùs, si potest, & salvare se: secùs autem, si turpe sit fugere, v.g. viro Nobili, vel Officiali bellico; nisi rursus hic, & nunc id tali turpe non esset, ob præstantiam invasoris, vel alias eius qualitates, v. g. quia ebrius est, vel amens; talem enim occidere non licet, quando potest fugere Mald. Dian. *p.* 4. *tom.* 4. *Res.* 9. Vide Lay. *l.* 3. *p.* 3. *c.* 3.

4. Non licet occidere furem, ob res exiguas: licet autem, si quis auferat honorem valdé notabilem, aut bona magni momenti; nisi tamen alia via, verbi gratia, iuris, vel aliter, arceri, aut recuperari possint. Quare, quando iura significant furem nocturnum occidi impu-

impunè, non autem diurnum, præsupponunt, quod plerumque nocturni non possint aliter arceri, diurni autem possit. Alioqui enim, si nocturnus potest capi, non debet occidi: & si diurnus non potest, capi, nec repeti ab eo, quod auferet, nisi occidendo, id licet: ea tamen non debent esse parvi momenti, & minimùm vnius aurei, secundùm Molin. *t.* 4. *t.* 3. *d.* 16. *num.* 7. Vide Laym. *c.* 3. vel potiùs secundùm alios apud Dian. *p.* 5. *t.* 4. *Res.* 18. duorum: quanquam & hoc Dia. *loco cit.* nimis laxum videatur: imó Bon. *de rest.* rem non magni valoris hic censet, etsi sit trium, vel quatuor aureorum. Quidquid olim de hoc fuerit, nunc *Regulariter* non potest occidi pro conservatione vnius aurei. Est 31. propositio ex damnatis ab Innocentio XI. Videantur Fuente Hurtado *Dissertatione* 20. *cap.* 4. Cassianus à S. Elia *verb. Homic.* 2. *cap.* 1. Hoc non obstante in aliquo casu, nempe summæ indigentiæ, reputari potest aureus, imò & acus, res magni momenti, & pro cuius conservatione liceat furem surripientem occidere videantur Fuente Hurtado *loc. cit. n.* 43. Cassianus à S. Elia *loc. cit. n.* 7. Si tamen talem (fu v.g.) vsurpet, videnti, ac resistente domino, aut custode, aut huic vim faciat, verbi gratia, repetentem incipiat ferro invadere, permittunt cædem. Bon. Dian. &c. *loc. cit.* vti etiam, si dubium sit, an res possit aliter salvari, aut recuperari, Bon. *loc. cit.* quia nemo inquit tenetur se exponere periculo amittendi res suas: Vide Lay. *c.* 1. Nav. Less. Dian. Puente Hurtado. Cassian. à S. Elia. *locis citatis.*

5. Probabilius est, hæc etiam licere Clericis, & Religiosis, ob bona temporalia. Iura verò in contrarium afferri solita, intellige, quando non servatur moderamen inculpatæ defensionis, Lay. *loc. cit.* Tan. *t.* 3. *d.* 4. *q.* 8. *d.* 4. Esc. *E.* 7. *cap.* 8. vbi etiam docet ex Tann. *t.* 3. *d.* 4. *nu.* 68. licere virgini occidere invasorem pudiciciæ, si violationem nequeat aliter evadere.

6. Cùm tamen iniquus aggressor sit in periculo salutis, potest quis ex charitate ei parcere, & iniuriam potiùs pati: sed non tenetur, eò quòd alter suâ malitiâ sit in isto periculo Laym. *ibid.*

7. Non licet occidere, si iniuria iam est contracta, vel aggressor iam fugit: quia id non esset se defendere, sed vindicare, vt docent Tol. Rodr. Sed Henr. & Nav. *c.* 15. *num.* 5. Fernand. *p.* 1. *c.* 9. §. 1. dicunt, si læsus magnam faceret iacturam honoris, nisi fugientem mox persequeretur, posse eum persequi, & percutere quantùm esset satis ad defensionem honoris. Quod Laym. Bon. Less. Fill. C. Lugo, &c. putant practicè vix posse fieri, sine vindictâ: etsi speculativè videatur esse probabile. Vide Dian. *p.* 2. *t.* 1. *misc. Res.* 15. Post propositionem vero 30. inter damnatas, ab Innocentio XI. iam improbabile est asserere absolute, & sine limitatione, fas esse post impactam alapam, & fustis percussionem, si fugiat aggressor, ipsum occidere. Videantur Fuente Hurtado *Dissert.* 20. *cap.* 2. & 3. qui 231. docet non loqui damnationem de eo, qui ictus vel alapas repetit, vel in eodem loco persistit defensurus quod patraverat. Cassianus à S. Elia *verb. Homic.* 1. *cap.* 3. *n.* 58. qui circunstantias in quibus, adhuc liceat percussorem fugientem insequi, expendit. Concedit tamen C. Lugo, Mol. Less. &c. cum Dian. *p.* 8. *t.* 7. *Res.* 47. licere furem fugientem, v.g. cum equo tuo configere telo, vel sagittâ, quia invasio adhuc durat. Etsi verò id non liceat, postquam in tutum se recepit: si tamen per Iudicem non possis recuperare rem tuam, potes ingredi locum vbi illa detinetur, eamque tibi vindicare, & si alter vi impediat, vim vi repellere. Tan. Less. Mald. Hurt. Dian. *p.* 5. *t.* 4. *Res.* 37. & *p.* 8. *t.* 7. *Res.* 47.

8. Ad defensionem vitæ, & integritatis membrorum licet etiam filio, Religioso, & subdito, se tueri, si opus sit cum occisione, contra ipsum parentem, Abbatem, Principem: nisi fortè propter mortem huius, secutura essent nimis magna incommoda, vt bella, &c. Sylv. Bonac. *p.* 8.

9. Licet quoque occidere eum, de quo certò constat, quòd de facto paret insidias ad mortem: vt si vxor, v.g. sciat se noctu occidendam à marito; si non potest effugere, licet ei prævenire. Nav. Less. *n.* 45. Fill. *n.* 39.

10. Hinc etiam dicunt alij, vt Sanc. 2. *mor. c.* 29. & alij, licere occidere eum, qui apud Iudicem falsâ accusatione, aut testimonio, &c. id agit, vndè certò tibi constat, quod sis occidendus, vel mutilandus, vel etiam (quod alij difficiliùs concedunt) amissurus bona temporalia, honorem, &c. quia hæc non est invasio; sed iusta defensio, posito quod de alterius iniuriâ tibi constet, nec sit alius evadendi modus. Less. tamen Fill. & Lay. non audent id defendere, propter periculum magnorum abusuum. Vide Escob. *Exam.* 7. *cap.* 8. Hur. Lugo, *d.* 10. *s.* 7. Dian. *p.* 8. *t.* 7. *Res.* 52. Imò ab Alexandro VII. proscripta est hæc propositio. *Licet interficere falsum calumniatorem, falsos testes, aut etiam iudicem, à quo iniqua certò imminet sententia si alia via non potest innocens damnum evitare.* Videatur Cassian. à S. Elia *verb. Homic. num.* 6.

11. Quandocumque quis iuxta supradicta habet ius alium occidendi, id potest etiam alius pro eo præstare, cum id suadeat charitas. Fill. Tan. *t.* 3. *d.* 4. *q.* 8. Mol. *d.* 18. An autem, & quando ad hoc teneantur. Vid. Less. *lib.* 2. *cap.* 9. *d.* 13. Dian. *part.* 5. *tom.* 4. *Res.* 9. 14. 20.

DVBIVM IV.

An aliquando liceat occidere innocentem?

RESp. directâ intentione, & scienter, nunquam licet, nisi Deus omnis vitæ Dominus concedat: indirectè autem, & per accidens, aliquando licet, vtendo nimirum suo iure, & dando operam rei licitæ necessariæ, ac tanti momenti, vt vitæ æquivaleat. Sanct. Thom. & Doctores communiter. *Vndè resolves.*

1. Si Tyrannus minetur vrbi excidium, nisi innocens occidatur, id non licet directè. Neque valet, sicut membrum licet abscindere pro salute corporis, ita, & civem pro Repub. quia homo est tantùm pars moralis Reipublicæ à qua non accipit esse, & vivere, sicut membrum corporis à corpore. Molin. *to.* 4. *t.* 3. *d.* 10. Less. Fill. &c.

2. Potest tamen Respub. eo casu talem cogere, vt Tyrannum adeat, & si nolit, tradere; cùm ex charitate, & iustitiâ legali teneatur vitam exponere pro Repub. Vndè si id renuat, fit nocens. Neque hoc erit cooperari eius morti,

morti, sed tantùm permittere; cùm traditio de se sit indifferens, & mors tantum sequatur indirectè, & præter intentionem Reipublic. Mol. *loc. cit.* Less. *lib.* 2. *c.* 9. *d.* 7. Fill. *t.* 29. *num.* 11. Lay. &c. Limitat autem C. Lugo *d.* 10. *de iust.* si innocens sit subditus, vel peregrinus teneatur mori pro Republic. aliena.

3. Si fugere non possis mortem, persequente hoste, nisi per viam angustam, qua quispiam istic sedens esset obterendus; licet nihilominus (dummodò tamen, si infans est, sit baptizatus, vt monet Card. Lugo, & Escob. *Ex.* 7. *c.* 8.) fugere cum eius periculo, & interitu, præter tuam intentionem, Less. *nu.* 36. Fill. *num.* 36.

4. Similiter ad expugnandum Vrbem, & victoriam reportandam, si necessarium sit, licet tormenta in eum locum dirigere, vbi multi sunt innocentes: quia horum mors præter intentionem sequetur. Less. *loc. cit.*

5. Non licet occidere obsides, etsi qui eos miserunt, non servent fidem: quia sunt innocentes. Bon. *t.* 2. *d.* 2. *q. vlt. sect.* 3. *p.* 7. Dian. *p.* 5. *t.* 4. *Res.* 35. contra Azor, &c.

Quæres, an aliquando liceat procurare abortum.

Resp. Quicunque malitiosè in se, vel altero curat abortum, peccat graviter, sive fœtus sit animatus, quia est verum homicidium; sive non, quia tendit ad occisionem hominis, & est contra naturam generationis, Less. *l.* 10. *n.* 61. Si tamen ad vitam matris conservandam, omninò sit necessarium, sequentes Regulæ teneantur. 1. Si fœtus mortem matri allaturus sit probabiliter, necdum sit animatus anima rationali, (animari autem communiter aiunt, mares die quadragesimo, femellas vero octogesimo, quæ res valdè incerta est) quidam permittunt, etiam directâ intentione expelli, vt Sanch. *lib.* 9. *de matr. d.* 20. *nu.* 9. & 10. Henr. &c. contra Less. *lib.* 2. *c.* 9. *d.* 16. & alios, quorum sententia in praxi suadenda: cur enim directè expelles, cum indirectè liceat, & sufficiat. 2. Si verò fœtus sit animatus, materque iudicetur moritura cum prole, nisi medicinam sumat; licet eam sumere, & secundùm quosdã tenetur, intendẽdo directè suam tantùm sanitatem, etsi indirectè, ac consequenter destruatur fœtus: quia in pari necessitate mater potest magis prospicere sibi, quàm proli. 3. Si verò cum morte matris spes vitæ, & Baptismi prolis affulgeat, tenetur mater, secundùm plerosque, sub mortali, abstinere ab omni remedio destructivo prolis: quia tenetur vitam corporalem exponere, pro extrema necessitate spirituali infantis. Contrarium tamen docet Lud. Lopez: quod Sà *V. Charitas*, dixit esse probabile. Vid. Less. *loc. cit.* Sanch. Fill. *t.* 29. *c.* 6. *q.* 1. Bon. *tom.* 8. *num.* 3.

DVBIVM V.

De Duello, & Bello.

ARTICVLVS I.

Quid sit, & an liceat Duellum?

Resp. Duellum est duorum (vel subindè etiam plurium) certamen, quod ex condicto, vno indicente, & altero acceptante, suscipitur: ita vt id non sit vitam defendere, sed exponere peri-

periculo. Quod etsi communiter sit mortale peccatum, licitum tamen est ex iustâ causâ, quę semper est attendenda. Vid. Trident. *sess.* 25. *c.* 19. *de refor.* Sanch. 2. *mor. c.* 39. Item de pœna duellantium. Vid. infrà *de excomm.* & Sanch. *loc. cit. Vndè resolves.*

1. Duellum non est licitum ad indagandam veritatem, vel iustitiam, vel purgationem obiecti criminis, aut litem terminandam: quia est fallax, imó superstitiosum medium ad eum finem, cùm etiam innocens homicidium, & facere, & pati possit Trull. *l.* 5. *c.* 2. *d.* 13. *num.* 12.

2. Neque ob inimicitias, aut ad iniuriam vindicandam, neque ob solam ostentationem virium, aut delectationem.

3. Nec item ad evitandam ignominiam: quia apud bonos, & prudentes honorem non perdit: imò nec apud alios, si provocanti dicat, se eum non æstimare dignum, cum quo congrediatur, contra leges divinas, & humanas. Interim iturum se in dies liberè suas vias, paratumque semper fore, & nunc esse, contra quemvis invasorem se tueri. Trull. *l. c. nu.* 4.

4. Duellum licet acceptare, vel offerre ad conservandam æstimationem exercitùs apud hostes, eosque debilitandos; vel ad determinandum bellum cum minore damno. Vid. Sanch. *l. c.*

5. Acceptare item licet, si quis aliàs te occisurus, concedat tamen arma, vt sic fortunam experiaris; quia est tantùm defensio, positoque quod aliter non possis evadere. Similiter, si Iudex duos ad mortem damnatos vellet duello congredi: quia alter alterius esset constitutus minister iustitiæ Trull. *l. c.*

6. Denique si vir Nobilis in Aulâ Regiâ, vel Militaris in Castris, provocatus sisteret se, meræ defensionis gratia, cum spe prævalendi, privandus alioqui ob suspicionem ignaviæ, dignitate, officio, vel favore Principis, non audet damnare. Laym. *l.* 3. *to.* 3. *p.* 3. *c.* 3. eundem excusat Hurt. 2. 2. *d.* 170. *s.* 8. §. 76. Less. *c.* 9. *d.* 8. Fill. *c.* 8. *quæst.* 6. & Nav. *c.* 15. Verum ab Alexandro VII. damnatur propositio dicens: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Vnde non manet circa illicitam acceptationem duelli dubium. Vide Casian. à S. Elia. *V. Homicidium VIII. cap.* 1. *nu.* 5.

ARTICVLVS II.

An, & quo vsque liceat bellum?

Resp. Bellum defensivum, quo scilicet vis iniusta repellitur, licet etiã privatâ authoritate; offensivum verò quo vis infertur, vt liceat, tres conditiones requirit. 1. Vt geratur authoritate Principis, vel Magistratus, nullum agnoscentis Superiorem, qualis est Papa, Imperator, Reges, & quædam Respub. v.g. Venetorum, Genuensium, &c. 2. Vt adsit iusta causa, eaque gravis v.g. necessitas boni communis, & quietis conservandæ, recuperatio iniustè ablatorum, coërcitio rebellium, defensio innocentum, &c. Vid. Laym. *hic*, & Molin. *t.* 1. *d.* 104. Dian. *p.* 6. *t.* 4. *Resp.* 3. 3. Vt fiat ex recta intentione, hoc est, non ex odio, sed ex amore boni communis; quanquam si hæc vltima sola desit, non sit obligatio restitutionis. Ita commun.

mun. cum D. Thom. *q.*41. Laym. *l.*2. *tom.*3. *cap.*12. *Vndè resolves.*

1. Si quis iustum bellum gerat, non potest alter licitè se defendere: quia circa eandem rem non possunt duo habere contraria iura. Fieri tamen potest, vt neutra pars peccet, ob ignorantiam invincibilem. Fill. *n.* 185.

2. Tenetur Rex, antequam bellum incipiat, omni diligentiâ curare, vt certus sit de eius iustitiâ, & gravi causâ. Ad quod sequentia conducent. 1. Vt curet habere non tantùm peritos, sed etiam bonos Consiliarios. 2. Vt attendat, an etiam à suis impediantur, vel intervertantur litteræ, aut instructiones ad ipsum. 3. Vt non tantùm à suis Consiliarijs, sed etiam à diversis Theologis curet iustitiam belli, secundùm leges Evangelicas examinari, & liberè edici. 4. Si auditis omnibus, ipse quoque coram Deo illam examinet statuatque id, quod in puncto mortis se fecisse vellet. Denique licèt sufficiat opinio probabilis de iustitiâ belli, si tamen iustitia maneat æqualiter dubia, & alter sit in possessione, non licet ei bellum indicere, cum melior sit conditio possidentis. Filliu. *t.*29. *c.*9. *q.*4. Trull. *l.*5. *c.* 2. *d.*3. vbi cum Dian. *p.*4. *t.*4. *Res.*72. docet licere etiam Principi concedere represalia, servatis tamen conditionibus certis, quas. Vide apud Pal. *t.* 1. *cap.*6. *d.*5. *par.*4. & hic infrà *Art. seq.*

3. Perspecta iustitia belli, debet ea proponi parti adversæ: quæ si offerat competentem satisfactionem, non debet bellum inchoari. Imó vt, probabiliùs est, si ceptum sit, debet, si non ex rigore iustitiæ, saltem plerumque ex charitate mox finiri. Vid. Mol. suprà *d.* 103. Trull. *l.*5. *cap.*2. *d.*3.

4. Potest Princeps pro satisfactione petere restitutionem ablatorum; & expensarum; item aliquid in pœnam illatę iniuriæ Dunal. Hinc potest victos privare bonis, etiam innocentes, tributa eis imperare, extruere arces, &c. quæ ad securitatem sunt necessaria. Con. Dian. *par.*6. *t.*4. *Res.*22.

5. Principes tenentur stipendia solvere militibus; alioqui tenentur compensare damna; tum ipsis militibus, tum alijs, qui ab ijs damnum acceperunt. Con. Pal. Dian. *p.*6. *tom.*4. *Res.*29.

6. Tenentur etiam aliquando Principes Catholici à bello, alioqui per se iusto, abstinere, si iudè oriturum sit scandalum, spiritualis ruina multorum, ac detrimentum Ecclesiæ. Vid. Pal. Dian. *p.*6. *to.*4. *Res.* 7.

7. Etsi per se loquendo, in bello iusto liceat advocare infideles in auxilium, per accidens tamen subindè, imò plerumque non licet, ratione scandali, vel periculi in fide, v.g. ne subditi pervertantur, Sacra profanentur, &c. Regin. *tom.*2. *l.*21. *num.*100. Fill. *nu.*181.

8. Similiter licet alteri Principi, etiam alterius fidei, in bello iusto auxilium ferre; nisi tamen sit periculum scandali, incrementi hæreseos, & damni veræ fidei Vid. Con. *tr. de Charitate, d. de Bello.*

9. Duces, Tribuni, Centuriones, alijque Officiales peccant, tenenturque ad restitutionem. 1. Si pauciores hac beant milites, quàm in solutione stipendij exhibent. 2. Quando debent ex officio commeatum curare, & dant militibus cibum, vel potum corruptum, ex quo morbi oriantur. 3. Si in transitu per Regiones accipiant pecunias à varijs Pagis, ne istic pernoctent; aut morentur. 4. Si vni militi dent plura syngrapha ad domos diversas. Molin. Bec. Dian. *p.*6. *t.*4. *Res.* 27. & 28. 5. Si stipendium militibus subtrahentes, permittunt extorquere ab innocentibus necessaria.

10. Miles, qui in bello, & iusto, & iniusto paratus est mereri stipēdia, est in malo statu, & incapax absolutionis, nisi mentem corrigat: & quidem si militet in bello iniusto tenetur ad restitutionem damnorum, nisi inculpabilis ignorantia excuset: tunc enim sufficit restitutio eorum, quæ in specie habet, vel eorum, in quibus factus est ditior. *Vid. infrà.*

11. Si vocatus ad bellum sit subditus Principis, qui bellum gerit, aut ab eo antè conductus, non tenetur inquirere de iustitiâ belli, quandiu nulla vehemens suspicio occurrit in contrarium, quæ positivè reddat dubium: quia potest præsumere pro suo Principe, cui in dubio debet obedire, eiusque authoritas plerumque illi sufficiet, ad formādum etiam positivè iudicium probabile de iustitiâ causæ, ne cum dubiâ fide operetur. Vide Card. Lugo *d.*18. *de iust. s.*1. *num.*21. Si verò non sit subditus, tenetur priùs inquirere, & posteà saltem probabile formare iudicium, bellum esse iustum. Mol. *d.*113. Fill. *nu.*181. Laym. *l.*2. *t.*3. *c.* 12. *num.*8. Azor. Mald. Regin. contra quosdam apud Dian. *tom.*2. *tr.*5. *misc. Res.*96. & *tom.*3. *tr.*3. *Res.*7. Card. Lugo, *l.c.* Escob. *Ex* 7. *c.*8.

12. Miles intelligens bellum esse iniustum, in quo est, non potest absolvi, nisi velit, quamprimùm potest, curare dimissionē, & intereà abstinere ab actibus hostilitatis, v.g. cæde, præda, &c. Vid. Laym. *lib.*2. *t.*3. *c.* 12. An autem talis possit occidere militem hostilem se invadentem. Vid. Escob. *Ex* 7. *cap.* 8.

ARTICVLVS III.

Quid in bello iusto liceat?

RESp. Etsi circa hostes in bello iusto liceat ea omnia facere, quę ad finem belli sunt necessaria; v.g. occidere, spoliare, &c. innocentes tamen (quo nomine intelliguntur pueri, qui arma gestare non possunt, mulieres, senes, Religiosi, Clerici, peregrini, mercatores, & rustici) directè vitâ spoliari non possunt; bonis tamen externis possunt, si sint pars Reipublic. hostilis, aliterque finis belli obtineri non possit. Mol. Bec. *p.*1. *cap.* 10. 11. & 12. Laym. Fill. *num.* 191. *&c.* Ratio est: quia cùm sint pars Reip. possunt propter huius delicta puniri, in ijs bonis, quæ Reipubl. dominio subsunt. *Vndè resolves.*

1. Per accidens licet aliquando comburere etiam Ecclesias, & hostes ex ijs extrahere, in ijs spoliare, & occidere, si v.g. Ecclesiâ velut Castrô ad repugnandum vtantur. Sylv. *Verb. bellum, nu.* 11. Sà, Bon. *p.vlt.* §.3.

2. Contra hostem licet vti insidijs, & stratagematis, dummodò absint mendacia: etsi etiam hæc v.g. quando exploratores se fingunt amicos, non sint mortalia. Ea verò, ad quę cavenda nulla prudentia datur, v. g. venenô inficere puteos, aquas, glandes, sunt contra iura belli, nec licent. Mol. *d.*111.

3. Fides hosti data servanda est, nisi vel coactus dederis, vel in grave detri-

detrimentum cederet Reipub; aut Religionis; aut si hostes eam non servent; aut denique conditiones, ac circunstantiæ planè sint mutatæ. Dual. Pal. Dian. *l. c. Res.* 10. Vide etiam Laym. *l.* 2. *t.* 3. *c.* 12.

4. Capti in bello, etiam ex parte capientium iusto, nisi obstet scandalum, aut specialis promissio, possunt fugere. Capti verò in bello ex parte capientium iniusto, & fugere, & bona hostium secum afferre possunt. Laym. *l.* 2. *tom.* 3. *c.* 12. *nu.* 16. An obsides liceat occidere, vide suprà *dub.* 4. *n.* 5.

5. Potest quidem aliquando, (rarò tamen, & non nisi ob causas gravissimas) dari Vrbs in prædam, milites tamen privatâ authoritate prædas agere, aut hostibus damna inferre non possunt; quia sunt executores tantùm, & ministri. Vide Sà: V. *Bellum*: Laym. *hic tr.* 3. *c.* 12. Fill. *nu.* 198. Dian. *p.* 6. *t.* 4. *toto.* dum autem Vrbs spoliatur iniustè, gregarios milites tantùm teneri ad damnum, quod ipsi intulerunt, probabile esse docet Dian. *l. c. Res.* 31. ex Sylv. Navar. &c. Item. *p.* 3. *t.* 5. *Res.* 86. Vide infrà *t.* 4. *cap.* 2. *d.* 3.

6. Milites peccant cum onore restituendi, si à rusticis, alijsve, apud quos hospitantur, vel per quorum loca transeunt, auferant, aut invitis extorqueant, vel etiam donata accipiant (nisi constet omninó liberè fieri: siquidem donationes istæ plerumque non spontaneæ, sed coactæ sunt;) præter ea, quæ ex constitutione Principis ij debent subministrare: nisi tamen sint in extremâ, vel saltem gravi necessitate. Mol. Con. Pal. Bec. &c. Dian. *p.* 6. *t.* 4. *Res.* 26.

7. Repressalia licita sunt his conditionibus. 1. Vt manifestè constet cives alterius Reip. fecisse iniuriam. 2. Vt Superiores illorum rogati recusent administrare iustitiam. 3. Vt constet, eos culpabiliter id recusare. 4. Vt Princeps supremus causâ cognitâ id concedat. 5. Vt non inferatur plus damni, quàm iusta satisfactio requirit. 6. Vt non concedantur in personas Ecclesiasticas. Mol. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *Res.* 72. ex 18. alijs.

Quær. Ad quem pertineant bona hostibus erepta?

Resp. 1. Immobilia cedunt Principi, aut Reipublicæ: mobilia fiunt capientis, nisi cõsuetudo habeat vt pars cedat Principi, & Communitati. 2. Iure Cæsareo, nisi consuetudo sit contraria, bona ablata iusto bello, ab ijs qui ea iniustè possidebant, fiunt capientium, postquam ea in suà Præsidia deportarunt: Valent. *tom.* 3. *d.* 4. *q.* 18. *p.* 3. Mol. *d.* 18. & Hurt. *tom.* 2. *d.* 169. § 119. vbi requirit, vt vna saltem nocte possederint. Vide etiam Sylv. Bon. *l. c. de peccatis in bello committi solitis.* Trul. *lib.* 2. *d.* 10. & *seq.* Dian. *p.* 6. *t.* 4. *Res.* 23. vbi contra Durand. docet hanc sententiam esse in praxi tutam.

CAPVT II.

DE SEXTO, PRÆCETO, ET Nono.

Non moechaberis, &c. Non concupisces, &c.

COniungo hæc duo præcepta, quia vtroque idem explicitè, vel implicitè prohibetur, scilicet peccata impudicitiæ, & luxuriæ. Est autem luxuria inordinatus appetitus, vel vsus delectationis, seu sensus venerei, qui fit cum commotione spirituum generationi servientium, circa partes corporis, venereas; ita vt appetitus vel delectationes aliæ, etsi etiam sensitivæ, aut sensitivorum, si tamen non sint venereæ, aut venereorum, nec ad ea ordinentur, non spectent ad luxuriam. Porrò actus, seu peccata luxuriæ distinguuntur in imperfectos, in quibus non intervenit vltimus terminus venereorum, qui est decisio seminis: vt sunt actus interni desideriorum, & oblectationum morosarum, qui speciem sumunt ab objectis; & perfectos, ac consummatos, qui terminum iam dictum habent adiunctum. Qui rursus sunt duplices: Alij enim sunt naturales, qui naturæ non repugnant, nec specie differunt in ratione luxuriæ, (etsi per deformitatem superadditam aliquando especie differant) v.g. adulterium, incestus, &c. Alij innaturales sunt, seu contra naturam, in quibus conditiones naturâ institutæ, v.g. identitas speciei, vas debitum &c. non servantur. Et hi etiam in ratione luxuriæ differunt specie, quæ in illis variatur secundùm modos, quibus committuntur naturæ repugnantes.

DVBIVM I.

An, & quanta peccata sint, oscula, amplexus, tactus, verba obscœna, & similia extra matrimonium?

REsp. Ad id dignoscendum, distinguenda est in primis intentio, & delectatio venerea, & venereorum, ab intentione, & delectatione sensitivâ, & sensitivorum aliorum, quæ consistit in quadam proportione, & conformitate rei tactæ cum organo tactus. Deindè sciendum intentionem, & sensum venereorum esse mortalem, & excludere à Regno Cœlorum, secundùm Apostolum *ad Gal.* 5. *Vndè resolves.*

1. Oscula, amplexus, aspectus, tactus, & similia, si extra matrimonium fiant, ex intentione actus luxuriosi, vel ob delectationem veneream, etiamsi non illam perfectam, quæ est in seminatione, sunt semper peccata mortalia: quia eo animo extra matrimoniũ sunt impudica, & naturâ suâ talis delectatio tendit ad perfectam. Fill. *t.* 30. *c.* 9. *n.* 174. Less. *lib.* 4. *c.* 3. *d.* 8. Sanch. *l.* 9. *d.* 46.

2. Tales actus sunt eiusdem naturę cum perfectis, sive consummatis; ideòque in confessione explicandum, vtrum sint habiti cum simili sexu, an diverso; cum liberâ, an coniugatâ, cognatâ, personâ sacrâ, &c. Less. *d.* 15. Sanch. *l.* 1. *c.* 2.

3. Oscula, amplexus, compressiones manuum, & similia non obscœna, si fiant tantùm officij, aut moris patrij, aut amoris honesti, vel benevolentiæ augendæ causâ, etiamsi delectatio venerea suboriatur (modó in eam non consentiatur) non sunt peccata. Less. Fill. *l. c. nu.* 171.

4. Si verò ista fiant ex aliquâ veniali vanitate, ioco, curiositate, levitate, petulantiâ, imò etiam sensualitate, sive affectu sensuali, ac naturali (dummodò non cum delectatione venereâ, nec eius causâ: & si præter intentionem suboriatur, eâ repulsâ, ac tunc abstinendo ab illis), venialem culpam non excedunt; vt Vid. Fil. *hic.* Less. Sanch. *hic.* Dian. *p.* 4. *t.* 4. *Res.* 136. Contrarium tamen

Universidad de Sevilla Biblioteca

tamen est tutius, vt Vid. Trul. *l. 6. c. 1. d. 12. n. 8.*

5. Idem dicendum de tactu, & aspectu inhonestarum partium corporis proprij, aut commixtionis animalium, non cum animo venereo, sed ex curiositate tantùm, aut levitate, secluso tamen scandalo, & periculo consensûs venerei. Imó si tactus talis, aut aspectus proprij corporis naturali aliquo, ac non malo fine fiat, ne veniale quidem erit, vt v.g. si frictione extinguere velis pruritum non venereum; dummodó tamen absit periculum pollutionis, aut consensûs in eam, si improvisò præter intentionem fortè obveniret Less. *nu. 63.* Fill. *nu. 114.* Sanch. *l. 9. d. 41.*

6. Tactus nudi, & aspectus partium inhonestarum alterius corporis maximè diversi sexus, aut concubitus humani ex curiositate, (nam de necessitate aliud est) etiam secluso affectu venereo, videntur non posse excusari à mortali, propter gravem indecentiam, & periculum proximum actus venerei: nisi tamen aspectus, fiat ex loco tam remoto, & ita obiter, vt hæc absint. Sanch. *nu. 23. & 29.* Fill. *nu. 218.* Layman. &c.

7. Aspectus verò, & subindè etiam (rariùs tamen propter periculum adiunctum) tactus ex petulantiâ, vel curiositate, partium inhonestarum alterius corporis, eiusdem tamen sexus, citra affectum, & periculum consensûs venerei, excusari posse à mortali, v.g. quando simul aliqui nacant vel lavant, docet Lay. *l. 3. s. 4.* ex Sanch. *l. 5. mor. c. 6. n. 12. 13. & n. 27. & 28.* Trull. *d. 12. n. 15.*

8. Verba turpia, lectio obscœnorum, spectatio comœdiarum turpium, cantiones inhonestæ, gestus, litteræ, & dona amatoria, si tantùm fiant ex curiositate, vel vano solatio, non sunt mortalia: secùs tamen, si fiant vel animo inhonesto, sive venereo, vel cum periculo ruinæ spiritualis sui, vel aliorum. Sanch. *d. 46. q. 3.* Filliuc. *t. 30. cap. 10. quæst. 3.*

9. Choreæ, nisi malo fine fiant, aut cum periculo, aliquos, aut se ipsum incitandi ad libidinem, vel cum aliâ circunstantiâ mala, secundùm se non sunt malæ, nec actus libidinis; sed lætitiæ. Quando verò sancti Patres eas interdum valdè reprehendunt, loquuntur de turpibus, & earum abusu. Vide Caiet. *V. Chorea,* Fill. *nu. 223.*

10. Exhibentes comœdias turpes, item facientes libros, aut picturas incitantes ad libidinem, peccant mortaliter: quia sunt ruina proximi; cùm moraliter certum sit, multos indè ad peccatum incitandos. Fill. *num. 211.* Similiter Magistratus, qui permittunt exhiberi turpes comœdias, peccare mortaliter docet Hurt. & concedit Bald. si authoritatem illis præstent, approbent, vel foveant: addit tamen, posse aliquando excusari, si ad maius malum impediendum non puniant, & tantùm tollerent. Vid. Dian. *par. 5. tom. 15. Res. 82.*

11. Persona soluta permittens se tangi ab alia, tactu, qui vulgò censetur pudicus, vt prehensio, contrectatio manus, amplexus, & oscula, iuxta morem patriæ, non peccat; nisi ei constet, fieri pravo affectu; huic enim cooperari non licet. Docet tamen Filliuc. etiam tunc admitti posse, ne tangens infametur. Admittens autem tactus impudicos, vt mamillarum, & obscœnarum partium, vel oscula furtiva, & morosa, vel

vel indecentia, peccat: quia præsumitur affectus malus, Vide Filliu. *lib. 30. nu. 196.* & infrà *lib. 5. cap. 1. dub. 2.*

Quæres, an, & quatenus liceant tactus, aspectus, &c. inter coniuges, vel sponsos?

Resp. 1. Coniugibus licent, si referantur ad copulam, ad hanc enim licitè se excitant. Alio autem fine, v.g. voluptatis causa si fiant; sunt peccata venialia: quia matrimonium eos cohonestat, ac defectus debiti finis non est mortalis; nisi tamen habeantur cum periculo pollutionis: quæ cum ijs sit illicita, eo casu erunt mortalia, regulariter saltem. Sanch. *l. 9. d. 46. nu. 7.* Fill. *n. 357.* & alij.

Resp. 2. Sponsis tactus impudici non licent, pudici verò in partibus honestis, licent, si ex ijs tantùm intendant delectationem sensitivam; secùs, si veneream. Sanch. *l. c. nu. 50. & c.* Bon. *p. 9. nu. 6. &c.*

DVBIVM II.

Quæ sint species luxuriæ consummatæ naturalis?

Resp. Eę dicuntur, in quibus fit commixtio eo modo, quo natura instituit; v.g. quando servantur sexus diversus, species eadem, vas, & modus naturalis, &c. *vt vide in principio huius cap. Vndè resolvitur* tales esse has sequentes, quæ ideò in Confessione sunt exprimendæ.

1. Est fornicatio, quæ est concubitus soluti cum soluta, (hoc est, quæ sit libera à voto, matrimonio, religione) ex mutuo consensu. Ad hanc reducitur. 1. Concubinatus, qui est fornicatio continuata. Vndé concubinarius (sicut & meretrix) ordinariè non debet absolvi, nisi dimissa concubina, aut muliere suspecta, cuius retentio scandalum daret, licèt cum eâ non peccaret. Sanch. *lib. 1. mor. c. 8.* Navar. *cap. 3.* Fill. *tract. 30. c. 2. n. 56.* 2. Congressus cum alterius sponsa, quæ est fornicatio intra eandem speciem gravior, & in Confessione aperienda, saltem respectu sponsæ, vt docet Rod. *t. 1. c. 109.* Sanch. *de matr. t. 1. l. 1. d. 2. nu. 6.* Fag. *t. 2. l. 4. tr. 3.* Fill. *t. 2. tr. 30. c. 2. nu. 53.* contra Covar. Vivaldum. Ledes. Azor. quorũ sententiam, (etiam respectu sponsæ) probabilem, & in praxi tutam, censet Diana. *p. 1. tr. 7. Res. 5.*

2. Stuprum, hoc est defloratio virginis, ipsa invita; quia si consentiat, erit tantùm fornicatio simplex, nec circunstantia in Confessione aperienda, vt probat Less. & Sanch. *l. 7. disp. 12.* contra Nav. Azor. & alios.

3. Raptus, cùm scilicet persona aliqua (sive masculus, sive fœmina; sive nupta, sive innupta) libidinis causa abducitur illatâ vi, sive abductæ, sive ijs, quorum potestati subest. Si quæ tamen spontè discedat cum Amasio, inscijs parentibus, non erit propriè raptus, sed fuga, non addens malitiam specie distinctam fornicationi. Lugo *d. 16. num. 237.* Fill. *num. 110.* Vide Bonac. Idem dicit Dian. *p. 1. t. 7. Res. 37.* ex Less. *l. 2. cap. 19. dub. 1.* Sanch. *de matr. t. 2. l. 7. d. 4. n. 5. &c.*

4. Adulterium, cùm scilicet vterque, vel alteruter coëuntium, est coniunctus matrimonio, etiamsi adulterantis coniux sit contentus: esto enim tunc illi non fiat iniuria, sit tamen ipsi statui, Sacramento, & huic præcepto. Quòd si

fœmina adulterans sit coniugata, gravius habetur, quàm si vir; propter incommoda graviora, v.g. damnum veri hæredis, prolis incertitudinem, &c. Si verò vterque sit coniugatus, adhuc gravius est; quia sunt duæ iniuriæ in vtriusque coniugem, in Confessione exprimendæ. Fil. *t.29. c.4. nu.85. & 89.*

5. Incestus, hoc est congressus cum consanguineâ, vel affine, vsque ad quartum gradum; eò gravius peccatum, quò gradus est propinquior: quem proindé in Confessione exprimere, saltem securius est, vt habet Navar. *c.6.* C. Lugo, *d. 16. num.*312. Sicut etiam multò gravior est incestus cum consanguinea, quàm cum affine in eodem gradu, v.g. cum matre, quàm cum noverca; cum sorore propria, quàm cum sorore vxoris; & rursus gravior est cum affine, quàm cum cognato spirituali, vel legali. Addi verò debet, si in primo gradu fuerit, vtrum cum matre, an cum filia, an sorore. C. Lugo *l.c.* & Escob. *de actibus humanis.* Ex.2. *c.6.* vbi ex Hurt. *d.9. de pœn. dif.*4. probabile dicit, incestum in eodem gradu, & linea, eiusdem esse speciei, (eò tamen graviorem, quo gradus est vicinior stipiti) & satis esse dicere, habui rem cum consanguinea in linea recta. Ad hanc speciem revocatur tanquam analoga fornicatio cum filia confessionis; cùm proprié non sit cognatio spiritualis, quam tamen circunstantiam in Confessione exprimendam esse probat Sãch. *l.7. de matr. d.*35. Con. *d.*32. Fagund. & cæteri probabiliter, contra Sà, *V. Confessio*, & Dian. Vide Card. Lugo *nu.*355.

6. Sacrilegium, hoc est violatio rei sacræ per actum venereum. Res autem sacræ, quę sic violantur, sunt locus, & persona. Vndè sacrilegium est. 1. Omnis actus luxuriosus exterior, qualis etiam est v.g. pollutio, & probabiliter etiam tactus impudici. Vid. Card. Lugo *num.*464. in loco sacro, hoc est, Templo, vel Cœmeterio; nisi tamen fiat à coniugibus, ex necessitate, v.g. ad vitandam incontinentiam. 2. Omnis actus luxuriosus, tam interior, quàm exterior in personâ, vel cum personâ voto castitatis consecratâ: circa quem tamen probabile est, non opus esse exprimere, vtrum fuerit votum solemne, an simplex. Sicuti neque, si duplici titulo sit sacrata, v.g. quia est Sacerdos, & Religiosus: quia moraliter est vna numero malitia. Sanch. *de matr. lib.7. d.27. nu.* 27. Henr. & cæteri, quos citat Dian. & sequitur. *p.1. t.6. Res.*3. vide C. Lugo *d. 16. de* Pœn. *s.*4. Bon. *q.* 4. *par.*17. Esc. *Ex.* 8.

DVBIVM III.

Quæ sint species luxuriæ consummatæ contra naturam?

REsp. Cùm contra naturam esse dicantur eæ, in quibus fit seminatio modis repugnantibus institutioni naturæ, ita vt iuxta tales modos species varientur; *hinc resolvitur tales species esse sequentes.*

1. Congressus inordinatus, hoc est innaturalis, sivè indebitus concumbendi modus, cùm scilicet servatur quidem identitas speciei, diversitas sexus, & debita naturæ organa; sed inordinato tantùm modo accedituri: v.g. cùm vir succumbit, vel aversè accedit more pecorum, vel à latere, vel stando, aut sedendo, aliave ratione insolitâ, quod est contra naturam; mortale, quando indé periculum est impediendæ generationis, aut effundendi seminis: aliàs si hoc periculum caveatur, aut non sit, eó quód matrix fœminæ satis attrahat semen, & retineat, vt fit plerumque, non contrà, sed præter naturam erit: & veniale grave; imó nullum, si gravis causa adsit, v.g. quia mulier est prægnans, vel quia corporis dispositio, sive vtriusque, sive alterutrius coniugis aliter fieri non patitur. Fil. *t.*30. *c.*8. *q.*8. *nu.*137.

2. Mollities, sive pollutio, & est, cùm absque congressu, seu copulâ voluntarié procuratur fluxus seminis, sive id foras effundatur, vti in maribus, sive intus diffluat in matricem, vt in fœminis. Et hoc peccatum præter propriam malitiam, sæpe aliam habet adiunctam, vt v.g. fornicationis, adulterij, incestus, &c. cùm quis nimirùm simul imaginatur, ac desiderat congressum alicuius personę liberæ, coniugatæ, &c. quod proindè si fiat, in Confessione aperiendum est. Plura de mollitie, vide sequenti dubio.

3. Sodomia imperfecta, & est congressus cum debito quidem sexu, maris nempè cum fœminâ, sed extra vas naturale. Potest etiam simul habere alias malitias, v.g. adulterij, si fiat cum coniugatâ; incestûs, si cum consanguineâ. Bonac. *q.*4. *de matr. p.*11. *num.*1. Fill. *l. c. nu.*158.

4. Sodomia perfecta, & est congressus duorum eiusdem sexûs, vt maris cum mare, vel fœminæ cum fœmina. Et potest etiam habere alias malitias adiunctas, v.g. incestus: quo casu cognationis gradum non necessariò explicari docet Escob. *de act. hum. Ex.*2. *c.6.* sed satis esse dicere, coivi cum consanguineo, vel affine; quia nec miscetur caro, nec contrahitur affinitas; nec linea variat speciem. Ita ille. Explicandum tamen esse, fuerisne agens, an patiens, dicit Card. Lugo *d.16. num.* 423. contra Dian. *tom.*2. *t.*4. *de Sacram. Res.* 159. & *p.6. t.6. Res.*46.

5. Bestialitas, quod est gravissimum inter omnes; & est congressus in quo non servatur identitas speciei; si homo coëat cum bestiâ, sive eiusdem sexus sit, sive non. Neque opus est explicare, qualis, sive cuius speciei fuerit; quia est differentia tantùm materialis, & in genere entis: non autem formalis, & in genere moris. Esc. *Ex.* 2. *c.* 6. ex Fill. *to.*2. *t.*30. *cap.*7. *nu.*131. Huc revocatur peccatum cum dæmone succubo, vel incubo. Cui peccato superadditur malitia contra religionem, & prætereà etiam Sodomiæ, adulterij, vel incestûs, si affectu viri, vel mulieris, sodomitico, adulterino, vel incestuoso cum dæmone coëat. Vid. Bon. *de matr. q.*4. *p.*12. Fill. *num.*162.

DVBIVM IV.

An aliquando liceat procurare pollutionem.

REsp. Authoritate Scripturæ, quæ molles à Regno Cœlorum excludit. 1. *Cor.6.* docent omnes, nullo casu licitum esse intendere, vel procurare directè mollitiem, ne quidem causâ sanitatis, ac vitandæ aliàs certæ mortis. Causam dat Sanch. *lib.9. d.*17. quod natura administrationem seminis, extra matrimonium, in omni eventu homini denegarit, eó quòd adeo vehemens sit in eâ re sensus voluptatis, vt homines apssione excœcati, passim sibi facilè persuade-

Universidad de Deusto Biblioteca

suaderent, habere se iustam causam irritandi seminis, vndè plurima, gravissimaque vitia contra bonum commune, & in impeditionem generationis emergerent. Navar. *c.* 16. Less. & commun. *Vndè resolves.*

1. Distillatio, quæ est fluxus humoris quasi medij inter vrinam, & semen, (cum quo coloris, & viscositatis similitudinem gerit) sine ingenti illâ delectatione, non est vera pollutio; & si proveniat sine omni commotione sensus venerei, vt quandoque fit, de eâ non magis laborandum, quàm de sudore, dicit Caiet. Si verò fiat cum sensu carnis, & commotione spirituum generationi servientium, tunc ei cooperari, vel causam præbere, non est, vel est peccatum, idque veniale, vel mortale, ad eundem modum, quo de pollutione dicetur. Sanch. *l.9. d.*45. *nu.*32. Laym. *lib.* 3. *sess.*4. *nu.*18.

2. Si semen iudicio medicorum transivit in materiam venenosam, licet eam medicamentis expellere, etsi præter intentionem sequatur aliqua veri seminis emissio. Sanch. *lib.9. de matr. d.* 17. *nu.*16. Fill. *t.*30. *cap.*8. *num.*150. Trull. *l.* 6. *c.*1. *d* 8. §.1.

3. Non tenetur quis (modó tamen absit periculum consensûs in voluptatem, nec voluntarié promoveat) impedire pollutionem sponte suâ evenientem, aut iam cœptam, v.g. in somno, reprimere, sed potest sanitatis causâ sinere, vt natura se exoneret: quia id non est procurare, sed pati vt effluat, quod aliàs corruptum sanitatem læderet. Vndé idem admittit Sanch. etiamsi orta esset priùs ex culpâ; modó de eâ doleat, & consensum vlteriorem abstrahat; additque plerumque expedire, munire se Cruce, & sine alio attactu, quietis manibus rogare Deum, ne permittat lapsum in delectationem, Sanch. *d.* 17. Trull. *lib.6. c.*1. *d.* 10.

4. Licitum est ob finem honestum, v.g. minuendæ tentationis, sanitatis, tranquillitatis animi, optare simplici affectu spontaneam, & naturalem exonerationem naturæ, modò desiderium illud non sit causa efficax pollutionis. Similiter licet etiam de eâ gaudere, viâ naturali, & sine peccato factâ: quia obiectum istius desiderij, & gaudij non est malum: quanquam eiusmodi desideria simplicia inutilia esse, nec periculo carere, quidam benè observent, Less. *d.*14. *nu.* 15. Laym. *num.*17.

5. Si quis facturus rem aliquam necessariam, vel licitam, & honestam, prævidet indè naturaliter secuturâ pollutionem, (idque multó magis valet de distillatione) quam tamen ille nullo modo velit, nec intendat, tunc, modò absit periculum consensûs in delectationem, non tenetur abstinere à tali actione, quia prosequenti suum ius, non imputatur effectus per accidens, & præter intentionem secutus. Hinc non obstante periculo pollutionis; licet audire Confessiones mulierum, studere casibus conscientiæ, tangere se ex necessitate, fœminas cautè, & cum necessitate alloqui, osculati, amplecti iuxta morem patriæ, si alioqui in civilis habendus esset: Quòd si tamen periculum esset consentiendi in delectationem (quod colligitur indè, si sæpiùs ex simili occasione mortaliter sit lapsus) à causâ illa, quantumvis licitâ, abstinendum esset: proindèque Confessarius tali casu teneretur relinquere officium. Fill. Sanch. *l.9. d.* 45. Nav. *c.* 16. Laym. *num.* 16. Moner autem

autem Laym. eum qui in actionibus honestis, & vtilibus talem miseriam experitur, faciliùs liberati contemnendo, quâm æstimando; quia imaginatione, & timore augetur.

6. Si pollutio secutura prævideatur ex re illicitâ, otiosâ, vel minùs necessariâ, & hæc sit causa propinqua, ac naturâ suâ ad venerem ordinata, vt sunt actus luxuriosi, tactus, aspectus, lectio, auditio, locutio turpis, mortale est ab illa non abstinere: quia in eam consentiens, moraliter in effectum consentire censetur. Quod si res illa sit causa tantùm remota, per accidens tantùm ad pollutionem concurrens, qualis est verbi gratia esus, aut potus calidorum, equitatio, confabulatio inutilis, crapula, ebrietas etiam mortalis, (modó pollutionem non intendas, & absit periculum venerei consensus) secuta pollutio non est mortale: quia in talem rem consentiens, non ideó velle censetur effectum. Fill. *tr.*30. *c.*8. *q.*6. *num.*152. Sanch. *l. c.* Less. *lib.* 4. *c.* 3. *d.* 14. vid. Dian. *p.* 5. *t.* 13. *Res.* 4. Addunt quidam DD. hanc regulam, pollutionem in causa volitam tantum esse peccatum, quantum est ipsa; vt si causa sit peccatum mortale, etiam ipsam fore mortalem; si sit veniale, venialem: si verò causa nullum sit peccatum, nec ipsam fore, (secluso semper periculo consensus) hinc venialem, verbi gratia, esse illam, quæ provenit ex lectione curiosa, vel aspectu per se non mortali. Trull. *l.* 6. *c.* 1. *d.* 9. ex Lop. Henriq. Vasq. Bon. *de matr. p.* 10. vid. Diana. *q.* 1. *t.* 2. *mis. Res.* 56.

7. Pollutio in somno facta est mortalis. 1. Si antè directé, vel formaliter est procurata, & causa non est retractata. 2. Quando post somnum placuit, & approbata est propter delectationem veneream; aliàs non. Fil. *q.*5. *nu.* 148. Trull. *l. c. nu.* 9.

Quæres, an mutua pollutio inter mares, vel fœminas procurata, sit mollities tantùm, an Sodomia?

Resp. Si fiat ex solo affectu ad veneream libidinem, absque concubitu, esse tantùm mollitiem: si verò fiat ex affectu ad personam illam indebiti sexus (præsertim si adsit aliqua coniunctio, & commixtio corporum) est quoad malitiam Sodomia. Fill. *t.* 30. *c.* 8. Plura de tota hac materiâ, vid infrà *l.* 5. *c.* 1. *dub.* 2. *art.* 2. de peccato in genere, & Authores citatos.

TRACTATVS V.

DE SEPTIMO PRÆCEPTO.

Non furtum facies.

CVm hoc prohibeatur omnis iniusta damnificatio in bonis proximi, quæ fit. 1. Per furtum, & rapinam. 2. Per omissionem reparationis damni illati. 3. Per iniquitatem contractuum; de his tribus hic agendum.

CAPVT I.

De Furto.

DVBIVM I.

Quid sit furtum, & quale peccatum?

REspond. Est occulta, & iniusta rei alienæ ablatio, invito rationabili

Universidad de Deusto Biblioteca

ter domino. Quod si res sit sacra, dicitur Sacrilegium, de quo suprà. Si apertè cum vi fiat, est rapina à furto specie distincta. Licét autem furtum cæteris paribus, quam rapina levius sit, & ex genere suo minimum inter ea, quæ circa proximum committuntur, est tamen mortale, si quantitas sit notabilis. Ita communiter omnes. Vid. Bon. *d.* 2. *q.* 8. *Vndè resolves.*

1. Qui alienum accipit per iocum, vel ob bonum, aut commodum illius, à quo accipit, non furatur: v.g. si vxor auferat marito pecunias, ne ludis, aut commessationibus prodigat; aut vinum ne inebrietur; aut librum hæreticum ne legat, aut famulus det eleemosynam non nimis magnam valdè indigenti, in qua dominus rationabiliter non sit invitus, à quo tamen ob verecundiam, vel aliam causam non ausit petere. Vid. Less. *l.* 2. *c.* 12.

2. Qui pro se, vel alio in extrema necessitate constituto, alienum accipit, quantum necessarium est, nec furatur, nec tenetur restituere posteà sic absumptum; siquidem re, & spe indigens fuit. Idem docent Less. *loc. cit. d.* 12. Malderus. Dian. &c. de necessitate gravi. Verùm id probabiliùs alij negant, cum Laym. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 7. ex S. Thom. 2. 2. *q.* 66. *art.* 7. Sylv. Angel. Vid. Dian. *tom.* 1. *p.* 2. *t. misc. Res.* 20. C. Lugo. *d.* 16. *s.* 7.

3. Nec item furatur, qui accipit in compensationem iustam, si aliter sibi debitum accipere nequeat: verbi gratia, si famulus iustum stipendium non possit aliter obtinere, vel iniquè inductus sit ad serviendum iniquo pretio. Vid. Layman, *loc. cit.* & Tol. *l.* 5. *cap.* 15.

DVBIVM II.

Quæ sit quantitas notabilis ad mortale peccatum?

VAriæ eâ de re sunt sententiæ. Navar. nimis scrupulosè statuit medium regalem; alij nimis laxé 100. aureos: moderatiùs Tol. Med. Less. &c. duos regales; etsi minùs sufficiat, si notabiliter noceat.

Resp. Ea non mathematicè; sed moraliter metienda est, non tantùm ex valore rei ablatæ, sed etiam ex circunstantijs personæ, cui infertur, si nimirum ei grave damnum inferatur, aut saltem charitas Christiana graviter lædatur: quomodo respectu valdè divitis, imó etiam Regis, vnus, vel alter aureus notabile quid videtur; respectu verò mediocriter divitum, quatuor circiter regales, sive medius imperialis; respectu mechanicorum duo, respectu pauperis, vnus. Ita nunc plerique cum Bon. *Vndè resolves.*

1. Grave peccatum est auferre rem parvam domino valdè proficuam, v.g. sartori acum, quam vnicam habet nec habere aliam potest, quâ se alat. Less. *l.* 2. *c.* 12. *d.* 8.

2. Grave item est (etsi non in specie furti) si fur sciat ex iacturâ rei parvæ domino secuturam valdè magnam molestiam, v.g. quia valdè ad eam afficiebatur, nec similis recuperari potest; nisi tamen res sit nullius prorsus momenti. Vid. Bon. *d.* 2. *q.* 8. *p.* 1.

3. Plus requiritur ad notabilem quantitatem in rebus, quæ vltrò proveniunt, & sunt valdè expositæ, v.g. fructus ad viam publicam. Vid. Less. *loc. cit.*

4. Plus

4. Plus item, si quis à diversis, vel ab vno interpolatim, parva, & plura furetur. Vid. Less. *l. c. nu.* 46.

DVBIVM III.

Quàm graviter peccet, qui multa minuta furta committit?

REsp. Hic quoque quantitas læsionis, vel damnificationis, quæ fit proximo, & quam fur intendit, est mensura quantitatis peccati. Vid. Less. *l. c.* Sanch. *l.* 7. *c.* 21. *Vndè resolves.*

1. Si quis ex occasione tantùm furatur, sive vni, sive pluribus, modicum; non intendens notabile aliquid acquirere, nec proximo graviter nocere, singulis furtis non peccat graviter, neque ea simul sumpta vnum mortale constituunt: postquam tamen ad quantitatem notabilem pervenit, eam detinendo, mortaliter peccare potest. Less. *d.* 7. Sanch. *l.* 7. *c.* 21. Bon. *q.* 8. *p.* 2. Verùm, & hoc mortale evitabit, si vel tunc restituere non possit, vel animum habeat pauló póst restituendi ea saltem, quæ tunc accipit. Gran. Dian. *p.* 3. *t.* 6. *Res.* 25.

2. Si autem per plura parva furta vni vel pluribus facta habeat intentionem paulatim ditescendi, vel inferendi grave damnum, peccat graviter ea intentionem: ac licèt executio singulorum sit tantùm venialis ex se: vt tamen substat tali intentioni, est continuata executio peccati mortalis Less. *lib.* 2. *cap.* 12. *d.* 7. Sanch. *l. c.* quia nocent graviter Reipub. & praxis illa valdè perniciosa est societati humanæ; v.g. si sartor particulas panni à diversis surripiat; si mercatores vrantur brevioribus vlnis, &c. Interim hi excusantur subindè à gravi peccato. 1. Ex eo quod dictum est casu primo. 2. Si id faciant, vt se servent indemnes, vel quia aliàs non lucrarentur, vel pretium augere deberent, & tunc non invenirent emptores. Rosella, *V. Emptio.* 3. Si aliàs non habeant, vndè se, vel suos alant.

3. Si plures simul, vel successivè plura furta parva alicui faciant, quæ simul sumpta graviter illi noceant: tunc si alter de altero non sciat, nullus peccat graviter: verbi gratia, si viatores ex vineâ vnam, alteramve uvam rapiant, & comedant: etsi hoc licere dicant Covar. Valerus, & Ripa, contra Dian. *p.* 3. *t.* 6. *Res.* 20. Si autem singuli conspirent, singuli graviter peccant. Si deniquè de se mutuó sciant, nullus tamen alteri sit causa furti, probabilius est non esse mortale, vt docent Less. Tann. &c. contra Suar. Vasq. Vid. Bon. *loc. cit.*

DVBIVM IV.

Quid sentiendum de furtis domesticorum vel amicorum?

REsp. Licèt verè furtum sit, si vxor, liberi, amici, servi, patrifamilias invito quid auferant: plerumque tamen maior quantitas requiritur, vt sit mortale cúm plerumque hic dominus, aut non rationabiliter invitus, aut saltem minùs invitus sit, vt ab his, quàm ab alijs auferatur. Vel etsi valdè invitus sit, sæpè tamen id fiat, non tam ratione rei acceptæ, quàm modi accipiendi clàm, aut ratione finis, ob quem accipitur, v.g. ad ludendum, potandum, &c. Vid. Caiet. *v. Furtum.* Less. *c.* 12. *n.* 76. *Vndè resolves.*

Universidad de Deusto Biblioteca

1. Vxor graviter peccat, si notabilem summam accipiat invito marito, etiam ex dote, vel bonis communibus; quia licèt media pars ad eam spectet, maritus tamen habet vsumfructum illius partis, ideóque tenetur ad restitutionem. Trull. *l.* 7. *c.* 6. *d.* 8. *nu.* 7 *&c.*

2. Similiter peccat graviter maritus contra iustitiam, cum obligatione restituendi, si aliquid notabile vxori surripiat, absque eius consensu, ex bonis ipsius paraphernalibus, vel alijs proprijs, si quidem libera eorum administratio ipsimet vxori comperit; quia par est ratio mariti, & vxoris, quoad bona propria. Vid. Villalob. *tom.* 2. *d.* 13. Trull. *l.* 6. *c.* 1. *d.* 6.

3. Vxor potest dare eleemosynam, & munera, secundùm consuetudinem aliarum mulierum ipsius loci, & conditionis, etiamsi maritus eleemosynas omnes illi prohibeat: quia consuetudo hoc ius ei tribuit, quo maritus eam privare non potest. Ibid. *num.* 13. Dian. *p.* 1. *t.* 3. *Res.* 23. *& p.* 5. *tom.* 8. *Res.* 34. vbi cum Mol. & 10. alijs docet, posse eam inscio marito dare vigesimam partem annui census, vel lucri, eò quód hoc pertineat ad decentiam status; & maritus irrationabiliter sit invitus. Hinc etiam potest cum Abigail moderatas eleemosynas dare, vt mariti conversionem impetret; vel nè Deus illum puniat. Vasq. Bonac. Regin. & alij 10. contra Con. &c. Vid. Dian. *p.* 2. *tr.* 16. *Res.* 25. *& p.* 5. *t.* 8. *Res.* 34.

4. Vxor potest bona expendere, marito absente, vel fatuo: quia tunc ad illam spectat administratio domûs. Item quæ acquirit suâ industriâ, item paraphernalia, hoc est, bona, quæ præter dotem marito allatam, sibi reservavit. Trull. *l. c.* & cæteri communiter.

5. Non peccat vxor, subducendo aliqua, vel compensationis causâ, si vir sit prodigus: quia is tunc facit vxori iniuriam, partem ipsius profundendo: vel pro victu, vestibus, cæterisque sibi, vel familiæ necessarijs, quæ mariti sæpè non intelligunt, & frustrá ab illis peterentur. Bon. Trull. *l. c.*

6. Vxor, si eius pater, mater, vel proles ex alio matrimonio sit pauper, ita vt miserè secundùm statum suum vivat, & maritus eis nolit succurrere potest ex bonis suis proprijs, vel etiam ex communibus, (dummodò post mortem viri omnia computet in sua parte) eis subvenire, quia iure naturæ tenetur eos alere, & maritus id consentire. Nav. Palaus. Less. *l.* 2. *c.* 12. *d.* 14. Dian. *p.* 5. *t.* 8. *Res.* 34. vbi illam potestatem extendit ad fratres, & sorores; quod etiam Less. *loco cit.* & Trull. *lib.* 6. *c.* 1. *d.* 9. iudicant probabile.

7. Filius peccat graviter invitis parentibus notabilem summam accipiens, qualis non semper est secundùm Less. *c.* 12. si filius patri prædiviti duos, vel tres, imò secundùm Sanch. quinque, vel sex aureos furetur; eó quód parens sit minùs invitus, & filius sit aliquid patris. Vndè non tenebitur ad restitutionem, nisi fortè cohæredibus graviter noceat.

8. Si filius notabilem summam expendat in res turpes, aut vanas, contra voluntatem parentum, ex pecunia sibi suppeditata ad vsus honestos, putat Less. *c.* 12. *dub.* 13. eum peccare mortaliter; etsi excuset à restitutione, si pater rogatus facilé condonaturus putetur.

9. Si filius, v.g. mercatoris, vel cauponis administret bona parentis, potest à patre exigere salarium, quantum dare deberet extraneo; & si id impetrare non possit, vel exigere non ausit, potest clàm accipere. Ita probabiliter Lay. *l.* 3. *s.* 5. *t.* 4. *c.* 8. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *Res.* 66.

10. Etsi famuli in esculentis, & poculentis, quæ domo exportant, aut divendunt, graviter peccent, quæ tamen ipsi domi consumunt, in ijs faciliùs, (vti & Religiosi) excusantur; cùm in his dominus, aut Prælatus sæpè tantùm sit invitus quoad modum accipiendi clàm, non quoad rem. Quod tamen timeri posset, si extraordinaria ecciperentur. Laym. Escob. & Less. *lib.* 2. *c.* 22. *d.* 8. *nu.* 48. Vbi docet quod furta minima famulorum ex comestibilibus, quæ claudi non solent, non coalescant, si non ad vendendum, sed comedendum tantùm accipiantur.

11. Cùm à gravi peccato furtum domesticũ nõ potest excusari, tunc vxor tenetur restituere ex paraphernalibus, filius ex castrẽsibus, vel quasi castrẽsibus, vel si ea non habet, post mortẽ patris afferre in divisionẽ hæreditatis: (si quantitas rei ablata sit valdé magna, nec pater restitutionem tacitè, vel expressé dimiserit) Famuli verò si sine magna difficultate restituere non possint, iubeantur compensare officijs, & obsequijs, extraordinarijs, quantùm possunt. Lay. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 1. *c.* 1.

CAPVT II.
De Restitutione.
DVBIVM I.
Quid sit Restitutio, & qui teneantur ad eam?

RESP. 1. Restitutio est actus iustitiæ ad salutem necessarius, necessitate præcepti, quo reparatur damnum proximo illatum per iniuriam; ita vt radix restitutionis non sit quævis læsio proximi, v.g. contra charitatem, &c. in quibus non habet ius quod violetur, sed ea tantùm, quæ est contra iustitiam in qua propriè iniuria infertur, hoc est, læditur aliquod ius proximi, quod is habet in re, vel ad rem, in qua damnum patitur. Quod varijs modis fieri potest, v.g. furando, defraudando, destruendo, rem alterius negligenter custodiendo, occidendo, mutilando, detrahendo honorem, convitiando, & similibus.

Resp. 2. Ex data responsione patet teneri ad restitutionem eos, qui intulerunt iniuriam damnosam. Hæc autem est duplex, scilicet materialis, vt v.g. cùm quis rem alienam destruit, accipit bona, vel retinet, idest, probabiliter iudicans id sibi licere, vel esse suam: & formalis, qua quis rem alienam destruit, accipit, vel retinet mala fide, idest, cùm sciat, vel scire possit, ac debeat, id sibi non licere, & rem non esse suam. Vid. Lay. *l.* 3. *t.* 2. *c.* 1. Less. *l.* 2. *c.* 7. *d.* 6. Bon. *d.* 3. *q.* 1. *p.* 6. *Vndè resolves.*

1. Qui iniuriam intulit, ex qua alteri nullum est damnum secutum, vt si adulterium commisit, sine damnificatione alterius, non tenetur in conscientiâ ad restitutionem; cùm hæc fit reparatio damni: potest tamen à Iudice cogi ad satisfaciendum pro iniuriâ.

2. Quisquis intulit iniuriam damnosam, etiam materialem tantùm, tenetur restituere, sed nonnisi id, quod ex alterius re adhuc habet, vel quô ex eâ factus est ditior.

3. Qui intulit iniuriam formalem, sive rem adhuc habeat, sive non, tenetur restituere, & quidem tantùm, quantùm

tùm est damnum secutum. An veró sufficiat culpa venialis, controvertunt Authores, & sententia vtraque probabilis videtur, ac in praxi tuta; saltem quando non commodè potest restituere. Vid. Auth. *cit.* & Laym. *l.3. t.2.* Less. *l.2. c. 7. d.6. nu.27.* C. Lugo *disp.8. sess.5.n.56.*

DVBIVM II.

An qui cooperantur ad damnum alterius, teneantur ad restitutionem?

RESP. Tenentur omnes illi, qui quoquo modo sunt causa influens, & efficax damni secuti, ac qui ex officio, & obligatione iustitiæ obligati cavere damnum, non caverunt. Ita communiter Doctores. Vndè concludere teneri ad restitutionem comprehensos sequentibus versibus:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus.

Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

patet ex sequentibus casibus.

1. Tenetur ad restitutionem mandans, sive expressè mandet, sive tacitè, dicto nimirùm, vel facto, ex quo v.g. famulus colligat, hero gratum fore, si faciat; non autem tenetur, qui ratum tantùm habet opus suo nomine factum, vti nec mandans, si ante executionem mandatum retractet, idque mandatario innotescat; quia tunc non est vera causa. Mol. Less. *l.2. c.3. d.3.* Fill. *t.32. n.54.*

2. Tenetur item consulens, aut precibùs, ac promissionibus ad damnificationem inducens. Quod si tamen ante executionem consilium suum retractet; & quantùm potest, contrarium suadeat, etsi non persuadeat, probabile est excusari à restitutione; maximè si eum, cui damnum paratur, moneat vt caveat. Vid. Bon. & Tann. 2. 2. *d.* 4. *q.6. dub.* 14. Sà, *V. Consilium*, & Dian. *tr.* 2. *misc. res.* 18. & *t.5. res.* 83.

3. Tenetur item, qui suo consensu, calculo, vel suffragio est causa efficax damni Less. *d.3. n.23. t.32. c.3.*

4. Item Palpo, vt qui laude, adulatione, vel exprobratione ignaviæ, aliquè alium ad damnum inferendum excitat, animat. Less. Fil. *l.c.*

5. Item, qui inferenti damnum præbet recursum, illum receptat, illius furta, aut instrumenta occultat, vel ea emendo rapinas fovet, &c. Ibid. Hi enim omnes, vtì & is, cui res furtivæ traditæ sunt in custodiam, tenentur (non manifesto fure) restituere domino. Et sic peccare eos, qui à sartoribus emunt fragmenta panni, seu vestium, docet Villalob. apud Dian. *p.4.t.4. Res.* 176. licèt ibid. Sanch. excuset eos, qui ista emunt à sartoribus magistris, eò quòd his plerumque detrahatur plus à iustâ mercede, quàm mereantur ista fragmenta, ideòque licitè ea retineant. Neque hic à peccato excusari caupones, qui á filijs familias acceptant pecunias, aliasvè res parentibus surreptas, notat Laym. *l.3. t.2. c.5.* Bon. &c. Qui veró post delictum ipsum reum iuvat ad fugiendum (non concurrendo ad delictum) non tenetur restituere; modò non det illi spem refugij in posterùm. Tum quia non est causa damni: tum quia reo licet fugere, vt infrà dicetur, *l.4 d.7.*

6. Item, participans de præda, aut quoquo modo cooperans; vt agens excubias, applicans scalas, parans instrumenta, conficiens litteras, &c. in bello iniquo tormenta advehens; &c.

Excusantur tamen (modò actio per se non sit mala;) qui ea non spontè, sed iniusto metu coacti faciunt, v.g. cùm rustici furto à solis militibus facto, coguntur eorum prædas avehere, vel pecora abigere. Less. *d.5. nu.19.*

7. Item, tenentur causæ, quæ privativé ad damnum alterius concurrunt; nimirum mutus, sive non clamans, cum potest; aut non obstans, non manifestans, sed tunc tantùm, quando tales ex aliquo pacto, vel officio, vel stipendio, &c. tenentur ex iustitia damnum cavere. S.Th. 2.2. *q.62. ar.7.* Sic Princeps, Magistratus, belli Dux, tenentur ad restitutionem damnorum, quæ à feris, latronibus, militibus, ob ipsorum culpabilem negligentiam dantur. Item, Consiliarij, Canonici tacentes, absentantes se, non impedientes iniquam constitutionem, vel electionem. Item tutores, administratores bonorum, &c. non impedientes damna pupillis, Minoribus, Ecclesijs provenientia. Item custodes montium, vinearum, sylvarum, agrorum, piscinarum, qui damna non impediunt, vel facta non manifestant Mol. *d.* 116. Fil. *trac.32. c.2. q.12.* Vid. suprà *l.3. t.3. c.2.* Item Principes, & Domini Territoriorum, si sciant vias publicas infestari prædonibus, & cùm possint, non impediant, tenentur mercatoribus, & cæteris viatoribus damna, quæ ab illis accipiunt, compensare. Dian. *p.8. t.7. Res.* 38.

8. Supradicti non tenentur ad restitutionem, quando non fuerunt causa efficax damni, vt v.g. si fur, homicida, non fuerit efficaciter motus mandato, consilio alterius, sed nihilominus absolutè erat facturus. Item, si v.g. in Capitulo alij ante te dederint suffragium, ita vt videas te nihil impetraturum, etsi neges: tunc enim non teneris restituere; licét pecces, pro qualitate damni, addendo tuum, vel mandando, consulendo, &c. Bon.

9. Probabile est, non teneri supradictos, si non sit moraliter certum, eorum mandatum, consilium, efficaciter influxisse: quia in dubio melior est conditio possidentis: præsertim circa materiam iustitiæ. Less. *t.13. d.4.* Bon. *q.2. p.4.* Dian. *t.5. misc. Res.* 84. Tann. 2.2. *d.4. q.6. d.14.*

10. Nec tenentur, si efficaciter tantùm concurrant ad circunstantias, & modum actus damnosi; v.g. si quis tantùm impellat alium, vt citiùs, vel animosiùs hoc, vel illo loco, vel modo noceat. Vid. Lay. *l.2. s.5. t.2. c.5.*

11. Nec tenetur, qui deliberaté volenti inferre magnum damnum, suadet, vt minùs eidem inferat, quia tunc vtiliter alterius negotium gerit. Dico *eidem*, quia non licet impedire damnum vnius cum iniuriâ alterius.

12. Non tenetur item (contra Navar. Angel. &c.) Confessarius, (etsi ex officio Confessiones audiat, vt Parochus, &c.) si ex negligentiâ, vel ignorantiâ pœnitentem non moneat, aut obliget ad restitutionem; quia etsi ex officio teneatur benè instruere pœnitentem, ideóque peccet graviter omittendo, quando est necessarium; non tamen ad hoc tenetur ex obligatione erga tertium, quasi ex iustitiâ debeat eius damnum cavere, aut procurare, vt hoc ei compensetur. Secus tamen dicendum videtur, si positivè restitutionem impediat, ex malitiâ, imò etiam ex ignorantiâ crassâ, vel culpâ latâ: quia tunc consilio suo, est causa efficax damni. Vid. Less.

Universidad de Deusto Biblioteca

Less. & Bon. *d.*1.*q.*2. *p.*11. Laym.*l.*3.*t.*4. *c.*7. & infrà *l.*6. *t.* *c.*2. *dub.*5.

DVBIVM III.

An supradicti teneantur singuli restituere in solidum, & quo ordine?

REsp. Cùm plures damnificantes, vel seorsim singuli rem suam agere possint, vel coniunctim, atque alij alijs plus minusvè in damnum influere; hinc ex tali ordine, & mensura influxus, ordo, & mensura restitutionis desumenda est. Ita communiter Doct. *Vndè resolves.*

1. Si plures absque consensu, quisque per se seorsim, & casu concurrant ad damnum, singuli non plus tenentur restituere, quàm quod quisque per se damni intulit. Lay. *l.*3. *tr.*2. *c.*6.

2. Si plures cum consensu, & se invicem iuvantes id fecerunt, singuli in solidum tenentur restituere totum damnum: quia singuli sunt causa totius damni, cùm vnus iuvet alterum & procedat ex confidentiâ, quam habet in auxilio aliorum. Vndé si vnus eorum restitutionem fecit, potest à reliquis, nimirùm à principali totum, aut si is nolit à reliquis pro ratâ singulorum repetere. Bon. *de rest. d.* 1. *q.* 2. *p.*11. ex Vasq. Mol. Fill. &c.

3. Quod si actio damnificans fuit lucrativa, & apud aliquem ex cooperatoribus res ablata adhuc existat, aut is eam malâ fide assumpsit, tenetur is primo loco restituere ipsam, vel æquivalens: & si ille non faciat, reliqui, Less. *l.*2. *c.*3.

4. Si actio damnificans non fuit lucrativa, vt quia res perijt, & destructa est, vt fit v.g. in combustione, mutilatione, detractione, tunc ante alios primò tenetur restituere qui mandavit, vel qui causa fuit primaria, vel executor primarius; vt in bello Princeps, & Dux; & si is non sit facturus, vel quia non vult, vel quia non potest, tenentur reliqui, v.g. cæteri milites. Quod etsi de militibus speculativé verum sit, practicè tamen ij excusantur per accidens: tum quia non possunt totum restituere: tum quia dominorum voluntas non est, nec expectatio, vt plus restituant, quàm partem suam; ideóque si hanc possunt, ad id tenentur; vtì etsi quid adhuc reliquum habent ex iniquo. Laym. *l.*3.*t.*2.*c.*6. *nu.*5. ex Caiet. Mol. &c. Imó Bon. *de rest. d.*1. *q.*2.*p.*10.*nu.*13. ex Nav. *c.*17. Vasq. Les. *d.* 4. *nu.* 37. dicit militem gregarium, qui alios non induxit, non teneri ad restitutionem totius damni illati à toto Exercitu, sed tantùm pro sua parte. Vide suprà *t.*4. *c.*1. *d.*5. *ar.*3.

5. Si damnum passus condonet restitutionem principali damnificanti, etiam minùs principales liberantur? non autem vice versa: quia ruente principali, ruit accessorium, non contrà. Vid. Laym. *l. suprà cit.*

DVBIVM IV.

An teneatur restituere, qui alium impedivit à consecutione alicuius boni?

REsp. Attendendum, an lædatur ius alicuius, quod à natura, lege, vel aliter habeat; & an per vim, fraudem, calumniam, & mendacia quis alium impedierit: num verò aliter. Indè enim apud Laym. *l. c.* & Bon. *q.* 2. *p.* 12. *resolves sequentes casus.*

Qui

1. Qui alterum impedivit à consecutione rei debitæ ex iustitia, tenetur ad restitutionem. Less. *c.* 12. *dub.* 18. Fill. *t.*32. *c.*3. *q.* 12. *nu.* 72.

2. Si res non erat debita ex iustitia, sed conferenda ex libera voluntate, tunc qui sine vi, fraude, & calumnia collatorem inducit, vt v.g. officium vel legatum, beneficium Ecclesiasticum, & similia dona gratuita, non conferat, cui apud se constituerat, aut qui petierat, sed vel nulli, vel alteri etiam minùs digno; etsi sæpè is possit graviter peccare, præsertim si id ex odio, vel alio malo fine faciat, non tamen tenetur ad restitutionem. Azor. 3.*p.* *l.*4.*c.*9. Vasq. Sà, Bon. *p.* 12.

3. Si in re prædicta ex libera voluntate conferenda, aliquis per vim, fraudem, vel calumniam, collatorem induceret, ne ei daret, aut eum à petitione (cùm quivis habeat ius petendi) aut à consecutione talis rei, per vim, fraudem, calumniam, vel mendacium impediret, (cùm etiam quivis ius habeat, ne iniquè impediatur) is tenetur ad compensationem damni, arbitrio viri prudentis, iuxta certitudinem, vel probabilitatem, qua alter tale bonum alioqui assecuturus fuisse existimaretur, dummodo tamen eo sit dignus; nam si indignus est, non teneretur ad restitutionem, nisi famæ, si eam fortè læserit. Less. *l.*2.*c.*12. *d.*18. Mol. *t.*1.*d.* 135. Sà. *V. Restitutio, num.* 221. Vid. Bon. *l. c.*

DVBIVM V.

Cui, vel quibus restituendum?

REsp. Attendendum ad naturam iustitiæ, & quis damnum patiatur, quidve ratio, & leges ferant communiter. Vide Less. & Laym. hic. *c.*9. *Vnde resolves.*

1. Quando bona restituenda, sive debita quæcunque, sunt incerta, hoc est, cui debeantur ignoras, aut adire non potes, aut illi restituere, tunc si ea habeas, sine delicto: vt si invenisti, vel à mercatore verbi gratia, per errorem accepisti duas vlnas panni pro vnâ, & iam is discessit, nec scis quó abierit, teneris, adhibere aliquam diligentiam inquirendi: post quam, si spes non sit sciendi dominum, probabile est quod non tenearis ea dare pauperibus, (licèt ita plerique cum Div. Thoma sentiant, & sit magis pium, ac practicè suadendum) sed possis tibi retinere, vt docet Petrus Navarrus, quem sequitur Laym. *hìc.* & Less. *l.* 2. *c.* 14. *dub.* 7. *num.* 48. idque Dian. *p.* 2. *t.* 3. *mics. Res.* 5. dicit esse tutum in praxi. Si verò ea habeas ex delicto, vt furto, vsurâ &c. teneris ea restituere pauperibus, vel Ecclesiæ, hospitali, &c. quia debet tunc fieri restitutio meliori modo, quo potest, vt saltem, cum corpori Domini non prosit, prosit eius animæ, dum in pauperes expenditur. Ita communiter Doctores, vt videbis apud Laym. *hìc.*

2. Qui multis minutis furtis, v.g. olei, panis, vini, &c. damnum intulit multis civibus, eum teneri restituere, non pauperibus, sed ipsis civibus, (minoris deinceps vendendo, aut maiore mensurâ donec veniatur ad æqualitatem) dicit Molin. At Vasq. & Escob. dicunt esse probabile, quòd possit dare pauperibus, præsertim Civitatis eiusdem.

3. Quando bona sunt certa, ordinariè restitui debent possessori iusto, à quo

à quo accepta sunt, vel cui damnum illatum; etsi is non sit immediatus dominus. Vndè quod acceptum est à depositario, commodatario, conductore, custode, administratore, debet, non domino, sed ipsis restitui: quia alioqui ipsis fieret iniuria, si iure possessionis, detentionis, custodiæ, aut vtilitatis spoliarentur, & damnum, atque lucrum cessans compensari deberet.

4. Excipitur tamen hinc. 1. Si horum nihil interesset, vt si sine illorum damno, infamia, domino restitueretur. 2. Si probabiliter ipsi putarentur rem absumpturi, vel ablaturi cum iniuriâ domini: quo modo bona Ecclesiæ, non Prælato dissipatori, sed potius Capitulo restituenda sunt. Item accepta à filio familias, pupillo, furioso, vxore, Religioso, si sint ex ijs bonis, quorum administratio ipsis non competit, plerúmque restituenda sunt patri, tutori, marito, Prælato. Sic etiam si bona alicuius publicata, & fisco addicta sunt; tunc enim, depositum, & similia debita fisco debent reddi.

5. Cùm quis ignorato domino, cui restituendum erat, non præmissâ aliquâ diligentiâ, pauperibus distribuit, non satisfecit domino posteà comparenti; secùs si diligentia sit præmissa. Vide Less. *l.* 2. *c.* 14. *dub.* 3.

6. Cùm dominus quidem scitur, sed ei mitti non potest sine sumptu, tunc si res malè accepta est, tenetur restituens aliquas expensas ex se, facere; si autem benè accepit, nonnisi expensis domini. Quando nullo modo potest mitti, expectandum est ad tempus; & si adhuc non sit spes, reputatur debitum incertum. Tol. *l.* 5. *c.* 24.

7. Cùm quis accepit rem alienam à possessore bonæ fidei, putante rem esse suam, cùm non sit, tunc si quidem intervenerit aliquod iustum pactum, vt depositi, commodati, pignoris &c. illi restituendum est, non domino. Qui tamen ex charitate monendus erit, si id ei profuturum putetur, sine alterius graviore incommodo, infamiâ, &c. Vasq. Azor. *p.* 3. *l.* 4. *c.* 3. *q.* 1. Si autem aliter accepta est, tunc vero suo domino restitui debet, si eum novisti, & absque incommodo fieri possit.

8. Quando à fure, vel alio venditore quis emit, sive malâ, sive bonâ fide rem furtivam, tenetur restituere domino, non furi. Ita communiter Mol. Regin. *tom.* 1. *l.* 10. *cap.* 5. *num.* 40. Totus tamen. *l.* 5. *cap.* 17. Sylv. Ant. Mald. *in* 2. 2. *tit.* 4. *cap* 3. *dub.* 2. probabiliter sentiunt posse reddi furi, vt ab eo pretium suum recuperet: quia non constituit rem peiore loco quàm antè fuerat; & consequenter ipse non infert domino damnum. Quod Nav. Trull. *l.* 7. *cap.* 11. *d.* 4. admittunt cum hac limitatione; si mox, & non post longum tempus contractum rescindat, vel si certò sciat furem redditurum rem domino, vel si dominus rei sit mortuus, aut absit, ita vt inveniri non possit. Quod si pretium suum recuperare non possit à venditore, tenetur reddere domino, & sibi damnum adscribere. Quod si porrò sciens rem esse furtivam, emat eo fine, vt invento vero domino restituat, tunc si emit parvo pretio, tenebitur id ei dominus refundere, cùm vtiliter eius negotium gesserit: secùs autem, si pretium esset ferè æquale rei; tunc enim sufficit refundere ad arbitrium viri prudentis tantùm, quantùm videtur meritus, rem domini vtiliter redimendo. Vid. Less. *l.c.*

l.c. c. 14. *d.* 3. Dian. *p.* 2. *t.* 3. *Res.* 5.

9. Si bona fide rem alienam, v.g. equum emisti ab altero, v.g. Petro, & vendidisti tertio, v.g. Paulo, & posteà cognoscatur esse Ioannis, eoque repetente à Paulo, Paulus repetat pretium à te, existimat quidem probabile Nav. & Dian. *p.* 1. *t.* 8. *Res.* 68. non teneri te Paulo id reddere, (si in nullo factus sis ditior) sed sufficere, si tuam actionem, quam habes in Petrum, ei cedas. Verùm Sotus, Salon, Less. Sayr. Bon. *de rest. q.* 4. *p.* 2. rectiùs docent, teneri te, exigente Paulo, contractum rescindere, & pretium restituere; tum quia vendidisti rem vitiosam: tum quia teneris de evictione emptori, nec eum potes remittere ad illum, cum quo nihil habet negotij. Quod si tamen Paulus cum possit, tibi non restituat equum, sed Ioanni, & hoc ipso impediat, quominùs pretium tuum possis recuperare, nec tu teneris ei pretium ab ipso acceptum restituere. Bon. Less. &c. Vid. Trull. *cap.* 11. *d.* 3.

Quæres. Cui restituendi, sive dandi sint thesauri, & alia inventa, quæ habentur pro derelictis.

Resp. Quando nullius domini sunt, iure naturali, & gentium fiunt primò occupantis. Potest tamen per consuetudinem, & leges aliter quid ordinari, quod servandum est. De quo Vide Less. *l.* 2. *c.* 5. *d.* 10. Laym. *l.* 3. *t.* 1. *c.* 5.

Quæres, 2. An, & cui restituenda, quæ capiuntur venatione iustè prohibita.

Resp. Id æstimandum, partim ex iure naturæ, partim ex consuetudine, & legibus, ac iuribus particularibus, vt vide apud Layman. *loco citato lib.* 3. *t.* 1. *cap.* 5. *nu.* 14. & Less. *cap.* 8. *d.* 9. & Sà, v. *Venatio.* Ex quibus resolvitur hic casus.

Venator iniquus tenetur restituere saltem damna, quæ segetibus, fructibusque infert.

DVBIVM I.

De rebus quæ debent restitui.

ARTICVLVS I.

Quid debeat restitui ab inferente iniuriam materialem tantùm, sive à possessore bonæ fideis?

Resp. Qui bona fide damnum intulit, aut possidet aliquid, de quo posteà meliùs cognoscit, tenetur, ne incipiat esse possessor malæ fidei, & detinere alienum, id tantùm, & non plus restituere, quod ex ea re ipsi superest, vnà cum eius fructibus, si extent, vel quatenùs indè factus est ditior; præterquàm si dominium sibi comparavit per legitimam præscriptionem. Ita communiter Doctores. Mol. Sanch. Less. *lib.* 2. *c.* 6. Bon. *d.* 1. *q.* 1. *p.* 1. Laym. *lib.* 3. *t.* 2. *c.* 3. *Vndè resolves.*

1. Si vestem, v.g. bonâ fide donatam à fure, aut alio, portasti, & ferè attrivisti, ac posteà dominus compareat, teneris eam, aut æqualem ei restituere, & insuper persolvere quantum attrita est, si aliàs vestem æqualis valoris attrivisses: si autem eam amisisti, aut ablata tibi est, &c. ad nihil teneris. Bena. *l. c.* Laym. *nu.* 1. Vid. Trull. *lib.* 7. *c.* 11. *d.* 1. Si autem res, quam à fure bonâ fide accepisti (sive donatione, sive emptione) sit vsu consumptibilis, eamque tuis miscuisti, ita vt discerni nequeat, etsi deindè

Universidad de Deusto Biblioteca

dè deprehendas furtivam fuisse, non teneris restituere. Nav. Sylv. Sayr. Less. Bon. *d. 1. q. 3. p. 1.* quia per istam commixtionem bonâ fide factam, est in te translatum dominium, vt colligitur ex *L. Si alienì nummi, ff. de solut.* Neque est ratio, cur hæc potiùs, quam illa pars censeatur aliena, atque adeò perijt obligatio realis, & tantum manet personalis in venditore. Vid. Dian. *p. 4. t. 4. Resol. 66.* Trull. *l. 7. c. 11. d. 3.* Less. *lib. 2. cap. 20. d. 18.* vbi addit esse valdè probabile, iurique naturæ conformé, quod verus dominus rei illius ablatæ, & permixtæ (quandiu totus cumulus extat) retineat ius in re, vt ex isto cumulo sibi satisfaciat ante alios; imò possit ex eo occultè accipere.

2. Milites bonâ fide militantes, intellectâ posteà belli iniustitiâ, id tantùm restituere debent, quod adhuc habent ex prædâ, & quò facti sunt ditiores. Bon. *loc. cit.*

3. Qui bonâ fide per inculpatam ignorantiam celebravit contractum, quem posteà vsurarium esse cognoscit, non plus tenetur, quàm factus est ditior. Vid. Laym. *lib. 3. t. 2 cap. 3.*

4. Possessorem bonæ fidei, si adhibitâ diligentiâ inclinet in eam partem, quod res non sit sua, teneri aliquid restituere iuxta iuclinationē, docet Con. *d. 34. dub. 10. num. 93.* At Palaus *t. 1. d. 3. par. 2. n. vlt.* putat ad nihil teneri: quia possessio contrarijs rationibus non convincentibus præponderat. Idem docet Vasq. apud Escob. *t. 3. c. 3. n. 154.* Dian. *p. 4. t. 3. Res. 24. & 26.* Si neglexit in vestigare veritatem, & deindè sciri non potest, dicit Palaus *loc. cit.* ad nihil teneri.

5. Si bonâ fide rem vendidisti dono tibi datam, teneris restituere pretiū quia factus es locupletior: & satis debet esse tibi, non habere minùs, quàm antè. Quod si tamen apud alterum res est, is reddere tenetur. *Ibid.* & Vasq. *cap. 9. §. 2.* Mol. Less. *l. 2. c. 14. d. 1.*

6. Si bonâ fide rem ipse emisti, & vendidisti absque lucro, nihil teneris restituere, sed solus is, apud quem res est. Mol, *l. c.* Less. *l. 2. c. 14. d. 1.* contra Vasq. &c.

7. Si rem alienam bonâ fide donasti, non donaturus aliam, si hanc non habuisses, ad nihil teneris: quia non es factus ditior: secùs si aliam donaturus fuisses, (quia tunc parcendo tuæ, factus es ditior) vel si aliquid accepisti in remunerationem. Bona. Trull. *l. 7. cap. 11. d. 1.*

8. Si alienâ re lucratus es tanquam instrumento; v.g. frumentum alienum alió deportatum vendidisti; vel pecuniam alienam negotiationi exposuisti, non teneris illud lucrum restituere; quia non est fructus rei alienæ, sed tuæ meræ industriæ: tales enim fructus dicuntur meræ industriæ: quos ipsa natura ex se nullo modo gignit, sed tantùm concurrit vt instrumentum operantis. Lay. *loc. cit. nu. 3.* ex S. Th. &c.

9. Fructus omnes rei, sive ij sint merè naturales, hoc est, qui vix vllo hominum labore egent, vt fœtus animalium, arborum, herbæ, & gramina, sive sint simul industriales, sive mixti; hoc est, ad quos æquè, aut magis hominum labor cum naturâ concurrit, vt v.g. segetes, & quæ serendo gignuntur; item vinum oleum lana, &c. quó etiam referuntur pretia locationis domorum, iumentorum &c. qui fructus civiles appellantur; hi inquam fructus rei, si percepti,

cepti, & extantes sint, domino restitui debent, deductis tamen expensis propijs, & estimatione laboris. Et quidem pretium locationis ex re alienâ debet domino restitui; licèt is rem, si penès se habuisset, non fuisset locaturus. Vid. Laym. *l. c.* Si tamen fructus isti reales bona fide possessi fuerint tempore à lege præscripto ad vsucapiendum illos (quod, si adsit titulus, est biennium inter præsentes, inter absentes quadriennium; si autem non adsit titulus, anni 30. cum bona fide) non sunt restituendi; quia vsucapio transfert dominium Salon. Trull. *l. 7. c. 11. d. 3.*

10. Si à fure accepisti (sive bona, sive mala fide) rem vsu consumptibilem, v.g. vinum, oleum, triticum, &c. cum propriis ipsius furis rebus permixtum, ita vt discerni non possit; non teneris restituere, si fur ad restituendum sit potens quia fur per commixtionem istius rei cum propriâ acquisivit eius dominium; atque adeó illud tanquam verus eius dominus potuit transferre. Navar. Sanch. Less. Bon. Trull. *l. 7. c. 11. d. 3.* Vid. Dian. *p. 2, tr. 5. m. Res. 40.*

ARTICVLVS II.

Quid debeat restitui ab inferente iniuriam formalem, seu malæ fidei damnificatore, seu possessore?

RESp. Id iuxta supradicta estimandum à quantitate; tum iuris, quod alter habet, tum damni, quod iniustè infertur; cui æquale reddi debet, nisi aliud de damnificati mente, & consensu rationabiliter præsumatur. *Vndè resolves.*

1. Si damnificatus habeat ius in re, in qua damnum est passus, restitutio ei facienda est in solidum; si autem tantùm habeat ius ad rem, restitutio facienda est pro quantitate iuris, consideratis circunstantijs: quia non debetur solidus valor rei, quæ spectatur, cùm tantùm sit in spe, & multis modis possit impediri.

2. Qui in loco publico suæ Civitatis contra iustam prohibitionem pascit, vel ligna cædit, non tenetur ad restitutionem, nisi communicati graviter nocuerit, v.g. stirpes incidendo, arbores ædificijs idoneas sternendo: quia rationabiliter præsumitur mens Reipub. non esse, suis membris vsum publicorum locorum rigidiùs prohibere, quam sub multâ solvendâ, casu quo deprehendantur.

3. Graviùs tamen peccaret, & teneretur ad restitutionem, si quis pasceret in loco alicuius privati: etsi etiam hìc præsumi aliquando possit de consensu domini, qui sæpè non intendit vt fiat restitutio, sed vt deprehensus pœnam luat.

4. Qui venantur, vel piscantur in locis alteri locatis, vel aliàs prohibitis, (saltem si ea conclusa, vel circumsepta non sunt) non peccare mortaliter, nec teneri ad restitutionem, docet Dian. ex Les. Dicastil. &c. *p. 9. t. 9. Res. 39.* contra Bon. &c.

Etsi probabiliùs sit, & in praxi communiter tenendum, peccari mortaliter circa vectigalium fraudationem, ex eaque oriri obligationem restitutionis, non omninó tamen improbabiliter id alij quidam negant, cò quód consue-

tudo interpretetur, non esse mentem legislatorum ad aliud obligare, quam vt deprehensi mulctentur. Vid. Navar. *c.* 23. Sà. *V. Gabella.* Bon. *q.* 9. *p.* 1. *nu.* 5. ex Navar. Filliu. *t.* 28. *nu.* 114. Less. Mol. *d.* 9. Dian. *tr. de leg. Res.* 19. Laym. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 1. *cap.* 3. *nu.* 4. & 5. vid. etiam Dian. *p.* 1. *tract.* 11. *Res.* 38. & *p.* 2. *t.* 17. *Res.* 28. vbi ex Caiet. Med. Soto. &c. docet non esse negandam obsolutionem pœnitenti, qui defraudavit gabellas, seu vectigalia imposita rebus ijs, quæ emũtur non ad negotiationem, sed ad vsus proprios, vel familiæ necessaria, v.g. pani, carnibus, piscibus, frumento, oleo &c.

6. Cæterùm ordinariè iniustus, seu malæ fidei damnificator, aut possessor, tenetur non tantùm restituere rem ablatam, & fructus perceptos (exceptis suis expensis, & industriâ) sed etiam resarcire damnum emergens, & lucrum cessans; cùm vere sit iniusta causa talium damnorum. Vndè si dominus re sua retenta, per culturam, vel negotiationem percepturus fuisset ex agro suo, aut pecunia centum florenos, & alter parum, vel nihil, debet is domino suo satisfacere pro centum illis florenis: quamvis, communiter soleant domini plurimum remittere, si res componatur. Lay. *lib.* 3. *tr.* 2. *c.* 4. *nu.* 7.

7. Si res aliena, dum iniustè detinetur, crescat, aut pretium eius augeatur, domino crescit, ac proindè id ei præstari debet. Vid. Laym. *hic. l.* 3. *t.* 2. *c.* 4.

8. Si res aliena, dum iniustè detinetur, pereat, aut deterior fiat; idque casu, vel iusta hostium incursione, vel naturaliter, & certum sit apud Dominum æquè perituram fuisse, non tenetur alter restituere: quia nihil novi detrimenti domino apud furem, v.g. accidit, quod non apud ipsum. Si verò non fuisset peritura apud dominum, vel saltem nonnisi per iniuriam, tunc iniustus detentor adhuc tenetur ad restitutionem, licèt sine sua culpa res perierit. Laym. *tr.* 2. *cap.* 4. *num.* 2.

9. Si res aliena apud iniquum detentorem pereat, idque ipsius culpâ, aut quia is absumpsit, alteri donavit, destruxit, &c. tunc etiamsi domino relicta fuisset certò peritura, nihilominùs tenetur pro ea domino satisfacere, vt est communis apud Layman. *loc. cit.* Less. &c.

10. Qui fingens se pauperem, vel alium quàm est, extorsit eleemosynam, non tenetur restituere, si parva fuit, qualis ostiatim mendicantibus datur, secus si fuit magna, tunc enim, quia subintelligitur conditio hæc *si pauper es*, tenetur restituere secundùm Mol. danti; secundùm Palaum, vel danti, vel alijs pauperibus. Vid. Escob. *t.* 3. *Ex.* 2. *cap.* 6. *num.* 109.

11. Qui in extrema necessitate consumpsit, quod antè acceperat commodatum, conductum, vel precarium, non tenetur restituere: quia nec ratione rei acceptæ, cùm ea nec in se, nec in pretio exter; nec ratione acceptionis, cum iure eam consumpserit; nec ratione contractûs, cùm hic non obliget, nisi re pereunte tuâ culpâ. Less. Hurt. Trull. Dian. *p.* 5. *t.* 8. *Res.* 10. Imò probabiliter ne quidem id quod ante illam necessitatem erat furatus, & in eâ consumpsit, quia furtum illi non ademit ius, quod ad rem tali casu habebat. Con. Pal. Hurt. Dian. *l. c. Res.* 8. contra Less. & Vasq. sicut neque si in ipsa necessitate accepisset, & consumpsisset. Dian. *l. c. Res.* 9. ex Azor. & 6. alijs contra Less.

ARTICVLVS III.

An, & quid debeat restitui pro iniura illata corpori, verbi gratia, per mutilationem, occisionem, &c.

RESP. Iniustus occisor, mutilator &c. in conscientia tenetur tantùm restituere pro damnis bonorum fortunæ, quæ ex tali occisione, vulnere, &c. directè ab eo causata sunt, iuxta prudentis arbitrium: præcisè autem pro vita, membro, vel cicatrice, nihil tenetur restituere secundùm rigorem, cùm sint bona altioris ordinis, quæ pecunia æstimari non possunt. Ita contra Sotum. Sylv. &c. probat Less. *l.* 2. *c.* 9. *d.* 23. Vid. Layman. *l.* 3. *t.* 3. *Vnde resolves.*

1. Qui occidit ebrius alium, si ebrietas non fuit culpabilis, & voluntaria, vel licèt fuerit talis, si tamen homicidium vel non prævidit, vel diligentiam debitam adhibuit ad cavendum, non tenetur ad restitutionem; tenetur autem si previdit, & non cavit. Bon. *d.* 2. *q. vlt. f.* 2. *p.* 1.

2. Qui occidit Caium putans esse Titium, tenetur ad restitutionem; quia actiò ista est Caio iniuriosa. Bon. *l. c.* ex commun.

3. Si læsus, ante mortem omnia remissit, ad nihil tenetur occisor: quia filijs non fit iniuria in bonis, nisi quatenùs læduntur in patre contra eius voluntatem (volenti enim non fit iniuria) ergo sicut per eum ius acquirunt, sic etiam amittunt: etsi non rectè faciat parens, si filij valdè egeant. Less. *l.* 2. *c.* 9. *d.* 26.

4. Etsi præcisè pro vita; membro occisione &c. non sit obligatio restituendi: per sententiam tamen Iudicis cogitur iniurians satisfacere pro iniuria.

5. Consilium est, vt Confessarius pro his iniungat eleemosynas, Missas &c. pro salute occisi.

6. Si occisus, vel mutilatus fuerit servus, vel animal, tunc etiam pro vita, & membris facienda est restitutio: quia horum vita pretio æstimatur; ac proindè tantùm debet restitui, quanti potuisset vendi, & pro mutilatione, vel cicatrice, quantò pluris venderetur.

7. Pro expensis funeris nihil restituitur: quia illæ aliquando faciendæ tandem fuissent. Nisi fortè occasione illatæ necis, v.g. extra patriam, maiores fieri oportuerit.

8. Restitui debent impensæ factæ in curationem, & medicamenta vulnerati, vel occisi. Filliuc. *t.* 32. *c.* 8. *numer.* 202.

9. Item lucra, quæ ex mutilatione, vel vulneratione cessarunt; non quidem tam insolidum, acsi de facto essent acquisita, sed pro maiore, aut minore spe, quàm læsus habuit illa acquirendi. Vid. Trull. *l.* 7. *c.* 8. *d.* 3.

10. Si homicida à Magistratu plectatur, veriùs est adhuc teneri ad damna resarcienda; cùm morte sua tantùm satisfaciat iustitiæ publicæ, non hæredibus occisi. Qui tamen, cùm plerumque aliud non exigant, videntur esse con-

Universidad de Deusto Biblioteca

contenti, ac proindé hæredes homicidæ ad nihil tunc teneri. Fill. *l. c. n.* 214.

11. Debet autem restitutio fieri tantùm parentibus interfecti, filijs, & vxori; quia hi soli directè læduntur, cùm moraliter censeantur vna persona cùm occiso. Nisi tamen occideris animo etiam nocendi alijs, nam tunc etiam his restituere teneri dicit C. Lugo *de iust. d.* 11. *numer.* 8. ex Less. Trull. *loc. cit. d.* 4.

12. Etsi probabile sit, deberi etiam restitutionem creditoribus occisi, si quod damnum illis ex ea cæde obvenit: contrarium tamen etiam probabile est (saltem secundùm limitationem casûs præcedentis,) cùm occisio illa non sit directé causativa illius damni. Vid. Lay. *l. c. num.* 4.

13. Non tenetur occisor aliquid eis restituere, quos occisus alebat ex liberalitate; quia damnum illorum per accidens sequitur. Vid. Less. *l.* 2. *c.* 9. *d.* 26. Trull. *l. c.*

14. Nec tenetur ad damna, quæ v.g. provenirent ex morte alicuius innocentis, qui per errorem putaretur homicidium fecisse, & sic captus plecteretur: quia huius mors non directè causaretur ab ipso, sed per accidens, & ex errore, vel malitiâ accusatorum. Vid. Bon. *d.* 2. *q. vlt. s.* 2. *p.* 2.

ARTICVLVS IV.

Quid debeat restitui pro illato stupro?

REsp. Qui virginem per iniuriam defloravit, tenetur tantùm rependere damnum, quod ei ex tali iniuriâ est secutum; idque vel matrimonio, vel damni æstimatione, ad arbitrium prudentis, vt talem nimirùm inveniat, qualem manens virgo invenisset. Vid. Sanc. *l.* 7. *d.* 14. Fill. *t.* 32. *c.* 8. *nu.* 209. *Vndè resolves.*

1. Præcisè pro solâ virginitate non obligat restitutio. Vndé si stuprum mãsit clàm, aut non impedivit quin æqué lauté nuberet, ad nihil tenetur stuprator Less. Bon. *q.* 4. *de matr. part.* 7.

2. Item ad nihil tenetur, si defloravit consentientem, absque vi, fraude, vel promissione matrimonij, quia non est facta iniuria. *Ibid.* & Trull. *d.* 2.

3. Si virginem importunis precibus flexit, nihil tenetur restituere; quia adhuc consensit liberè. Nisi fortè preces tales fuerint, vt cum vi, & coactione æquiparentur: vt si coniunctæ fuerint cum minis, vel metu reverentiali, v.g. si fuit illius dominus, vel vir magnæ authoritatis. Trull. *c.* 9. *d.* 3.

4. Si per promissionem veram, vel fictam matrimonij eam flexit, tunc tenetur ducere eam: quia in omni contractu, vbi alter ex parte sua acceptavit, & implevit, tenetur, & alter implere, etiamsi fictè contraxerit; quia tenebatur ex iustitiâ verè contrahere, cùm alioqui omnia humana commercia fraudibus patèrent. Et id quidem verum est, etiamsi stuprator religionem vovisset. Less. *l.* 2. *c.* 10. *d.* 3. & 4. Trull. *d.* 3.

5. Non tamen tenetur fictus promissor eam ducere casu quo. 1. Is puellam valdè notabiliter conditione excederet, vel verbis vsus esset fictionem facilé indicantibus. 2. Si ipsa conscia esset prædicti voti; quia tunc ipsa contraxisset malâ fide. 3. Si ipse putavit esse virginem, cùm tamen non esset. 4. Si ex matrimonio grave damnum, aut scandalum timeretur.

5. Si

5. Si ipse iam sacris initiatus esset, aut alteri matrimonio copulatus: tunc enim his casibus solùm teneretur curare, vt æqué commode nubat, modo antè dicto, dando scilicet dotem; vel aliter. Vid. Sanch. 1. *de matr. d.* 10. *l.* 1. Trull. *l.* 7. *c.* 9. *d.* 3.

ARTICVLVS V.

Quid debeat restitui pro adulterio?

REsp. Cùm ex adulterio damnificari possint coniux alter, & proles legitima, circà sustentationem, hæreditatem, &c. patet quod vterque adulterans, natâ eis prole, debeant, cùm id damnum causent, eatenùs restituere, quatenùs possùnt sine detrimento altioris boni, & causatione maioris mali. Est communis. Vid. Lay. *l.* 3. *t.* 3 *p.* 1. *c.* 14. *Vndè resolves.*

1. Quod attinet ad ipsam adulteram, ordinariè non tenetur prodere, quod proles eius spuria sit: nam & viro suo tristitiam, & sui odium, & discordias domesticas crearet, ac famam suam prodigeret, quibus damna fortunæ meritó cedunt. Accedit, quod proles matri non teneatur credere se esse illegitimam. Fill. *tr.* 32. *q.* 222.

2. Debet tamen si potest, alijs industrijs damnum compensare, v.g. 1. Diligentiùs administrando rem familiarem. 2. De cultu corporis detrahendo. 3. Si habet bona propria, plus legitimis, quàm spurio relinquendo. 4. Eum inducendo, vt relictâ hæreditate, vel eius parte, amplectatur statum Ecclesiasticum, vel Religiosum, si idoneus sit, &c. Trull. *loc. cit. d.* 4.

3. Quod attinet ad ipsum adulterum spurij patrem, etiam ipse sæpè excusatur, vel in toto, vel ex parte; sive quia damnum ab adulterâ compensatum fuit, vel compensandum creditur; sive quia restitutio non potest fieri sine periculo vitæ, dispendio famæ turbatione, & discordijs familiarum; sive quia non est certus filium esse suum. Vid. Less. *l.* 2. *c.* 10. *d.* 6. Bon. *de matr. q.* 4. *p.* 15. Trul. *l.* 7. *c.* 8. *d.* 7.

ARTICVLVS VI.

Quid debeat pro fama, & bonis spiritualibus, vt inductione ad peccatum, avocatione à Religione?

REsp. 1. Iuxta dicta, si restitui non possunt bona ablata ex bonis eiusdem ordinis, non est obligatio faciendi ex bonis diversi ordinis. *Vndè resolves;*

1. Pro famâ restituenda est fama: cùm id non potes, non teneris ad pecuniam, & bona fortunæ, nisi per sententiam à Iudice cogaris sic satisfacere. Eadem est ratio de reliquis. Quód si tamen lædendo famam, in bonis etiam fortunæ alteri damnum allatum esset, constat ex suprá dictis quid faciendum sit. Porrò de læsione famæ, &c. Vid. infrâ.

2. Si quis alterum induxit ad peccatum suasione, vel exemplo suo, tenetur quidem ex charitate, quoad potest, eum revocare ad meliorem statum, sed non ex iustitiâ. Less. *l.* 2. *c.* 8. *d.* 2. *nu.* 20. Lay. *c.* 8. *nu.* 1.

3. Si quis autem induxit fraude, dolo, iniusto metu, &c. tenetur ad id

ex iustitiâ; quia quisque habet ius, ne iniustè lædatur in bonis spiritualibus. Vndè si lædatur, debet id spirituale restitui si potest. *Ibid.*

4. Si quis aliquem (etiam Novitium) abduxit ab ingressu Religionis, tamen sine vi, & fraude, etsi graviter peccarit id irrationabiliter faciendo, ac proindè teneatur ei rursus suadere ingressum, ex charitate; non tamen ex iustitiâ, vel, illi, vel Religioni tenetur, quę nullum adhuc in eum ius acquisivit. Vid. Lay. *l.3. t.2. c.8.*

5. Si quis Religiosum ad apostasiam induxerit suasione, aliâve cooperatione, obligatur ex iustitiâ Religioni ad restitutionem, non quidem vt ipse (quod aliqui volunt) loco alterius ingrediatur; sed vt suadeat alteri, quoad potest reditum, & compenset monasterio commoda, quæ ex hæreditate, bonis, vel industriâ alterius expectabantur.

6. Si quis veneno, philtro, aliove modo alicui destruxit memoriam, rationem, &c. tenetur eodem modo quo mutilator, aut vulnerans (de quo suprà) ad restitutionem lucri cessantis, & damni indè secuti in bonis fortunæ.

DVBIVM VII.

De circunstantijs Restitutionis.

ARTICVLVS I.

Quo tempore, loco, & modo debeat restitui?

RESP. Debet quamprimùm, & eo modo, ac loco restitui, quo ius, & interesse damnificati requirit, & commodé, ac moraliter fieri potest sine gravi incommodo, quod quis pateretur in re suâ propriâ vltra debitum. Vid. Lay. *hic l.3. tr.2. c.10.* Fill. *t.32.c.4. q.11. Vndè resolves.*

1. Qui non potest commodè restituere apertè, faciat clàm, & qui non potest per se, faciat per aliam personam interpositam, v.g. Confessarium.

2. Possessor malæ fidei, v.g. fur, debet suis sumptibus ad eum locum rem deferre, vbi alter habiturus fuisset, si non fuisset ablata, destructa, vel iniquè detenta: deductis tamen expensis, quas alter eam servando, vel deferendo debuisset facere. Excipe, nisi transferendo deberet plus impendere, quàm res valet; tunc enim plerumque ex præsumptâ mente domini posset restituere pauperibus, vel in vsus pios. Bon. *q.6. p.1.*

3. Bonæ fidei possessor satisfaciet, si restituat in loco vbi rem possidet.

4. Debita ex contractu, eo loco, & tempore solvi debent, de quo inter partes conventum fuit expressè, vel tacitè. Vid. Less. & Bon. *l.c.*

5. Si quis possit quamprimùm restituere totum, ad id tenetur. Si tamen alter dilatione non pateretur vlterius damnum, aut non notabile, non facilè arguendus esset gravis peccati is, qui cum proposito satisfaciendi differret, aut paulatim per partes solveret. Vid. Bon. *de contr. d.1. q.6. p.1.*

6. Qui scit se teneri ad restitutionem, & cùm possit in vita, non vult restituere nisi in articulo mortis, vel post mortem per hæredes, absolvi non debet, nec potest: quia semper est in actuali peccato, & impœnitens. Salaz. Sayr. Bon. Trul. *c.14. d.11.*

ARTI-

ARTICVLVS II.

Quo ordine restitui debeat?

RESP. Certum est, non necessariò ordinem servari, quando debitor omnibus solvere potest: quando verò tantum non habet, aut hæredibus reliquit, sequentes Regulæ servandæ.

1. Si debitor rem alterius apud se habet, quocumque titulo habeat, sive ex furto, sive ex deposito, sive inventione, &c. debet priùs restitui domino suo, vel eo deficiente, pauperibus. Similiter si res empta ad creditum, pretio non soluto, adhuc extet. Nav. Sylv. Bonac. *q.3. p.2.* Hoc tamen Less. *c.15. d.2.* contra Bon. &c. limitat, nisi venditor ab emptore fideiussorem, vel pignus accepisset.

2. Si restitutio facienda sit ratione iniustæ acceptionis, priùs restitui debent certa, hoc est, quorum domini cognoscuntur, quàm incerta. Bon. Less. *d.1.* quia illa iure naturæ debentur suis dominis, hæc autem iure solo positivo pauperibus.

3. Priùs facienda est restitutio debitorum licitè contractorum, quàm vsurarum; cùm in his dominus non fuerit simpliciter invitus.

4. Debita ex titulo oneroso priùs solvenda sunt, quàm quæ debentur gratuitò, v.g. ex promissione; quia hæ includunt tacitam conditionem, *nisi quid obstet.* Hinc debita defuncti solvenda sunt ante omnia legata, etiam pia. Nav. Sylv. Bon. *q.8. p.2.*

5. In reliquis debitis servandum est ius particulare loci, si tale sit, & non repugnet iuri naturæ. Si nullum sit, sequendum est ius commune, secundùm quod. 1. Solvenda sunt debita, ad quæ bona debitorum expressè fuerunt obligata. 2. Dos vxoris extrahenda est. 3. Debita, ad quæ bona debitorum sunt tacitè hypothecata. 4. Deposita perdita in potestate debitorum. 5. Debita privilegiatorum. 6. Aliorum creditorum: post quos omnes, sunt hi, à quibus vsuræ acceptæ sunt; & adhuc post hos restituenda sunt bona incerta. Quando autem multi vnius rationis creditores inveniuntur, temporis antiquitas inter eos servanda est. Vid. Laym. *l.3. tr.2. c.11.* Vbi addit ex bonis debitoris, si is defunctus sit, in primis solvendas esse impensas funeris, & quę ad confectionem inventarij, apertionem testamenti; item ad Medicos, & Pharmacopolas pertinent. Vid. Fil. *c.4. q.13.*

Quæres. Vtrùm priùs exigenti non liceat priùs solvere?

Resp. 1. Solvens scienter posteriori præterito qui habet hypothecam priorem, vel privilegiatam, peccat, teneturque priori de damno, qui etiam potest recuperare solutum. Less. *d.5. ex l. Scimus §. Etsi prætereà, C. de iure delib.*

2. Si ex pluribus creditoribus personalibus æqualibus aliquis exigat (sive in iudicio, sive extrà) tenetur ei integrum solvere; quia diligentia fecit eum potiorem. Nav. Sylv. Bon. *l.c. ex L. pupil. ff. quæ in fraudem.*

3. Debitor sciens statum suum labentem, non nihil potest petenti integrè satisfacere, sed debet omnibus personalibus solvere pro rata (si tamen iste solutionem accepisset, an posset retinere controvertitur. Vid. Less. *l. c.* Trul. *l.7. c.14. d.22.*) nec potest vni solvere,

Universidad de Deusto Biblioteca

vere, omissis alijs, nisi secundùm ordinem supradictum.

ARTICVLVS III.

Quæ à Restitutione excusent?

RESp. 1. Ex parte debitoris excusant ea, quæ faciunt, vt creditor rationabiliter debeat esse contentus; Etsi de facto non sit contentus. Ita commun. Doct. *Vndè resolvuntur casus sequentes.*

1. Excusaris in foro conscientiæ (iuxta sententiam probabilem) à compensatione damni, si illud datum sit sine tuâ culpâ Theologicâ gravi, hoc est, mortali peccato, nisi aliud cum altero pactus sis, vel inde sis factus ditior. Vndè excusaris, si v.g. aliquem occidisti ex subitâ irâ, vt fuerit motus tantùm primò primus, vel secundò primus: vel si ex oblivione non extinxeris candelam & hinc ortum sit incendium, &c. Quod si advertens periculum in actionibus periculosis, omittas eam diligentiam præcavendi, quam homines eiusdem conditionis communiter præstare solent, graviter peccas, & teneris restituere damna secuta. Porrò in foro externo proceditur secundùm culpam iuridicam, quæ sæpé non est peccatum, & dividitur in latam, levem, & levissimam.

2. Excusaris à restitutione incertorum, si fecisti compensationem cùm Episcopo, vel Papâ. Less. *c.*10 *d.*11. Bon. *q. vlt. p.* 2.

3. Item si in casu quo teneris rem restituere pauperibus, tibi ipsi re verâ indigenti eam des: & tunc quidem posteà factus ditior, adhuc non teneris restituere. Vid. Laym. *l.* 3. *t.* 2. *c.* 12.

4. Si non possis restituere, nisi cum notabiliter graviore damno, tibi, vel tuis, vel Reipub. inferendo; quàm æstimari debeat commodum ex restitutione creditori obventurum: tunc differre potes, dum cesset ista impotentia, Layman *l.c.* ex Sylv. Nav. Idque verum est, etsi debitum sit ex delicto, vtì & in sequentibus casibus.

5. Si ad restituendum sis impotens; vt si vivere non possis secundùm decentiam tui status, iustè à te acquisiti. Vndè si Nobilis v.g. non potest statim solvere, nisi se privet famulis, equis, armis, &c. vel civis primarius, nisi obeat artem mechanicam sibi insuetam: vel mechanicus, nisi vendat instrumenta suæ, quibus vivit, aut magnum damnum subeat, potest differre, & paulatim restituere sine iactura sui status Layman. *l. c.* Bon.

6. Quod si tamen tuâ culpâ in illas angustias de lapsus sis, v.g. luxuriâ, ludis, superfluis expensis vestium, tibi imputare debes, quod iam sine statûs tui amissione non possis, satisfacere. *Ibid.*

7. Quod si item creditor ex dilatione æquale damnum subire debeat, tu potiùs quàm is sustinere debes; cùm eius conditio sit mellor. Excipitur extrema necessitas, in qua quoad vsum, sunt omnia communia. *Ibid.*

8. Quod si item damnum quod timetur ex restitutione, non esset propriorum bonorum, sed in hoc precisè tantùm, quod spoiet se rebus debitis; non potest ideó differre restitutionem: quia hoc non est pati in suis rebus; neque suum statum amittere, sed est dimittere alienum, & reverti ad statum proprium. Sayr. Bon.

9. Item

9. Item excusaris à restitutione, si fieri nequit absque periculo, salutis animæ tuæ, vel tuorum; vt v.g. si non possis absque peccato; vt si sit periculum, ne vxor, aut filiæ se prostituant, ne filij sedent latrocinijs, ne ipse per impatientiam incidas in desperationem. Bonac. ex Less. Mol. Filliuc.

10. Item, si non possis restituere absque periculo vitæ, vel notabili detrimento famæ; cùm aliàs plus damni sustineres, quàm intulisti. Bon. *d.* 1. *q. vlt. p.* 1.

11. Item, si cedas bonis; quia leges concesserunt, vt qui contraxit multa debita, nec habet vndè solvat, possit cedere bonis, ea relinquendo in manibus creditorum, & tunc maneat liber, ita vt etiam in conscientia sit tutus, retentis instrumentis, artis, & quæ ad sustentationem sunt necessaria. Quod si tamen posteà redeat ad pinguiorem fortunam, tenetur adhuc restituere, *ex L. Cum, & filij famil. qui bon.* Nav. Bonac. Less. Ex quo Trull. *lib.* 7. *cap.* 15. *d.* 5. sic limitat: si acquirat plus quàm ad decentiam status est necessarium, ex dicta *L. Qui bon.* Nisi tamen debita proveniant ex delicto, v.g. furto; eo enim casu tantùm posse retinere, quæ simpliciter necessaria sunt ad victum, docet Navar. Salon. Less. *l. c.* etsi hic concedat ea quæ post cessionem iustè acquiruntur licitè retineri, si ad statum sint necessaria. Vid. Tol. Laym. *l.* 3. *t.* 2. *c.* 12. Less. *l.* 2. *c.* 16. *d.* 3. Bon. Trull. *l. c.* Porrò etsi cessionem dictam non habere locum in bonis ex delicto provenientibus communiter teneant DD. cum Laym. *l. c.*; contrarium tamen ex Less. Dian. &c. docet Trull. *loc. cit.* Denique etsi debitor principalis cesserit non ideò liberantur fideiussores, Lugo, Dian. *p.* 7. *t.* 8. *Res.* 18. & alij.

Resp. 2. Ex parte creditoris excusat. 1. Si is cui debet restitui, semel remiserit, expressè, vel tacitè, v.g. si laceravit tutum chirographum, vel tibi reddiderit. Remissio autem hæc debet esse libera, non metu, fraude, vel mendacio extorta. Fill. *tract.* 32. *c.* 5. *q.* 9. Less. *l.* 2. *c.* 16. *d.* 2. 2. Excusat in foro conscientiæ, si solvisti ei, cui debebat tuus creditor. Less. *d.* 5. Bon. *p.* 3. 3. Si compensatio facta est creditori per commodum æquivalens, v.g. per procurationem officij non gratis factam. 4. Omitti, aut saltem differri potest restitutio, imó aliquando debet, si creditor sit abusurus, v.g. si quis pecunias tibi mutuó datas, repetat ad fornicandum, vel aliter peccandum. Item si eas repetat ad peccandum contra iustitiam, sive inferendum damnum iniustum tertiæ personæ; nisi tamen ex negatione restitutionis timeretur maius malum.

CAPVT III.

De Contractibus.

DVBIVM I.

Quid in genere sit Contractus?

RESp. Est pactum, sive consensus duorum, quo scienter, liberé, & legitimè, vterque se vicissim, vel minimùm saltem vna pars, se alteri acceptanti obligat, quocunque signo externo id fiat: vt v.g. in contractu mutui, ex vna parte mutans se obligat non repetere mutuum ante certum tempus; ex alterâ

parte

Universidad de Deusto Biblioteca

parte mutuatarius se obligat tunc illud reddere, & sic de alijs. In promissione autem vel donatione absolutâ, vna pars tantùm obligatur post alterius acceptationem. *Vndè resolvuntur casus sequentes.*

1. Si alteri promisisti, aut donasti interiùs tantum, aut si externo signo quidem, alter autem non acceptavit, non fuit contractus, nec obligaris.

2. Invalidus est contractus, si contrahentes sint inhabiles ad contrahendum, vel si ius positivum resistat. Vid. Less. *l.* 2. *c.* 37. *d.* 8.

3. Item si materia contractus sit illicita, vt si sit peccatum; vel illegitima, vt si fur vendat rem alienam.

4. Item si contractus sit factus vi, dolo, vel errore versante circa rei substantiam; v.g. acetum pro vino, vitrum pro gemmâ vendidisti.

5. Non est invalidus contractus, (etsi aliquando ob iniuriam possit rescindi) si error, vel dolus interveniat circa qualitatem, aut circunstantiam accidentalem; v.g. emisti vinum Mosellanum, putans esse Rhenanum, nisi fortè intentio contrahentis fuerit conditionata, non obligandi se, nisi existente tali qualitate, aut circunstantiâ. Qualis virtualiter fuisse censeri potest, si error versetur circa circunstantiam valdè immutantem obiectum, & nimis excedentem eius existimationem, vt notat Laym. *lib.* 3. *t.* 4. *cap.* 6.

6. Nec est invalidus contractus, sive onerosus, sive gratuitus, ex metu licèt gravi, iniustè incusso, cùm adhuc simpliciter sit liber, & voluntarius; licet possit à Iudice rescindi pro arbitrio, metum passi. Ita communiter apud Sanch. *d.* 8. *num.* 4. Card. Lugo *d.* 22. Laym. *l. c. cap.* 5. Excipiuntur tamen aliqui contractus, qui ipso facto sunt irriti (saltem ex iure positivo) si ex metu gravi fiant; talis est. 1. Contractus matrimonij etiamsi iuramentum accesserit. *Ex cap. Cùm loco, & cap. Veniens.* 2. Professio religiosa *ex cap.* 1. *De his.* 3. In alijs quibuscumque votis. 4. Contractus dotis promissę, vel solutæ, qui in hoc sequitur naturam matrimonij, cui accessorius est. *Leg. Si mulier,* §. *Si dos. ff. Quòd metus causa.* 5. Promissio, vel traditio in rebus Ecclesiæ. *cap.* 15. *q.* 6. 6. Authoritas tutoris per metum extorta. *Leg.* 1. §. *vlt. ff. de auctor. tutor.* His addunt alij plures; vt promissionem, & donationem gratuitam, renunciationem beneficij, iurisdictionem per metum extortam. Verùm hi controvertuntur, vt Vid. C. Lugo *de iust. d.* 22. *nu.* 115. *& sequent.*

7. Non possunt contrahere, qui bonorum suorum administrationem non habent; quales ferè sunt prodigi, furiosi, filij familias, vxores, Religiosi, pupilli, Minores: exceptis quibusdam casibus, de quibus Vid. Less. *l.* 2. *c.* 17. *d.* 4. & infrà *hîc c.* 4. *dub.* 1.

DVBIVM II.

Quid in specie de Promissione, & Donatione.

RESp. Quæ huc spectant, facilè colliguntur ex dictis suprà de Voto *lib.* 3. *tr.* 2. *c.* 3. *Ex quibus, & doctrina præcedentis dubii resolvitur.*

1. Promissio acceptata à promissario, si materia sit notabilis, an sub mortali obliget secundùm se spectata, non convenit inter Doctores: Caiet. negat, quem

quem sequitur Mærat *tom.* 2. *de iust. d.* 19. *s.* 10. Alij (forte probabiliùs) affirmant cum Vasq. 1. *p. d.* 85. *c.* 7. *num.* 4. Fill. Mald. &c. Dixi *secundùm se*, quia certum est, quod per accidens possit obligare sub mortali, v.g. ratione gravis damni, quod aliàs promissarius pateretur: vt si promisisses ei dare mutuum, & ille tibi confisus, aliundè sibi non prospexisset. Vid. Less. *l.* 2. *cap.* 18. *d.* 5.

2. Tota hæc obligatio communiter dependet ab intentione promittentis. Circa quod notat Sà, vix quemquam promittentium intendere se obligare, aut alteri dare ius exigendi, nisi addat iuramentum, aut faciat instrumentum, sed plerumque tantùm intendere declarare suum propositũ, Vid. Escob. *t.* 3. *Ex.* 5. *c.* 6. & Mol. Hinc vt in foro externo censeatur valida promissio, requiritur præter acceptationem, vt exprimatur causa propter quam promittitur; alioqui præsumitur errore, vel ioco facta. Trull. *l.* 7. *c.* 16. *d.* 6. ex Covar. & Villal.

3. Donare non possunt. 1. Carentes vsu rationis. 2. Muti, & surdi nati, secùs si tantùm sint surdi, vel muti; vel licèt vtrumque, si norint scribere. 3. Senes deliri, sive bis pueri: secùs si sint iudicio vegeto. 4. Pupilli vel impuberes; (nisi ad pias causas) donationes tamen eorum in foro conscientiæ sunt validæ. Vid. infrà *c.* 4. *d.* 1. 5. Damnatus criminis capitalis. Vid. Dian. *p.* 8. *tr.* 6. *Res.* 3.

4. Qui præsunt Civitatibus, Vniversitatibus, Rebuspub. &c. non possunt facere donationes, nisi remuneratorias, vel in eleemosynas. Sanch. Dian. *p.* 8. *t.* 6. *Res.* 16. Imò si Reges, & Principes nimis sint profusi in donationibus, in præiudicium Regni, vel statûs, (præsertim si debitis gravati, ijs satisfacere non possint, vel subditi nimiùm graventur exactionibus) possunt eæ revocari à successore. Bart. Lugo, &c. cum Dian. *p.* 8. *t.* 6. *Res.* 18. & 123.

5. Donatio patris filio facta studiorum causâ, est valida, neque filius tenetur computare in legitimam: tum quia fuit loco alimentorum: tum quia si detrahatur, iam non fuit donatio contra hypothesin. Vvading. & 6. alij cum Dian. *p.* 8. *t.* 6. *Res.* 23. & 92. Sed. Trull. limitat, nisi constet contrariam intentionem patris fuisse. Quod si tamen de eâ non constet, præsumendum esse de pietate patris, ideóque tales expensas ordinariè post mortem patris non venire in collationem bonorum, nec debere conferri in commune, nisi pater protestatus fuerit se velle in legitimam computari. Ita etiam Vvading. *ex leg. Si pater.* 2. *ff. familia ercisc.*

6. Si pater officium filio emit, debet pretium computari in divisione cum fratribus; non autem si illud gratis à Principe obtinuit; vtì neque quæ filio intuitu meritorum patris sunt donata; quia sunt quasi castrensia. Mol. Fagundez, Dian. *p.* 8. *tr.* 6. *Res.* 127. & 128.

7. Donatio ante acceptationem, non parit obligationem, ne quidem naturalem, potestque revocari etiamsi, voluerit se absolutè obligare: præsenti autem, & tacenti facta, censetur ab eo acceptata; quia in favorabilibus habetur pro consensu Mol. & alij 18. Dian. *par.* 8. *t.* 6. *Res.* 89. 98. & 108. pro altero verò nemo potest acceptare, sine speciali commissione, nisi donatio fiat Ecclesiæ, vel causæ pie (nam hanc sine acceptatio-

tione valere, & irrevocabilem esse, est probabile.) Laym. Dian. *l.c. Res.* 100. *& p.3. t.5. Res.*107. Multis tamen casibus, dummodo verba dirigantur in præsentem. Potest pater, vel mater pro filio, etiam emancipato, tutor pro pupillo, curator pro minore, filios familias pro patre, servus pro Domino, Monachus pro Monasterio; imò etiam secundùm multos, quicunque alterius curam gerit, vt Prælatus pro Religioso maritus pro vxore, Dominus pro servo, &c. stipulari. Denique idem iura permittunt Iudicibus, & Notarijs publicis. Sanch. Mol. Trul. &c. Dian. *par.*8. *tr.6. Res.* 97.

8. Etsi acceptes donationem verbalem, qua tibi Caius, v.g. dat equum absentem, non acquiris ius in re, & dominium equi ante traditionem. Vndè si intereà Caius det, aut vendat eum alteri, eique tradat, is dominium acquirit; tu autem habes actionem in Caium pro iniuriâ ratione iuris, quod habebas ad rem. Ac sic donatio purè verbalis ante realem, hoc est rei traditionem, vix differt à promissione, vt Less. *l. c. dub.*2.

9. Donatio, vtì & remissio debitorum liquidorum, vnâ vice, & vno animi motu, vni, aut pluribus facta vltra summam 500. solidorum; (quæ summa hodiè ad 590. vel secundùm quosdam ad 800. aureos Italicos excurrit, vt ex Claro, &c. notat Laym. *l.3. t.4. cap.*12. *num.*15.) non tenet quoad hunc excessum; sed lege ita statuente, ob commune bonum potest à donatore pro arbitrio repeti. Excipe, nisi Iudici donatio ea insinuata sit, aut iuramento firmata, aut facta ad pias causas, aut ad redemptionem captivorum, aut ad reparationem ædium, incendio, vel ruinâ destructarum, aut sit remuneratoria beneficiorum, aut fiat in renunciationem iurium, saltem speratorum, vel denique fiat militibus à *belli* Duce, ex bonis proprijs mobilibus, vel hostium spolijs. Vide Less. *loc.cit.lib.*2. *cap.*18. *num.*102. Laym. *lib.3. t.4. cap.*12. *num.*15. Tanner. *d.6. de iust. q.2. dub.2. nu.*15. ex Mol. Claro, Rebello, &c. Quare si tunc repetatur, quod absque ijs conditionibus, vel vltra dictam summam datum est, tenetur donatarius reddere ipsi, aut hæredibus repetentibus: si non repetatur, potest retinere. *Vidè Auth.cit.*

10. Si donationi apponatur modus, tacitè, vel expressè, non quidem obligando, sed tantùm desiderando, sperando, &c. aliquid alterum facturum, vel animo eum ad hoc inflectendi, valet donatio, etsi finis non sequatur: v.g. dat aliquis puellæ ad eius consensum eliciendum; si posteà non consentiat, non tenetur datum reddere: nam etsi non dedisset, si scivisset eam sibi non consensuram, tamen dedit absolutè, sine obligatione aliâ, vt ponitur. Secùs esset, si verè intendisset eam obligare, & hac conditione dedisset. Less. *c.* 18. *d.* 16. *&* 17.

11. In similibus donationibus allectivis, potest aliquis, v.g. prædicta puella acceptare, etsi non intendat prestare, quod donator sperat, cùm donatio sit absoluta, animo alliciendi, non obligandi. Vndè si spe frustratus repetat, dicens se non dedisse, nisi sub tali obligatione, non tenetur puella credere: quia eo ipso quod donator non expressit conditionem, præsumitur sine eâ dedisse, & repetere, vel animo vindictæ, vel vt consensum extorqueat. Less. *l. c.*

Dian.

Dian. *part.* 1. *t.* 2. *m. Res.* 40.

12. Non tenet donatio ob causam præteritam, vel præsentem, quæ verè non est, vt v.g. si dem tibi aliquid, quia apud Principem meam causam transegisti; vel quia pauper es, & reverâ non ita est, teneris restituere, cùm sit error in formali causâ, & principali. Vndè qui mentiuntur se pauperes, cùm non sint, debent alijs pauperibus eleemosynam restituere. Aliud est, si error sit tantùm in causâ secundariâ; vt v.g. si verè sint pauperes, & simulent insuper sanctitatem, ad hominum misericordiam provocandam: quia tunc primaria intentio dantium, est dare pauperi. Bon. Less. Vid. Dian. *p.* 8. *t.* 6. *Res.* 89.

DVBIVM III.

Quibus casibus donatio possit revocari?

RESP. 1. Donatio inter vivos, hoc est, qua quis vult se vivo rem absolutè alterius esse, potest revocari (etsi res iam tradita sit) tribus casibus; nisi tamen donatio fuerit renunciatoria, aut facta sit Ecclesiæ, vel Monasterio. Sunt autem hi casus.

1. Si donatarius enormiter ingratus sit: vt si donanti atroces iniurias inferat; si inopiâ pressum non alat, &c. Quòd notandum pro filijs, quibus parentes omnia donarunt, & eos posteà negligunt. Sylv. Less. Bon. Trull. *c.*17. *d.* 12. Neque valet pactum, vt donatio non possit ob ingratitudinem revocari. Bartol. & alij 8. Lugo. Dian. *p.*8 *t.6. Res.* 57. Debet tamen ingratitudo coram Iudice probari, ante cuius sententiam donatarius non tenetur restituere. Mol. Lugo, & alij 4. Dian. *l. c. Res.* 58. post eam verò, etiam fructus perceptos post litem contestatam. Mol. Dicast. *R.* 58. Ab hæredibus autem non potest revocari ob eas causas, ob quas donator ipse potuisset, si eas ipse scivit, & tacuit; secùs si ignoravit. Gom. Hurt. Vvadin. Lug. Dian. *l. c. Res.* 54.

2. Et quidem hæc revocatio etiam habet locum in legato respectu legatarij, si defunctum testatorem gravi iniuriâ afficiat, v.g. vxorem eius carnaliter cognoscat. Mol. Dicast. Dian. *l. c. Res.* 58.

3. Non habet autem locum. 1. In donationibus factis Ecclesiæ, tametsi Prælatus, vel Clericus fuerit ingratus; quia facta est ob bonum animæ testatoris, & principaliter Deo, qui ingratus esse non potest. Less. Lugo, Hurt. Hen. Vvadin. Dian. *l.c. Res.* 56. 2. In donatione remuneratoriâ (v.g. pro beneficijs aliàs non debitis, & aliquo modo æquivalentibus) quia potiùs est remuneratio, quàm donatio. Remuneratoria autem censetur. 1. Si donator in ipsâ donatione expressè meminerit meritorum, vel. 2. Si de meritis constet. 3. In dubio. Dian. *l. c. Res.*115. 116. 17. 19. 20. ex Barbos. &c.

4. Si quis prole carens magnam partem bonorum donaverit, & posteà nascatur proles, quia ex iuris dispositione inest donationi hæc tacita conditio, nisi nascantur mihi liberi. Et quidem si facta sit extraneo, revocari potest tota; si alicui ascendentium, vt patri, vel avo, vel Ecclesiæ, aut causis pijs, tantum revocari potest, quantum necessarium est, vt filij habeant legitimam. Quanquam rectè notat Lessius ad ædificationem expedire, vt quod Ecclesiæ, vel Monasterio datum est, Prælatus

Universidad de Deusto Biblioteca

tus totum restituat. Porrò, etsi iuraverit se non revocaturum donationem; adhuc potest liberis natis revocare; quia hoc iuramentum non excludit tacitam conditionem dictam. *Excipe*, nisi expressé etiam hanc conditionem excluserit; tunc enim ipse revocare non posset, possent tamen eius liberi post mortem patris. Bon. Less. *c.* 18. *d.* 14. An autem hæc revocatio locum habeat, si filij nascantur illegitimi, qui posteà legitimentur. Vid. Dian. *l.c. Res.* 63. & 64. Item an in donatione remuneratoriâ. *Res.* 65. vbi cum Mol. & alijs 6. negat nisi excedat causam.

5. Si donatio fuerit inofficiosa, contra officium paternæ pietatis, vt si pater tantum donet, vt filij priventur suâ portione legitimâ, tunc enim post mortem patris possunt filij revocare. Navar. *c.* 26. Less. *l. c.* licèt donatio fuerit iuramento confirmata. Megal. & alij 5. Dian. *p.* 8. *t.* 6. *Res.* 66. Imò etiam viventè patre; licèt enim ante mortem patris non debeatur legitima, vt tradenda, debetur, tamen, vt conservanda. Hinc si pater bona dissipet, potest à filio per Iudicem cogi, vt servet legitimam, ne is post mortem patris careat alimentis. Ita probabiliter Dian. *l. c.* ex alijs 6. contra Less. &c. An autem, & quando donatio rescindenda in totum. Vid. Dian. *l. c.*

6. Per supervenientiam liberorum, vt probabiliùs affirmat Dian. *p.* 8. *t.* 6. *Res.* 78. ex alijs 4. contra quosdam. Si tamen pater non revocaverit, non potest à filijs posteà natis revocari, nisi pro ratione Falsidiæ, sive ex testamento, sive ab intestato successerint. *Ibid.*

(***)

DVBIVM IV.

Quid sit donatio mortis causa, & an possit revocari, quomodo, & quibus competat?

RESp. 1. Donatio mortis causâ, qua quis sic donat, vt velit rem esse alterius primùm post suam mortem, vt si dicas, do tibi hoc post mortem meam, vel cùm moriar, vel quia timeo me nunc moriturum, revocari potest etiam tribus casibus his.

1. Si donatorem pœniteat, sive expressé, sive implicitè; vt si rem illam donet alteri Less. *l.c.*

2. Si dedit intuitu alicuius instantis periculi, ex quo metuit mortem: hoc ipso quod periculum evasit, censetur tacitè revocata donatio; vt si quis det in gravi morbo, vel instante prælio. Bon. *disp.* 3. *q.* 13. *p. vlt. nu.* 20.

3. Si donatarius moriatur ante donatorem, ipso iure revocata est: vt etiam accidit in testamentis, & legatis. Secùs est in promissione, & donatione inter vivos, quæ transit ad hæredes. Quod si donator promiserit se non revocaturum, transit in donationem inter vivos. Vide Less. *c.* 18. *d.* 14. *num.* 116. Mol. *d.* 286. & *d.* 288. Azor. *l.* 11. *c.* 11. *q.* 4. Bon. *l. c.*

Resp. 2. Hæc donatio fieri debet in præsentem. Dian. *l.c. Res.* 66. & alij 5. nec valet in absentem sine nuncio ad hoc destinato; vel epistola; licèt valeat vt fideicommissum, si fuerint adhibiti testes. Dian. &c. *l.c.* Valet autem probabiliter, etsi donatarius præsens tacuerit.

Resp. 3. Donare mortis causâ possunt omnes, & soli, qui possunt testari, excepto filio familias, qui licèt testamentum condere nullo modo possit, cùm hoc sit iuris publici; donare tamen mortis causa, cùm hoc quid sit iuris privati, potest, si adsit patris consensus expressus: imò sine hoc donare eum posse, non tantùm de castrensibus, sed etiam adventitijs, probabile censet. Dian. *l.c. Res.* 68. & 69. Hinc donare sic possunt minores 25. annis, etiam sine consensu sui curatoris. Dian. *l.c. Res.* 71. ex Mol. & alijs 9. Non autem vsurarius, nisi priùs vsuris satisfecerit, vel cautionem præstiterit, potest tamen ad causas pias. *Ibid. Res.* 71. ex Fagund. & alijs 6. Nec surdus, & mutus à natura (secùs si à casu superveniente) vel si surdus sit, aut mutus tantùm (licèt donare inter vivos possit) secundùm quosdam. Azor. Dian. *part.* 5. *t.* 6. *Resol.* 12.

DVBIVM V.

Quid sit commodatum, precium, & depositum?

RESp. Commodatum est contractus, quo res aliqua mobilis, vel immobilis, quoad solum vsum gratuitò conceditur, idque ad aliquod certum tempus explicitè, vel implicitè determinatum: explicitè, vt si dicas: commodo tibi hunc librum, vel domum ad vnum mensem: implicitè, vt si dicas, commodo tibi librum, vt eum describas quia tunc implicitè tantum temporis determinatur, quantum necessarium est ad commodè describendum.

Precarium est, quo conceditur petenti res vtenda, non ad certum tempus, (in quo differt à commodato,) sed donec concedens repetat, sive expressè, sive tacitè, vt si det alteri, aut vendat. Lay. *lib.* 3. *t.* 4. *c.* 14.

Depositum est, quo aliquid traditur custodiendum, vt integrum reddatur. Et communiter est res mobilis, vel se movens, vt vestis, equus, &c. *Vndè circa hæc resolvuntur.*

1. Commodator non potest repetere absque iniustitia ante definitum tempus. Lay. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 14.

2. Quód si tamen commodanti damnum impendeat, potest repetere, licèt simile damnum impenderet commodatario, ex rei ante tempus repetitione, vt habet Less. *c.* 27. *d.* 5. quia, vt ait Navar. in commodatione intelligitur tacita hæc conditio, nisi intereà contigerit rem esse necessáriam commodanti. Lay. *l.c.*

3. Si depositarius bona fide existimet depositori non displiciturum, si re deposita vtatur, licebit vti, aliàs non Less. *l. c. d.* 2.

4. Si depositum sit res vsu consumptibilis, vt triticum, vinum, pecunia, quæ exponendo absumitur, eaque tradita sit certo numero, pondere, & mensura, non videtur depositarius peccare, saltem graviter, ijs vtens, si certus sit, se tantundem eiusdem bonitatis habiturum, quando repetetur. Less. *l.c.* Secùs si pecunia tradita fuerit sacculo, vel arcæ inclusa, vel munita sigillo. Sylv. Azor. Less. Bon. Vid. Trull. *c.* 25. *d.* 1. Verùm si is, cui res commodata locata, deposita, aut pignorata est, negligenter custodiat, ita vt pereat; negligentia autem non sit Theologica culpa mortalis, probabile est, quod dixi ex Soto, Sà, non teneri ad restitutionem in conscientia. Alij tamen aliter sentiunt, nimirùm teneri restituere, qui iuridicam culpam in custo-

Universidad de Deusto Biblioteca

custodiendo contraxerit, si ea fuerit lata,& subindè si levis tantùm, imò, & aliquando si levissima, nimirùm quando depositio facta est in commodum vtriusque:& si pretium pro custodia accipiat, Vid. apud Less. *c.7. d.8.* Lay. *l. 3.tr.4.c.25.* vbi docet depositarium tantùm teneri de dolo, vel culpa crassa, quę dolo æquiparetur.

Dicitur autem iuridica culpa lata, seu crassa, cùm quis facit, aut omittit, quod vt plurimum non facerent, vel omitterent in ea re homines suæ professionis; vt v.g. si quis rem apud se depositam relinquit in loco publico, etsi inadvertenter. Levis autem dicitur, cùm quis facit, vel omittit quod non facerent, vel omitterent, homines suæ professionis diligentes: vt si quis depositum relinquit in suo cubiculo, sed negligit ostium claudere. Levissima dicitur, cùm facit, vel omittit quod non facerent homines diligentissimi: vt si quis ostium quidem obserarit, sed neglexit tentare manu, an esset benè clausum.

5. Sartores, molitores, & cæteri artifices, quibus res traditur polienda, vel immutanda; item nautæ, aurigæ, caupones, apud quod res deponuntur, tenentur ex levi culpâ; quia depositio fit etiam in commodum ipsorum: imò Sylv. *V. Nauta*, vult eos teneri ex levissima: *ex l. 1. ff. depositi*, idque cautum esse ad vitandas eorum fraudes. Quod etiam Less.& Trull. *c. 25. dis. 1.* putant esse probabile in vtroque foro, si quis eis rem expressè tradiderit custodiendam; si autem ipsis tantùm videntibus deposuerit, v.g. in diversorio, navi, &c. ne quidem ex latâ teneri. Vid. Bon. Trull. Dian. *p. 1. t. 8. Res. 74.*

6. Si depositarius, (idem est dè commodatario) dubitet, an depositum sua culpa perierit, non tenetur in conscientiâ ad restitutionem. Sanch. *de matr. l. 2. d. 41. num. 18.* quia in dubio non præsumitur delictum, *ex L. Merito. ff. pro socio.* Vid. Dian. *p. 2. t. 9. Res. 49.* In foro tamen externo, si res depositarij manserint incolumes, præsumitur de dolo, nisi depositarius probet depositum casu perijsse, & non potuisse simul cum rebus suis, (imminente v.g. incendio) servari: tunc enim non teneretur, quia præsumptio doli cessaret. Vid. Palaum, *t. 1. de cons. d. 3. p. 4.* Trull. *c. 25. d. 1.*

7. Si domino repetenti depositum remiserit per hominem, qui fidelis habebatur, isque sibi retinuerit, vel perdiderit, domino perijsse dicit Molin. citatus ab Esc. Vid. Trull. *loc. cit.*

8. Deponens rem vsu non consumptibilem, potest à depositario pro eius vsu aliquid accipere; quia is est pretio æstimabilis: (licét eo casu non depositi, sed locati, & conducti contractus sit dicendus.) Secùs si sit vsu consumptibilis: tunc enim depositum, eo ipso quòd depositarius incipit eo vti, induit naturam mutui, ex quo (seclusâ ratione lucri cessantis, &c.) nihil licet accipere, *vt vid. dub. seq.* & Bon. *d. 3. q. 13. p. 3.* Trull. *l. c.*

DVBIVM VI.

Quid sit mutuum?

RESp. Est contractus, quo rei alicuius numero, pondere, vel mensurâ constantis, dominium à mutuante in mutuatarium transfertur, cum obligatione restituendi eandem, vel similem specie, & bonitate. Proprié autem, mutuum feré est in rebus vsu consumptibilibus, inter quas, etiam est pecunia; quæ licèt non absumatur, nec pereat in se, perit tamen exponenti. Distinguitur à permutatione, quod in ea reddatur res alterius speciei: Item à pignore, hypotheca deposito, commodato, & locato, quòd dominium in ijs non transferatur, sed vsus tantùm. Bon. *dis. 3. q. 3. p. 1. Vndè resolves.*

1. Mutuans obligatur, monere de vitio rei, alioqui ad damnum tenetur in conscientia.

2. Item non repetere rem ante tempus, nisi ipse sit in pari necessitate.

3. Item præstare casum fortuitum mutuatarius tenetur, cùm penes hunc rei dominium sit; & rem eâdem quantitate, & qualitate reddere suo tempore.

4. In vero mutuo lucrum aliquod accipere non licet; quia est vsura, de quo *dub. seq.*

DVBIVM VII.

Quid sit vsura?

RESp. Est lucrum immediatè proveniens ex mutuo, ita vt mutuans supra sortem (id est, summam capitalem) lucretur aliquid quod sit pecuniâ æstimabile; ita vt lucrum tale præcisè intendatur ratione mutui. Quòd planè iniquum est, & grave peccatum contra ius humanum, & divinum; cùm mutuans acquirat lucrum ex re iam nõ ampliùs suâ: quia res mutuata iam transijt in dominum mutuatarij, vt patet ex definitione. Et regula generalis est. *Omne pactum, vel gravamen, sive onus additum mutuo, præter id quod, ei proprium, & intrinsecum est, reddit contractum vsurarium* Bon. *d. 3. q. 3. p. 3.* Card. Lugo, &c. *Vndè resolves.*

1. Peccat graviter ex genere suo exercens talem vsuram, etsi sit mentalis tantùm, absque externo pacto. Dicitur enim vsura mentalis, cùm quis intentionem habet accipiendi aliquid ex mutuo vltra sortem; etsi exteriùs pactò id non exprimat: sicut realis, seu exterior vsura dicitur, cùm quis intentionem illam per pactum aliquod exprimit. Quod aliquando tantùm implicitè fit in aliquo contractu, & vocatur vsura palliata; cùm videlicet contrahentes prætendunt alium contractum emptionis, locationis, &c. in quo tamen revera vsuratium quid intervenit Vide exempla apud Tol. *l. 5. c. 31.*

2. Non est vsura, si mutuans nihil intendat vt pretium, sed tantùm speret aliquid ex gratitudine, & eâ intentione illi aliquid donetur, licèt illud vt finem principalem intendat Molin. *t. 2. p. 305. nu. 5.* Card. Lugo, *disp. 25.*

3. Quód si tamen intelligeret sibi aliquid donatum, non gratis, vt putabat, sed vt debitum ratione mutui, teneretur restituere, quantùm indé ditior evasisset, vt habet Sà. *V. Vsura.* Card. Lugo. *d. 25. sect. 3.*

4. Nec est vsura dare mutuum alterius amicitiæ captandæ causa, atque vlterius indè sperare officium: quia amicitia non æstimatur prætio. Card. Lugo *l. c.*

5. Pactum tamen de obtinendo à mutuatario (vel eius opera) officio aliquo, illicitum est, & vsurarium. Ita com-

Universidad de Deusto Biblioteca

mun. Mol. *d.* 310. Less. Sal. C. Lugo contra Nav. etsi Salas de vsurâ *d.9 nu.*4. eum excuset, qui mutuat aliquid cum pacto, vt statim prestetur aliquod beneficium ex gratitudine. Vide. Trul. *l.* 7.*c.* 19. *disp.* 7.

6. Pactum, vt à mutuatario conferatur beneficium Ecclesiasticum, est vsura,(& simonia;) quia cogitur is subire novum onus.

7. Non est vsura, cùm quis non potens sua recuperare, mutuat, vt sibi reddantur sua, vel ne sibi iniqué noceatur: quia hæc iure iam antè debentur, & sic non facit lucrum, nec imponit novam obligationem. Bon. *q.* 3. *p.* 3. *nu.* 15. ex Azor. Reg. &c.

8. Nec est vsura exigere aliquid ratione periculi recuperationis, difficultatum, vel expensarum, quæ erunt, vel metuuntur in recuperandâ sorte: quia pretio æstimari potest, quôd quis se in tale periculum, & difficultatem conjiciat. Con. *d.* 3. *q.* 3. *p.* 5. Necesse tamen esse, vt periculum illud, &c. deducatur in pactum expressè, vel tacité, docet Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 16. *nu.* 9. ex Medin. Valen. Mol. Less. &c. Idem dicit C. Lugo *num.* 80. Et sic liciti sunt Montes pietatis vt vocant, hoc est, thesauri quidam, qui in refugium pauperum à Rep. vel Principe reponuntur, vt indè pauperibus gratis mutuetur, ita tamen vt parum retribuant pro expensis, quæ fiunt in ministros, & conservationem talium Montium. Vid. Tol. *l.*5.*c.*18. Less. *l.* 2. *c.* 20. *d.* 13. Bon. *l. c. p.* 13.

9. Nec est vsura, si timens difficultatem, aut fraudem mutuatarij in reddendo, tempore constituto, paciscaris, vt si tunc non solvat, aliquid det præter capitale, loco pœnæ: quæ pœna licitè exigetur, dummodó non fiat aliâ intentione, quàm vt mutuatarius sic quasi constringatur, ne suâ culpâ fallat. Vndè si mutuatarius absque suâ culpâ non possit solvere, non licebit pœnam exigere, vt habet Tol. *sup. c.*32. Qui ait manifestum esse argumentum pravæ intentionis, si optes non solvi tibi præfixo tempore, vt pœnam recipias; ac simpliciter vsuram fore, si certó sciens alterum non valiturum solvere, adhuc tali pœnâ oneres. Vide. Bonac. *d.* 3. *q.* 3. *par.* 7. Mol. *t.* 2. *d.* 317. Less. *lib.* 2. *cap.* 20. *d.* 15.

10. Nec est vsura, paciscì, & accipere aliquid ratione damni emergentis (si quidem mutuum verè illius causa sit) aut lucri cessantis, vel cessaturi, dummodó de hoc præmoneatur mutuatarius. Vt si volebas domum reficere, aut poteras nunc commodo tempore emere triticum, privando autem te tuâ pecuniâ in dando mutuo, corruit domus, & posteà cariùs emes triticum. Item non poteris lucrari cum tuâ pecuniâ, quod poteras, & volebas negotiando; ita vt mutuatio sit veré causa lucri cessantis. Vbi notat Tol. supponendum in hoc titulo lucri cessantis. 1. Quód verè volueris cum eâ pecuniâ negotiari, & non habeas aliam. 2. Quód malis negotiando, alitervè lucrari, quam sic mutuando, ita vt mutues tantùm in gratiam mutuatarij. 3. Vt minús exigas, quàm lucrari poteras, & deductis expensis: quia lucrum cessans non est actu, sed in potentiâ, & varijs adhuc eventibus obnoxium. Vndé ad arbitrium viri prudentis, pro maiore, vel minore eius certitudine, æstimare id poteris, & sic mutuatario de eo paciscì. S. Thom. *ar.* 1. *ad.* 2. Mol. *d.* 314.

Sal

Sal. *dub.*18. *&c.* Cardin. Lugo, *d.* 25. *sect.* 6. Bon. *q.* 3. *p.* 4. Hinc qui non habuit animum negotiandi, vel si non erant, nec brevi sperabantur merces, vel non erat moraliter certus de lucro, nihil potest accipere vltra sortem: quia mutuatio ista veré non fuit causa lucri cessantis. Eâdem ex causâ vsura est, si mercatores credito vendentes, aliquid vltra pretium rigorosum accipiant, titulo lucri cessantis; v.g. rem tantùm valentem 100. vendant pro 105. numerandis post annum: quia vendendo ad creditum (quod est virtualis mutuatio) plures habent emptores, pluresque res vendunt sic compensatur lucrum cessans, atque adeò illud non cessat ratione huius venditionis. Dian. *p.* 2 *t.*34. Trull. *c.* 19. *d.* 9. *vid. dub. seq.*

11. Mutuare frumentum vetus cum obligatione vt restituatur novum (præsertim certo tempore) est vsura, si mutuans sciat novum fore melius, & maioris pretij, Sylv. Nav. Trull. *d.* 15. *nu.* 11.

12. Est vsura ex communi sententiâ, si des mutuum, vt posteà mutuatarius ex debito civili obligetur tibi rursus mutuari, aut vendere, vel apud te in tua officinâ emere merces aut operas suas locare: quia talis obligatio est res pretio æstimabilis, cùm privet mutuatarium potestate alibi emendi, & locandi operas. Less. *l.*1.*c.*20.*d.*8. Card. Lugo. *d.*25. *nu.* 46. Vid. Laym. *l.*3. *t.*4.*c.*16. *nu.*3. Bon. *l.c.p.*3.

13. Vsura est, mutuare Principi, vel Reipub. eo pacto, vt interim, dum non solvitur, sis liber à tributis, vel oneribus iustis solvendis. Salas, Card. Lugo. *num.* 64. ex communi.

14. Item mutuare eâ lege, vt mutuatarius eam pecuniam exigat à debitore mutuantis, à quo non facilè extorquebit. Quod addo, quia si sponte onus illud suscipiat, eò quód facile possit obtinere, non erit vsura. *Ibid.* Bonac. *loc. cit.*

15. Item si frumentum quod alibi habes, des mutuum, obligando, vt tibi reddatur hic, vel alibi (cum maioribus sumptibus, vel laboribus,) vbi plus valet. *Ibid.*

16. Vsura etiam est, obligare mutuatarium, vt partem mutui accipiat in mercibus, quibus non indiget. *Ibid.*

17. In mutuo pecuniario, nisi aliter conventum sit, si quis det mutuos v.g. 100. florennos, non potest exigere plus, quam eorum pretium, & prout valor tunc fuerit. Vndè si eorum valor augeatur, non potest repetere 100. quia reciperet aliquid supra sortem. Quod si valor decrescat, debet mutuatarius reddere plus quàm 100. quia aliàs non restitueret ad æqualitatem. Vid. Less. *l.*2. *c.* 22. *d.* 8. Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 16. *nu.* 15. Bon. *l. c. p.* 3.

18. In mutuo tamen aliarum rerum, vt vini, tritici, &c. aliter se res habet; quia si quis v.g. mutuet alteri. 10. modios tritici, sive pretium crescat sive non, potest repetere 10. Ratio disparitatis, est, quia in pecuniâ non spectatur ordinariè, (nisi aliter conventum sit ob certas, & licitas causas) nisi valor, sive pretium. Vndè non debet restitui, nisi pretium æquale. At verò in frumentis, &c. spectatur ipsa materia, quia non petitur mutuum frumentum propter pretium frumenti, sed propter ipsum corpus, & substantiam, ergo etsi crescat pretium illius, potest repetere tot mensuras, quot dedit mutuó. Interim

 tamen

Universidad de Deusto Biblioteca

tamen quidam de his rebus eodem modo loquuntur, quo de monetâ. Vid. Lay. *l. c. nu.* 14. Bon. *l. c.*

Quæres. Quæ obligatio: & pœna sit vsurariorum, & cooperantium?

Resp. 1. Vsurarius etiam non manifestus, ac hæredes tenentur restituere, imò etiam omnes ij, qui ex parte vsurarij cooperantur efficaciter, v.g. Iudices, Domini temporales, Notarij, famuli, Advocati, qui quovis modo iuvant, vel cogunt mutuatarios ad solutionem vsurarum, Dixi *positivè, seu efficaciter*; quia habendo se negativè, possunt permittere, vsurarios, ob iustam causam, & necessitatem pauperum. Præterea in, praxi, ex præsumptâ voluntate mutuatariorum, ferè excusantur minùs principales famuli. 2. Vsurarius publicus, sive notorius non debet admitti ad Communionem Altaris, nec absolvi, donec restituat vsuras, nec sepeliri in loco sacro: & qui scienter sepelit, ipso facto est excommunicatus. 3. Addit Laym. *l. c. nu.* 21. eius testamentum ipso iure irritum esse, nisi ante mortem restituerit. Vide Less. Bon. Trull. *c.* 19. *d.* 22.

DVBIVM VIII.

De Emptione, & Venditione.

ARTICVLVS I.

Quid sit Emptio, & Venditio?

RESpond. Est contractus quo pretium pro merce solvitur; completùrque mercis traditione. Vēditio è contra. Iustitia eius in hoc consistit, vt pretium sit iustum, sive exæquet valorem rei, & contrà. Aliàs si absque legitimo titulo secùs fiat, committetur iniustitia gravis, vel levis, pro gravitate excessus, qui proindè ad restitutionem in concientia obligabit: etsi in foro externo ad restitutionem ferè non cogatur, nisi vltra dimidium defraudaverit. Vid. Lay. *cap.* 17. Bon. *d.* 3. *q.* 2. *p.* 1. & 4. *Vndè resolves.*

1. Quod spectat ad emptorem: is potest emere viliùs quàm res valeat, si ei non sit commoda, vel emat in gratiam venditoris, ac similes sint circunstantiæ, quæ rem faciant viliorem. Nec obstat quòd venditor necessitate ductus vendat viliùs, quia venditio manet voluntaria, inquit Caiet. Vid. Bon. *l. c. nu.* 21. & 23. Potest nihilominùs graviter peccari contra charitatem, si quando pauperculi extremâ inopiâ res suas vendere coguntur, nimis viliter ab eis emas Laym. *l. c. nu.* 10.

2. Emptor potest emere minoris, ex eo quod multa simul emat, quia tunc venditorem liberat multis curis, & expeditum facit ad alia nova comparanda, vndè meritò pretium decrescit. Bon. *l. c. p.* 4. *nu.* 13. ex Less. Reg.

3. Quoad venditorem, is communiter debet vendere secundùm pretium taxatum à lege, vel magistratus: quòd si nullum est, id censebitur iustum, quod morali hominum æstimatione imponitur. Quod non consistit in indivisibili, vt anxiè scrupulari oporteat, sed, dividitur in infimum, medium, & summum, sive vt alij vocant, pium, moderatum, & rigorosum, ita vt intra latitudinem huius pretij vendere, & emere liceat, nunc summo, nunc infimo.

4. Si quid emptori valdè vtile sit, non licet hoc solo nomine rem vendere vltra pretium iustum: quia vtilitas emptoris tota est ipsius, non venditoris. Bon. *l. c. num.* 27. ex Less. *l.* 2. *c.* 27. *d.* 4. Fill. *t.* 35. *nu.* 77.

5. Licet autem vendere cariùs, quàm valet pretio currente, si alij boni tituli adsint, & simul de hoc emptorem moneas, quia tunc illi non fit iniuria. Tales autem sunt, v.g. lucrum cessans, aut damnum emergens, aut incommodum, vel molestia tibi obventura ex rei venditione, aut affectus in eam singularis, vt si acceperis à maioribus, à Principe. Item si res sint novæ, raræ, & singulares; vt v.g. peregrini flores, aves, feræ, monumenta antiqua, picturæ, numismata. Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 17. §. 1. *num.* 10. Bon. *l. c. nu.* 15. ex Less. Reg. &c.

6. Qui res minutim, & in parvâ quantitate vendunt, possunt aliquandò cariùs vendere, quàm qui in magnâ quantitate: quia debent maiores labores, expensas, &c. impendere ad ea conservanda: & sic quidam excusant caupones, & stabularios, qui avenam, fœnum, paleas, &c. cariùs vendunt, quàm alij; dummodó pretium ijs non sit taxatum, Sal. Trull. *d.* 15. *nu.* 11.

7. Non licet cariùs vendere præcisè ob dilatam solutionem, aut viliùs emere ob præcisè anticipatam solutionem; quia in venditione, quæ fit credito, vel in anticipatâ solutione, est virtuale mutuum, ideóque vsura, si quid supra sortem exigatur. Quod intellige, nisi interveniat alius titulus ex supra enumeratis de vsurâ; vel nisi aliundè crescat pretium; v.g. ex frequentiâ emptorum, &c. Bon. *l. c.* ex Less. Reg. Fill. &c. *vid. sub. dub.*

8. Licitum est vendere rem cum pacto de retrovendendo, idest: vt emptor teneatur tibi statuo tempore, vel cùm volueris, eam revendere, modó vera, & non ficta emptio fiat, nec palliata vsura intercedat. Molin. *d.* 375. Less. *dub.* 14. &c. Qui addunt iuxta æstimationem illius operis, ac pacti, pretium esse imminuendum. Vid. Card. Lug. *d.* 26. *num.* 189.

6. Monopolia, id est, cùm vnus, vel plures id efficiunt, vt ipsi soli aliquid vendant, vel cùm mercatores conspirant, non minoris vendere, non sunt contra iustitiam; modò non conspirent extra iustum pretium vendere. Ita contra Rebell. Navar. &c. docent Molin. Less. &c. Qui tamen concedunt, esse contra charitatem. Vid. Card. Lugo *d.* 26. *sect.* 13. Porró Principum, vel Magistratûs est, cùm vni, vel paucis tale privilegium conceditur, vt soli aliquid vendant, ijs etiam pretium taxare, & sic providere, ne subditi graventur. Vid. Less. *cap.* 21. *d.* 20. Card. Lugo *loc. c.* & Trull. *cap.* 20. *d.* 18. vbi rectè notat ex Navar. &c. etsi alia monopolia ex iustâ causâ, authoritate Principis, vel Reipub. concessa, taxato pretio sint licita v.g. Bibliopolis, vt nemo alius talem librum vendat, vel vt tantùm sit vnus, aut duo tabernarij in aliquo loco, nihilominùs quando vnus, vel pauci propriâ authoritate ea constituunt, v.g. emendo merces certi generis, vt frumentum, vinum, oleum, &c. vt ipsi deindè arbitratu suo vendant cariùs, peccare semper etiam contra iustitiam, cum obligatione restituendi.

10. Venditor debet emptorem premonere de notabili vitio rei, quod ei obesse potest: v.g. si equus sit furiosus, domus

domus ruinosa, oves morbidæ, pannus adustus, &c. alioqui tenetur defraude, damno secuto: saltem si defectus fuerit in substantiâ, vel quantitate, v.g. si deficiat in pondere, vel mensurâ, aut vendiderit rem vnam pro aliâ, & sic peccat mortaliter cum obligatione restituendi. 1. Qui frumentum venditurus ponit priùs in loco humido, vt intumescat. 2. Qui vino Rhenano miscet Francicum. 3. Qui carnes bubulas vendit pro vervecinis, &c. Vid. Less. Bon. Dian. *p.* 1. *t.* 8. *Res.* 51. Trull. *d.* 11. Quando autem venditor possit iustè tacere vitia qualitatis rei, quæ venditur sine obligatione restituendi pretium, vel rescindendi contractum. Vid. Card. Lug. *d.* 26. *s.* 8. *nu.* 128. & Trull. *c.* 20. *d.* 11. vbi notat venditionem factam ab ignorante vitium rei, esse validam; rescindendam tamen, vel reducendam ad æqualitatem, nisi venditor contra hoc exceperit.

11. Si scias occultè debitorem tuum non esse solvendo, iniustum videtur ijs, qui id nesciunt, debitum illud vendere pretio ordinario: tum quia est dolus: tum quia vitium intrinsecum crediti non revelatur. Bon. *l. c. p.* 10. ex Less. *c.* 21. *d.* 10. Fil. &c.

12. Etsi venditor sciat pretium mercis mox minuendum, licet tamen vendere pretio currente, & non dicere emptori; secluso tamen dolo, fraudibus, & mendacijs, quibus emptorem allicere ad emendum ei non licet, quia pretium currens simpliciter adhuc est iustum. Bon. *q.* 2. *p.* 5. *num.* 12. ex Azor. & Fill. &c.

13. Si cui datum est aliquid vendendum pretio v.g. infimo, vel moderato, & is vendat rigoroso, probabile est, vt habet Angel. *V. Emptio*, non teneri restituere, sed posse retinere excessum, cùm sua industria acquisiverit. Aliud tamen est de famulis mercatorum, quibus indeterminato prætio traditur meliori modo vendendum, quo possunt in vtilitatem domini. Vide Less. *d.* 18. Card. Lugo *d.* 26. *s.* 9.

14. Quando sartoribus ementibus pannum pro ijs, quibus vestes conficiunt, minoris venditur, quàm alijs, eò quòd sint Parochiani mercatorum, vel sæpè ab ijs emant, possunt partem pretij remissam sibi retinere, dummodò aliàs fideliter agant, quia nulli fit iniuria: & cùm mercatorum plurimùm interfit, vt tales ad ipsorum potiùs, quàm aliorum officinas veniant, censetur in ipsorum gratiam remittere, ijsque donare eam partem. Fill. Dian. *p.* 1. *tr.* 8. *Res.* 26. Negat tamen Salas; có quód mercatores falsó dicant se remittere, vt alliciant.

15. Cùm res duobus in solidum est vendita, is dominium acquirit, cui tradita est, dummodò is pretium solverit. Si neutri tradita sit, debetur ei, qui priùs tempore emit, & alter habet actionem in venditorem. Si quid tamen vendatur, aut detur Ecclesiæ, vel alijs pijs locis, acquiritur dominium ante traditionem. Vid. Less. *loc. cit.* & C. Lugo. *d.* 26. *s.* 9.

16. Si res pereat ante traditionem, & sit certa, ac determinata, verbi gratia, hæc domus, hoc dolium vini, perit emptori, nisi aliter expressé conventum sit, aut venditoris culpâ pereat. Si autem res sit indeterminata, (vt si quis emerit 10. modios tritici ex granario, oves ex grege) aut si emat rem determinatam quidem, sed ad mensuram (vt acer-

acervum totum tritici vno florenno, in singulas mensuras) tunc ante rei traditionem, aut mensurationem, periculum spectat ad venditorem. Vid. Lessium. *dub.* 12. *l. c.* C. Lug. *d.* 26. *s.* 14. *nu.* 216. Laym. *lib.* 3. *t.* 4. *c.* 17. §. 2. Bonac. *q.* 2. *p.* 8.

17. Si res vendita pereat, aut deterior fiat post traditionem, perit emptori, licét pretium nondum persolverit, quia res Domino perit. Layman. Bon. *ll. cc.*

Quæres 1. An, & quommodó liceat emere chirographa, seu credita alterius.

Resp. Si credita in posterum exigenda (sive ius, quod habet alter, vt ipsi in futurum aliquid solvatur) sint certa, ea minoris emere, solutione anticipatâ, est vsura, secluso tamen lucro cessante, & damno emergente. Bonac. *d.* 3. *q.* 3. *p.* 10. ex Mol. Less. Tol. Fill. Quia accipitur aliquid supra sortem ex mutuo; nam mutuat implicitè minorem pecuniam pro exigendâ maiore. 2. Dixi *certa*, quia si credita sint incerta, periculosa, & litigiosa, ac cum difficultate exigenda; licité is, qui non est causa istius difficultatis, minoris emit provt difficultas, vel incertitudo solutionis minor est, vel maior; quia cum tali periculo, & difficultate minùs valent. Bonac. *l. c.* Trull. *l.* 7. *c.* 20. *d.* 8. *Vndè resolves.*

1. Vsuram committunt. 1. Ministri Regum, & Principum, &c. qui vt anticipatam faciant solutionem, aliquid accipiunt à creditoribus. 2. Qui aliquid accipiunt à debitoribus concessâ dilatione ad solvendum; quia accipiunt aliquid vltra sortem pro mutuo virtuali. Bon. *l. c.* Nav. Molin. Salas, &c.

2. Minoris emi possunt regulariter credita, & stipendia, sive salaria debita militibus, aut famulis Nobilium, quia habent adiuncta incommoda, pericula, & molestias in exigendo: quam ob causam idem licet, etiamsi credita illa tempore præsenti, vel etiam præterito fuerint solvenda. Bonac. *l. c.* ex Regin. Mol &c.

3. Qui ipse est causa difficilis solutionis, peccat contra iustitiam emendo minoris, & tenetur ad restitutionem; tũ quia ipse est causa damni, cùm ipsius culpâ creditum valeat minus; tum quia alioqui prœmium ex delicto suo reportaret. Mol. *d.* 313. Fill. Bona. *l. c.* Hinc Quæstores Principum, ad quos solutio pertinet; quando ipsi sunt causa difficilis, & malignæ solutionis, non possunt chirographa, vel credita emere minoris, vt docent Auth. cit. Additque Salas, & Molin. *l. c.* non esse liberum Quæstoribus, &c. quibus incumbit solvere Magnatum debita, vni potiùs solvere, quàm alteri (nisi quis fortè ius præ alijs habeat, vt vide suprà de ordine restit.) sed teneri omnibus solvere pro rata Bon. *l. c.* Vid. Trull. *l.* 1. *d.* 10.

ARTICVLVS II.

Quid sit Negotiatio, & quibus illicita?

Resp. Ea est, cùm quis rem sibi comparat eo animo, vt integram, & non mutatam, catiùs vendendo, vel permutando lucretur. Quod quia obnoxium est periculo multorum peccatorum, & valdè distractivum, ac indecens statui Clericali, sic lucris inhiare, severé prohibi-

Universidad de Bibliotecas

hibitum est Clericis constitutis in sacris,& religiosis omnibus,ita vt mortaliter peccent, si multam negotiationi dent operam; vt ait Less. quem Vid. *l.* 2. *c.* 1. Lay. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 17. Bon. *de contr. ar.* 3. *q.* 1. *p.* 5. C. Lugo, *d.* 26. *s.* 3. *nu.* 19. *Vndè resolves.*

1. Si Clericus semel iterumque tantùm negotietur, in materiâ non gravi, v.g. libros, Cruces, &c. emat. vt occultè iterum vendat cariùs, non est mortale. Less. Mald. Fill. Diana. C. Lugo, *loc. cit.*

2. Non est negotiatio Ecclesiasticis, vel Religiosis prohibita, si emant pecora, quæ pascuis suis saginata vendant: quia vendunt fructus suorum prediorum, vel agrorum. Mol. Less. C. Lugo. *s.* 3. *num.* 29. vtì nec, si greges alant, vt fœtus, lac, lanam vendant. C. Lugo. *l. c.* Vbi tamen negat licere ijs conducere agros, vt fructus vendant, eò quód (licèt non sit negotiatio propriè dicta) specialiter illis sit prohibitum in Concil. Carthag. Vid. *l. c.*

3. Non peccat Clericus. 1. Si emat agrum cum fructibus iam maturis, illosque vendat: quia vendit fructus agri sui. Card. de Lugo. *l. c.* ex Molin. Filliuc. &c. 2. Si id, quod ad proprios vsus emerat, posteà, vel quia non indiget, vel mutato consilio, cariùs vendat. *Ibid.*

An verò, & quomodò Clericis liceat negotiari per alios non famulos, presertim in necessitate. Vide C. Lugo. *d.* 26. *s.* 4. *numer.* 36. Trull. *loc. cit. d.* 19. Barbos. *de iur. vn. lib.* 1. *cap.* 40. *art.* 1.

(***)

DVBIVM IX.

Quid sit Contractus censûs, & an licitus?

Resp. Is est, cum certâ summâ pecuniæ, v.g. 100. florenis emo à te ius percipiendi quot annis, ex bonis tuis aut certa aliqua re tua vtili, sive fructifera, certam aliquam pensionem, seu censum, v.g. florenos 5. annuos, vel 6. provt consuetudine, vel lege taxatum erit. Ita vt hìc non sit mutuum, & vsura, si aliàs pravam intentionem non habeas; sed vera emptio, & venditio, qua emitur, non præcisè ipsa pensio, sed ius eam percipiendi: quod longè minùs valet, ideòque minoris emitur; licèt post multos annos pretium longè superet. Molin. Less. Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 18. & cæteri communiter Rectiùs tamen C. Lugo. *d.* 27. *s.* 2. *nu.* 20. probat, ad excusandum censum ab vsura, dicendum esse, non emi pensiones, neque ius ad illas, neque fructus, sed potiùs partem vsusfructus talis prædij, super quo census constituitur; ita vt dominium totum directum prædij maneat apud venditorem; dominium verò vtile, seu ius vsus fructus, ex parte vendatur. *Vndè resolvuntur sequentes casus, qui etiam ex natura emptionis, & venditionis solvi possunt.*

1. Hinc contractus est iniustus, si non servetur pretium iustum à lege, vel consuetudine probatum, quomodó pro Germania constituit Carolus V. vt ius ad. 5. tantùm pro 100. ematur.

2. Non solùm licitus est census realis, id est constitutus super re aliqua, vt suprà dictum, ex cuius vtilitate pensio extrahatur; ita vt ad quemcumque res

res transeat cum illa obligatione, & onere; sed etiam personalis, & constitutus immediatè super persona, quæ sua opera, & industria vtilis sit, & fructum aliquem pariat, vel bona in spe, vel re habeat, vndè pensio duci possit: alioqui enim ius quod venderet, non esset pretio æstimabile, & sic contractus fictitius. Ita probabiliter Covarr. Less. Sal. *dub.* 3. *nu.* 2. & contra Nav. Mol. C. Lugo. *d.* 37. *s.* 2. *nu.* 25. vbi census meré personalem illicitum docet esse probabiliùs, & prolixé probat.

3. Iniqui sunt venditores, seu censuarij, qui emptoribus, sive censualistis obligant rem non potentem reddere fructus, saltem tot, quot pensio exigit, aut reddentem quidem, sed iam alijs censibus venditos. Bon. *d.* 3. *q.* 4. *p.* 1. *nu.* 9. & 13.

4. Sicut cùm in emptione res perit damno emptoris, sic etiam in censu reali, si res, super quam impositus est census, pereat, vel fructus eius absque culpâ venditoris: tunc enim perit census, ita vt emptor, sive censualista, non possit ampliùs percipere fructus, sive censum; quia qui emit, suo periculo emit. Bon. *l. c.* Fill. *t.* 35. *p.* 2. *nu.* 255. Vndè ad hoc incommodum cavendum inventus est sequens modus.

5. Licitum est, vt probat Tol. *lib.* 5. *c.* 46. & Less. *cap.* 22. *dub.* 11. contractui census adiungere aliud pactum assecurationis, vt si res super qua fundatus est census, pereat, id fiat damno venditoris, ideóque nihilominùs obligatus sit, vel super alijs bonis suis eum statuere, vel restituta sorte, eodem pretio redimere. Debet tamen hoc pactum venditori compensari, augendo pretium census, vel quod eòdem recidit, minorem pensionem designando. Bonac. *l. c. nu.* 30.

6. Ex natura rei licitus est non tantùm census irredimibilis, sed etiam redimibilis, cùm ex vna parte, tum vtriusque, vt patet ex terminorum explicatione: quia irredimibilis census dicitur, cùm venditor non potest illum pro suo arbitrio redimere; redimibilis autem, cùm potest, reddendo emptori eandem summam quam accepit, atque ita rursùs sibi emendo, quod antè vendiderat. Vtrinque redimibilis dicitur, cùm ita conventum est, vt tam emptor, quàm venditor possit emptionem factam resolvere, & summam quam dedit, repetere. Less. *d.* 10. Dian. *p.* 2. *t.* 5. *m. Res.* 76. Vide dicta *de pacto retrovend. in emp. suprà.*

7. Nihilominùs, quia contractus census redimibilis ex parte emptoris, est res periculosa, suaderi non facilè debet: nam in Constit. Martini V. & Calixti III. PP. vtì, & Caroli V. Imp. vsurarius contractus iudicatur. Verum id intelligi debet secundùm præsumptionem fori externi præterquàm quòd illæ Constitutiones multis locis eatenus nõ sint receptæ, quatenús prohibent ea, quæ iuri naturali non adversantur, vt notat Laym. *lib.* 3. *t.* 4. *c.* 18.

8. Census vitalitius, quia est virtualis sponsio, & nititur eventu fortuito, licitus est Fill. Dian. *p.* 7. *t.* 9. *R.* 70.

DVBIVM X.

Quid sit Cambium?

Respond. Cambium, quod permutationem significat, hìc accipitur pro sola permutatione pecuniæ. Et est con-

Universidad de Deusto Biblioteca

contractus, quo Campsor aliquis Cãpsario volenti cambit pecunias, cum lucro aliquo præter sortem. Quòd si sine intentione vsuraria fiat, ob titulos iustos tali lucro æstimabiles, patet non esse malum. Vndè cùm quatuor sint cambiorum genera, nimirùm. 1. Cambium minutum, seu manuale. 2. Cambium per litteras. 3. Cambium reale. 4. Cambium siccum, seu fictum *circa ea resolvuntur.*

1. Licitum est cambium minutum, in quo dantur pecuniæ maiores pro minoribus, vel contrà; quia hîc sunt iusti tituli aliquid lucrandi, nimirùm labor Campsoris in numeranda pecunia; item diligentia in pecunia omnis generis conquirenda, vt Campsarijs quibusvis sit paratus; item puritas materiæ, & commoditas, vt cùm aurum, vel alia moneta commoda datur, pro minuta, & incommoda. Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 19. *nu.* 4.

2. Licitum est item cambium per litteras, cùm scilicet campsor hic, v.g. Monasterij, prior accipit pecunias, quas posteà litteris datis alibi, v.g. Francofurti refundit per suos factores; quia hîc etiam sunt iusti tituli, scilicet virtualis traiectio pecuniæ, & eius assecuratio, tantundem enim facit, acsi Campsario pecuniam eius Francofurtum transferat sine periculo. Minùs tamen Campsor exigere debet, quàm si realiter transtulisset. Laym. *loc. cit.* Bon. *d.* 3. *q.* 5. *p.* 1. Navar. Less. &c.

3. Item licitum est cambium reale, cùm Campsor hic Monasterij, prior dat pecunias, vt per suos alibi eas recipiat à Campsario, qui alibi habet pecunias, sed eget nunc eis hîc. Titulus huius cambij est item translationis, & assecurationis; tantundem enim facit Campsor, ac si pecunias Campsarij absentes sisteret hîc præsentes, vel vt alij aiunt, ac si præsenti pecuniâ emeret absentem, quæ vtique minùs valet. Lay. *l.c. nu.* 6. & 7. Bon. *l c.*

4. Illicitum est cambium fictum, seu siccum, quod nihil aliud est, quàm titulus lucrandi: vt v.g. Titius indigens pecunijs petit à Campsore sibi dari 100. Campsor autem non aliter dat, nisi Francofurti, v.g. vel alio loco distante solvendos, petitque ab eo pretium, quod solet dari pro locis similibus. Titius ergo accipit, & tamen verè non cogitat reddere in istis locis, imó forsan nec habet istic correspondentem, idque constat Campsori: contractus hic est cambium fictum, ac reverà mutuum ideóque palliata vsura. Excusabitur tamen Campsor, si lucrum illud exigat titulo lucri cessantis Plura Vid. apud Tol. *l.* 5. *c.* 52. Bon. *d.* 3. *q.* 5. *p.* 1.

5. Quod attinet ad cambium Francofurtense, in quo mercatores dantes cambium ad proximas nundinas, quó magis eæ distant, eó plus exigunt, si ideó præcisé plus exigatur, quia solutio diutiùs differtur, vsura est: si autem ratione alterius tituli iusti, v.g. lucri cessantis, cùm pecunia mercatorũ sit instrumentũ lucrandi, quo si diutiùs carent, carent lucro, & quò longius est tempus, eò plures cambium petunt, ideóque crescit valor pecuniæ, tunc lucrum est iustum. Laym. *l. c. num.* 9. ex Mol. Less. &c.

6. Qui cambiendo, (vel aliter) pecuniam adulterinam accepit, sive ex ignorantiâ, aut inadvertentiâ, non potest illam expendere: quia res vitiosa non potest tradi alteri, vitio non detecto, vt suprà *de vendit.* Neque ex eo quód ipse deceptus est, potest decipere alios, cúm actio, qua deceptus fuit, nullum ad hoc ius tribuat. Bonacin. *d.* 3. *quæst.* 5. *part.* 1. ex Azor. Sanch. &c.

DVBIVM XI.

Quid sit Locatio, & Conductio?

RESp. Est contractus quo quis personam, vel rem aliquam mobilem, vel immobilem alteri ad tempus vtendam, vel fuendam concedit, certo pretio, aut mercede, seu pensione constituta. Vtenda conceduntur, v.g. elocata domus, equus, servus, &c. fruenda conceduntur, elocatæ vaccæ, capra, fundus, pomarium, &c. Vndè considerata huius contractûs natura, & iuris dispositione *resolvuntur sequentes casus.*

1. Si res locata ante traditionem pereat, contractus dissolvitur, & conductor liberatur.

2. Si absqe culpa conductoris vsus, vel fructus rei cesset, v.g. quia domus ruinam minatur, infestatur spectris, vel ob periculum pestis (nisi tamen quoad hoc consuetudo sit contraria) aut belli, tutam habitationem non præstat, liberatur conductor à solvenda pensione pro tempore, quo non potest inhabitare, vel aliâ re conductâ vti, vel frui, vt Vid. apud Laym. *lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 23. Less. *l.* 2. *c.* 24. *dub.* 1. &c.

3. Servo, aut laboratori conducto non debetur stipendium temporis notabilis, quo æger decubuit; nec ægro, nisi expensæ modicæ: nisi tamen aliter sit conventum, aut consuetudo ferat. Vide Sà, *V. Conductio.*

4. Propter modicum damnum, vel infortunium, nihil remittitur colono de pensione; secùs si magna sit clades. Quod si tamen antecedentium, vel sequentium annorum fertilitate damnum compensetur, non remittitur. Laym. *nu.* 7. Less. *l.* 2. *c.* 24. *d.* 4.

5. Si pluribus annis ob cœli clementiam (secùs si ob industriam colentis) vberiores fructus ex fundo elocato proveniant, potest colono pensio augeri. Laym. *nu.* 8.

6. Expensas facere in rem conductam, quæ duraturæ sunt, v.g. conservare sarta tecta, tributa, & onera publica prestare, ad locatorem, seu Dominum spectat, nisi aliter conventum sit, aut consuetudo ferat. Lay. *l. c. n.* 4.

7. Si conductor in rem conductam necessarias, sive vtiles expensas fecerit, potest eas de pensione detrahere, vel repetere à locatore; dum non solvuntur, retinere rem conductam. Laym. *l.c.* Mol. *d.* 496.

8. Etsi incendium plerumque accidat culpâ inhabitantium, & sic in dubio contra illos præsumptio sit; quia tamen sæpè id fit culpâ famulorum, quâ pater-familias prestare non cogitur, hinc conductor absolvendus est, nisi locator ostendat culpam. Vide Lay. *supra num.* 6. & Dian. *p.* 7. *t.* 7. *Res.* 31. vbi ex Hun. & Berl. docet, si constet accidisse culpâ certi, & determinati alicuius de familiâ, isque circa officium suum deliquerit, v.g. stabularij, qui lumen malè custodierit in stabulo, teneri patrem-familias (nisi famulus iste pro fideli, ac diligenti fuerit habitus) de damno: secùs si culpâ alterius; vel si non constet, verum casu, an culpa cuiusquam acciderit.

9. Si conductor domûs v.g. ante tempus velit emigrare, id quidem licet; go-

Universidad de Deusto Biblioteca

potestque alteri locare; cæteroqui autem de pensione nihil ei remittitur.

10. Locator non potest ante tempus præfinitum conductorem invitum privare re conducta, nisi in his casibus. 1. Si pensionem non solvat: expectare tamen debet biennium, si vltra biennium res sit conducta. 2. Si casus improvisus accidat, ob quem domus v. g. ipsi domino necessaria sit. 3. Si rem locatam reficere necesse sit, nec possit fieri altero inhabitante. 4. Si conductor in re conducta malè versetur, v. g. destruat, vel abutatur, vt alendo ibi meretrises. Lay. *nu. 9.*

11. Successor vniversalis, sive hæres, non potest ante completum tempus conductorem expellere: partialis autem successor, vt emptor, donatarius, legatarius, &c, non tenetur stare contractui locationis, vti neque conductor; nisi tamen aliter pactum sit, verbi gratia, ne res locata durante tempore locationis alienetur. Vid. Less. *lib.* 2. *cap.* 24. & Layman. *lib.* 3. *t.* 4. *cap.* 22.

DVBIVM XII.

De Contractu Emphyteusis, Feudi, & Libelli?

Resp. 1. Emphyteusis est contractus similis locationi, in quo res immobilis, quæ culturâ possit effici melior, conceditur alteri, vel in perpetuum, vel non breviùs saltem quàm ad decennium; ita vt dominium eius directum, & possessio civilis maneat apud dominum, qui tradit in emphiteusin; dominium autem vtile transferatur in emphyteutam, cum hoc onere, vt quotannis certum canonem, vt vocant, seu pensionem domino solvat, quam si totam solvere negligat 26. annis continuis in emphyteusi Ecclesiastica (cùm scilicet res est Ecclesiæ, vel pij loci) vel in sæculari 36. annis, incidit ipso iure in pœnam commissi, vt dominus eum expellere possit, etsi de solutione interpellatus non fuerit: licèt enim Bart. & alij quidam apud Dianam. *p.* 8. *tr.* 7. *Res.* 36. dicant, si per 30. vel 40. annos non solverit, eum præscribere immunitatem in futurum; id tamen Vvesemb. & alij 5. negant. Vid. *l. c.* Porrò quid iuris sit in hoc contractu, pendet ex consuetudine locorum quę varia est, & ex ipsâ conventione contrahentium, quæ scripto instrumento confici debet, vt valeat. Vid. Lay. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 23. Less. *l.* 2. *c.* 24. *d.* 8.

Res. 2. Feudum est contractus similis emphyteusi, quo res immobilis alicui conceditur cum translatione dominij vtilis, proprietate retentâ, sub onere non quidem aliquid solvendi, sed exhibendi fidelitatem, & obsequium personale directo domino. Quod si item non faciat Vasallus (sic enim dicitur feudi acceptor) perdit feudum. Interdum etiam in feudo aliquid persolvi debet in recognitionem dominij directi, sed tunc ex eâ parte deficit à puro feudo, & declinat ad emphyteusin. Porrò quid iuris sit circa feuda, pendet item à locorum consuetudine; quę iuris communis sunt. Vid. *l. c.*

Resp. 3. Contractus libellaticus, sive datio ad libellum, dicitur, cùm emphyteuta, vel feudatarius rem illam, quam in feudum, vel emphyteusin accipiat, simili contractu tradit tertio, (ad quod tamen si in decennium fiat, requiritur domini consensus) ita vt sit quasi subfeudum, & subemphyteusis. Ita Less.

DVBIVM XIII.

Quid sit Sponsio, & Ludus?

Resp. Sponsio est contractus, in quo duo de veritate, aut eventu alicuius rei certantes, sibi invicem aliquid spondent, vt id eius sit, qui veritatem assecutus fuerit, v.g. certo tecum 10. imperialibus hanc vel istam Civitatem obsessam, captam, &c. Vt licèt fiat, requiruntur. 1. Vt fiat, super re dubia. 2. Vt sit æqualitas in re, quæ spondetur cum æquali certitudine. 3. Dubius eventus in vtroque. 4. Vt vterque eodem sensu accipiat id, de quo certatur. Mol. Less. C. Lugo, *d.* 36. *s.* 6.

Ludus verò est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, vt victori cedat, quod vterque deposuit. Hi contractus iure naturæ liciti sunt, modó debitæ conditiones adsint, & aliundè non interveniat scandalum, aut iusta prohibitio, aut iniquitas se misceat, nec peccati sit occasio. Quia sicut quivis suæ rei dominus, potest alteri eam donare absolutè; sic etiam sub aliquâ conditione, sive ea fortuita sit, sive ex industriâ pendeat. Less. *c.* 26. *dub.* 1. Bon. *d.* 2. *q.* 3. *p.* 1. *Vndè resolves.*

1. Qui rei dominus non est, aut alienare eam non potest, non potest etiam de eâ ludere, aut deponere: & sic deberet restituere, qui lucratus esset à Religioso, & filio-familias, non potente alienare. Lay. *l* 3. *t.* 4. *t.* 21. *num.* 5.

2. Si tamen filius familias (& idem de Religioso ait Nayar. apud Less. *loc. cit. d.* 1.) alatur in distanti loco à parentibus, poterit ex alimentis moderatè aliquid insumere in honestum lusum, v.g. 5. ex 100. quia talis communiter præsumitur voluntas parentum, vt habet Sot. *l. c.* Laym. &c. Ac præterea potest, etiam filius deponere, quidquid lucratus fuerit, cùm ad hoc etiam parens censeatur tacitam facultatem dare. Lay. *l.c.* Bonac. *de rest. d.* 1. *q.* 3. *p.* 2. *num.* 10. *& seq.*

3. Tenetur restituere, qui vicit, faciendo contra conditiones ludi, & decipiendo, aut fraude, ac per iniuriam alterum pertraxit ad ludendum; vt v.g. si simularet se planè ignarum lusûs, & sic alterum multò imperitiorem provocaret, qui alioqui ludere noluisset; aut si convitijs lacesseret, ad quæ vitanda alter consensisset in lusum, aliàs non consensurus. Molin. *d.* 517. Laym. *loc. cit.* Bonac. *d.* 2. *q.* 3. *p.* 2. *num.* 3.

4. Si in re quæ spondetur, sit inæqualitas, & hæc alteri parti (v.g. cuius pecunia maior est) sit nota, isque nihilominùs spondere velit, valet contractus probabiliter: quia scienti, & volenti non fit iniuria, vt dicit Nav. Medin. Sanch. Dian. Contrarium tamen probabiliùs docet C. Lugo. *d.* 31. *s.* 6. *nu.* 81. ex Molin. Less. & Bon. Si autem ignota sit, non potest alter lucrari; quia non est æqualis conditio vtriusque, & alter nulli se exponit periculo. Vid. Az. *p.* 3. *l.* 5. *c.* 25. *q.* 7. Bona. *d.* 5. *q.* 3 *p.* 2. *q.* 36. *num.* 3. Salas *de Lugo dub,* 13. *num.* 3. Escob. & C. Lugo *l.c.*

5. Per se quidem, & iure naturæ licita est etiam sponsio de futuro eventu, qui damnum proximi coniunctum habet; v.g. Petrum intra annum morituram; (etsi enim detur occasio optandi,

Universidad de Deusto Biblioteca

tandi, vel machinandi mortem Petro, id est per accidens, potestque idem periculum esse in censu vitalitio) iure tamen humano sæpé prohibetur. C. Lugo. *l. c. num.* 74.

6. Etsi sponsio cum conditione illicita, v.g. plus altero potaturum, sit illicita, quia inducit ad peccatum quod tamen eâ lucratus es, non teneris restituere. Sanch. Lugo, Diana. *p.* 7. *t.* 9. *Res.* 69.

7. Probabile est quod docet Mol. &c. dum quis minis, vel convitijs, ad lusum inductus est, & perdit, victorem non teneri restituere: quia talis absoluté voluntariè lusit, Bona. *loc. cit.* ex Mol. & Car. contra Azor, Less. Regin. &c. communiter.

8. Communior sententia est, teneri restituere, qui lusit, vel certavit certò præsciens se victurum esse; contrarium tamen, nempè non teneri, dummodó dolus abfuerit; tenet Tol. & Sà, *V. contractus*; quia non tenetur quis ex iustitiâ suam peritiam, vel scientiam adversario declarare; sed is suæ temeritati imputet, quod ausus fuerit cum eo deponere, cuius scientiam non norat. Vid. Bon. *l. c. num.* 5. Diana. *p.* 7. *t.* 9. *Res.* 62.

9. Non tenetur restituere, qui vtitur astutijs illis, quas regulæ lusûs, & consuetudo recepta patitur, cum vterque sciat tales astutias esse solitas, & sic tacitè in illas liberè consentiat. Azor, Fill. Less. Bonac. *l. c. p.* 2. *nu.* 2. v. g. 1. Si potiores chartas habens, & securus de victoriâ, augeat sponsionem, vel simulet metum, vt adversarius augeat. 2. Si sciens se inferiores chartas habere, dissimulet, augeatque sponsionem, vt sic relinquatur sibi, quod erat appositum. Lugo, Sanch. Sal. Dian. *p.* 7. *tr.* 9. *Res.* 43. 3. Si inspiciat chartas alterius, ex solâ ipsius negligentiâ, & absque fraude; secùs si ita collocet, vt possit videre; vel si alium constituat à quo admoneatur. 4. Si chartas à tergo discat nosse inter ludendum, quas ante non signarat, nec noverat. Trul. Sanch. Lugo Dian. *p.* 4. *t.* 9. *R.* 50. & 52.

10. Qui verò vtitur fraudibus non adhiberi solitis, vel colludenti ignotis; v. g. suffuratur chartas, vel signis à tergo notat, vel vtitur notarijs, aut ijs quas antè novit, ignorante socio, vel arte quadam eas componit, &c. tenetur restituere non tantùm lucrum, sed etiam quantùm alteri valebat spes lucrandi; imó etiam colludenti. Regin. Amic. Trull. Dian. *loc. cit. Res.* 48. v. Etiam. *p.* 4. *t.* 3. *R.* 75. & Bonac. *de rest. d.* 2. *q.* 3. *p.* 2.

11. Si ludens habeat animum non solvendi, vel si perdat, repetendi, non potest lucrari, atque adeó nec retinere, quod est lucratus: quia fraudulenter decipit, nec alter vellet cum eo ludere, si id sciret. Less. *l. c. d.* 5. *nu.* 31. Regin. *nu.* 388. Bon. *loc. cit.*

12. Peccant graviter, & communiter mortaliter, qui totos se lusibus tradunt, cùm sciant in gravia se indè peccata labi, aut impotentes reddi ad solvenda debita, vel alendos liberos, & vxorem, &c. Sanch. Trull. *c.* 27. *dub.* 1.

13. Peccat item ludens, si lusus lege positivâ sit prohibitus, vt lusus aleatorum, & similis, qui magnis in fortunâ, & casu, quam industriâ fundantur. At Laicis ratione circunstantiarum sub veniali; Clericis sub mortali prohibentur. Less. *l.* 2. *c.* 26. *num.* 6. Intellige, si Clericus crebrò, perque longum tempus luserit, non autem si per breve tempus & causâ recreationis, & absit scandalum: quia Canones id prohibentes non videntur recepti, nisi quatenus id fieret cum periculo scandali, vt habet Less. *dub.* 1. Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 21. *num.* 1. Notat autem Dian. *p.* 7. *t.* 9. *Res.* 2. & 3. ex Lugo Dicast. Amico, Trul. &c. prædictis legibus per contrariam consuetudinem ita derogatum esse, vt non tantùm Laicus, sed etiam Clericus non peccet, si principaliter pro recreatione, & simul pro lucro moderato ludat chartis, vel aleis. In Religiosis tamen (apud quos disciplina regularis viget) vti, & Episcopis, à peccato gravi excusari vix posse, *ibid. Res.* 4. ex Mol. Dicast. Lugo, &c. etsi Sanch. conetur excusare, si vrgeat necessitas, v.g. excitandi aut recreandi infirmum; vel si parum ludat ob solam recreationem.

14. Si quis ludo tali vetito lucratus fuerit, iuxta sententiam probabiliorem, non tenetur ad restitutionem ante iudicis sententiam: quia iura non annullant contractum, nec impediunt acquisitionem dominij, sed tantùm concedunt, vt possit repeti. An verò qui tali lusu perdidit, teneatur postea adhuc solvere, alij negant. Vid. Less, *hic dub.* 5. Molin. Regin. Fill. &c. alij affirmant, vt Azor. Reb. Valen. &c. apud Bonac. *l. c. par.* 3. *num.* 2. Vid. Dian. *p.* 2. *tr.* 7. *Res.* 8. & *p.* 7. *t.* 9. *R.* 21.

15. Ludere pro psalmo, vel oratione Dominicâ recitandâ, non est peccatum, nec irreverentia Nav. Rebel. Dian. *p.* 7. *t.* 9. *Res.* 1.

DVBIVM XIV.

Quid sit Contractus Societatis?

RESP. Is est, cùm aliqui inter se conveniunt, & contributis aliquibus rebus ad lucrandum idoneis, sive fructiferis, vt pecuniâ, animalibus, industriâ, labore, &c. commune aliquod lucrum faciunt; quod, vt i, & damnum pro ratione, & ratâ cuiusque dividunt inter se. Vid. Less. Layman. *c.* 20. Bon. *q.* 6. *p.* 1. Vndé spectando id, quod ratio, & iustitia naturæ hìc requirit, *resol-* *solvuntur hi Casus.*

1. Plus lucrari debet; qui confert pecuniam, & operam suam, quàm qui vel pecuniam, vel operam solam.

2. Capitale seu sors, quam quivis contribuit, si pereat casu, vel culpâ, sociorum levissimâ; contribuenti perit. Vbi discrimen est inter hunc contractum, & mutuum: quia in mutuo sors data alienatur, & dominium eius transfertur in mutuatarium cuius proinde solius periculum ac damnum est, si casu pereat; in societate autem, qui sortem confert, eam non omninò alienat à se: & sicuti commodum, ac lucrum ad eum spectat, sic etiam periculum, & damnum. Bon. *l. c.*

3. Potest tamen etiam fieri in hoc contractu, vt quis iustè servet sortem suam indemnem, & insuper certum lucrum percipiat, si nimirum ad contractum societatis adiungantur duo alij assecurationis, & venditionis, cuius tale exemplum ponit Laym. Inis societatem cum mercatore, & contribuis ei 1000. florenos, verbi gratia, spes est, quòd is quotannis lucraturus sit 300. cuius lucri dimidium, v.g. iure societatis tibi debetur vnà cum sorte; sed quia ad te quoque pertinere deberet eiusdem sortis periculum, vt ipse id periculum in se suscipiat, & tibi sortem assecuret, in huius oneris compensationem, relinquis ei maiorem partem lucri

Universidad de Deusto Biblioteca

ſperati, vt ſcilicet duas partes lucri ad ipſum, & tertia ad te pertineat. Et rurſus, quia ſpes lucri huius incerta eſt, ideó adhuc partem hanc lucri ſperati, nempe 100. florennos in ſpe, vendis etiam eidem 50. vel 60. v.g. annuis certis, & in re, & ſic tandem id lucrum facis, & ſortem ſervas indemnem. Vid. Laym. & Bonac. *ll. cc.*

4. Societas etiam in pecoribus validè, & licitè inſtituitur. Et interdum quidem ita, vt tam pecora ipſa, quæ alteri paſcenda, & nutrienda traduntur, quàm emolumenta, & fructus ipſaque detrimenta, & damna, danti & accipienti communia ſint: interdum veró, ita, vt pecorum dominium, ideòque etiam periculum, ſive caſus fortuitus, ſpectet ad ſolum dantem; emolumenta autem fructuum, nempè fœtús, lanæ, lactis, ad vtrumque. Vid. Leſſ. *hic.* & Layman. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 20.

DVBIVM XV.

Quid ſit aſſecuratio, & Fideiuſſio?

Reſp. 1. Contractus Aſſecurationis eſt, quo quis alienæ rei periculum in ſe ſuſcipit, obligando ſe vel gratis, vel pro certo pretio, ad eam compenſandam ſi perierit. Quod ſi gratis fiat, eſt gratuita promiſſio: ſi pretio, eſt quaſi emptio, qua aſſecurans vendit ſuam obligationem, præſtandi alteri rem eius indemnem. Ad eius iuſtitiam requiritur, vt eventus rei ſit incertus vtrique, ſaltem quoad notitiam, quam de eo habent; quia alioqui non ſervaretur æqualitas. Leſſ. Bonac. *d.* 3. *q.* 9. *p.* 3. Leſſ. *l.* 2. *cap.* 28. *d.* 4. *numer.* 24. *Vndè reſolves.*

1. Si aſſecurans certus ſit, rem eſſe in tuto, iniquè pretium petit, & tenetur reſtituere Ibid. Bon. *d.* 3. *q.* 9. *p.* 3.

2. Si res nondum eſt in tuto, etſi privatâ ſcientiâ ſciat non fore periculum, licere nihilominùs pretium ordinarium aſſecurationis accipere, dicit Leſſ. *l. c. num.* 27. Quia illa obligatio, ob pericula ordinaria magni æſtimatur: & cauſæ occultæ, quæ periculum minuunt, non imminuunt communem æſtimationem. Verùm id Bon. *d.* 3. *q.* 9. *p.* 3. *n.* 3. & C. Lugo, *d.* 31. *ſ.* 7. rectiùs negant.

3. Si cupiens rem ſuam aſſecurari, certò ſciat, eam iam perijſſe, non poteſt paciſci de eius aſſecuratione. Vid. Leſſ. *l. c. nu.* 25.

Reſp. 2. Fideiuſſio eſt contractus, quo quis alienam obligationem ſuſcipit implendam, ſi debitor principalis non ſolverit. Ita commun. Doct. *Vndè reſolves.*

1. Pro fideiuſſione licet accipere pretium, etſi nullum periculum timeatur; quia ex ſe pretio eſt æſtimabilis. Navar. Azor. *p.* 3. *l.* 11. *c.* 22. *d.* 5. Fil. *nu.* 159.

2. Mulieres fideiuſſione (ſaltem ſi iuramentum abſit, & inſtrumentum publicum) non tenentur, vti nec Clerici, niſi quatenus ſolvere, commodè poſſunt, vt non egeant. V. Lay. Bon. *q.* 9. *p.* 2. Leſſ. *l.* 2. *c.* 28.

3. Fideiuſſor, non obligatur plus, quam principalis, & huius obligatio, ſi ſit invalida, erit etiam fideiuſſoris. C. Lugo, &c. commun.

4. Fideiuſſor regulariter non poteſt conveniri, niſi, factâ executione principalis debitoris, conſtet ipſum non eſſe ſolvendo, Azor. *l.c.* Fil. *nu.* 153.

5. Debi-

5. Debitor tenetur de omni damno ſua culpa accedente fideiuſſori, &c. V. Azor. *d.* 10. Bon.

6. Ex Fideiuſſione Religioſi propria authoritate facta, Monaſterium non obligatur, niſi quatenus in eius vtilitatem verſum eſt. Vid. Leſſ. *c.* 28. & Laym. *c.* 29. *nu.* 7.

7. Qui fideiuſſit pro eo, cui periculum capitis impendebat, ſi hic aufugit, non eſt eius loco plectendus, quia non præſumitur ſic ſe obligare; imó nec poteſt, cum non ſit dominus vitæ Sylveſt. Bon. Leſſ. *d.* 7. *n.* 41.

8. Si debitor ſua culpa, non ſolvit, tenetur fideiuſſori, qui pro ipſo ſolvit, non tantùm ipſum debitum, ſed etiam damna, & expenſas omnes compenſare. Si veró ſine ſua culpa, v.g. ob impotentiam non ſolvit, ad ſolum debitum videtur teneri. Azor. Sylv. Sà. Bon. Trull. *c.* 26. *d.* 2.

DVBIVM XVI.

Quid ſit Pignus, & Hypotheca?

Reſp. Pignus eſt contractus, quo debitor dat creditori rem aliquam mobilem, vel immobilem, vt ſit pro debito obligata, ex eâque ſolutio peti poſſit. Aliquando tamen pignus accipitur pro ipsâ re, quæ datur. Differt autem ab hypotheca, quod pignus propriè ſit rei mobilis, illa immobilis. Mol. Fil. Bon. *q.* 10. *p.* 1. *Vndè reſolves.*

1. Pignore non licet vti contra voluntatem domini; quia eſt res aliena, ad ſecuritatem tantùm, & non ad vſum tradita. Bon. *l.c.* ex Molin. Reg. &c. Si tamen vtatur v.g. equo, vel agro, debet valorem vsûs vti, (& fructus omnes, ſi ſit res ex ſe fructifera) computare in ſortem, deductis expenſis; quia alioqui committet vſuram, cùm res domino ſuo fructificet. Navar. Bonac. Trull. *d.* 26. *d.* 2.

2. Non poſſunt oppignerari, quæ non poſſunt vendi, v.g. Eccleſiæ, Molin. *d.* 530. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 28. *d.* 3. Bonac. *loc. cit.*

3. Immobilia, vti & mobilia pretioſa, cultui divino dicata, v.g. calices, caſulæ, &c. non poſſunt oppignerari, niſi in neceſſitate, quia tunc etiam vendi poſſunt, vt Eccleſiæ, & indigentibus ſubveniatur. Vid. Navar. *cap.* 17. Leſſ. Bonac. *loc. cit.*

4. Creditor, qui pignus ab aliquo accepit, poteſt illud alteri oppignerare, ſed non pro maiore quantitate. Neque poteſt vendere debitore non ſolvente, niſi poſt biennium, & eo priùs monito. Quidam tamen dicunt poſſe vendere poſt trinam monitionem. Vid. Lay. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 30. Bonac. *loc. cit. num.* 9.

5. Eandem rem non licet oppignerare, ſeu in hypothecam dare pluribus, niſi ſit ſufficiens ad ſolvendum omnibus, vel poſteriores de priore hypothecâ admoneantur. Az. Fill. Bon. *d.* 3. *q.* 10. *p.* 1. Trull. *c.* 26. *d.* 4.

Quæres. Quid ſit contractus Antichriſeos?

Reſp. Is eſt, cùm in contractu pignoris convenitur, vt creditor vtatur pignore, v.g. agro, ac fructus indé tam diu lucretur, donec debitum ipſi reſtituatur. *Vndè circa hunc ex ſupradictis reſolves.*

1. Contractus hic videtur iuxta Caiet. Sot. &c. (contra quoſdam Iuriſtas) eſſe vſurarius, quia creditor vltra ſortem aliquid lucratur, causâ ſolius

Universidad de Deusto Biblioteca

mutui, quæ est vsura. V. Lay. *lib* 3. *t*.4. *c*. 16. *n*. 17.

2. Possunt tamen intervenire tituli iusti lucrandi fructus ex pignore sine diminutione sortis; vt si v.g. fructus ex hypothecâ percepti non superent quantitatem pensionis, quæ iure censûs super eadem constituti exigi potest, cum pacto redhibitionis, vt suprà dictum est de censibus: aut si alioquin lucrum cesset, aut damnum emergat, dum debitum differtur. Vndè non facilè damnandi illi, qui à Principibus in loeum debitorum, agros, pascua, officia, &c. in antichrisin habent. Vide Laym. *loc.cit.* & Binsfeld. *de vsuris*, Mol. Less. &c.

CAPVT IV.

De Tutela, & Testamentis.

DVBIVM I.

Quid sit Tutela, & Curatela?

RESp. Sunt quasi contractus, quibus Tutor, & Curator ad procuranda bona; & commoda Minorum cuiuscunque sexûs, qui vel parente carent, vel sub eius potestate constituti non sunt, obligatur ex iustitia, perindè acsi ex contractu ea obligatio suscepta fuisset; supplente nimirùm lege vel Magistratu vim contractûs. Differunt Tutor, & Curator, quòd Tutor solùm datur impuberibus, etiam invitis; & principaliter datur personis, vt curet earum educationem, & institutionem; secundariò verò datur etiam bonis illius, respectu omnium negotiorum. Curator verò datur Minoribus; post annos expletos pubertatis, vsque ad annum 25. completum: nec communi iure datur invitis, nisi in certis casibus; & datur principaliter rebus Minorum, secundariò personis. Vndè pro directione in foro conscientiæ, ex iure, tum, naturali, tum positivo communi resolves ex Lay. & Tan. *t*. 3. *d*. 1. *q*.7. *d*. 10. Bon. *d*. 3. *q*. 19.

1. Tutores sive sint testamentarij, hoc est, relicti ex testamento, aut codicillo patris; sive sint dativi, hoc est, constituti á Iudice, aut Magistratu; sive sint legitimi, hoc est, præscripti à lege, (qualis præ cæteris est mater, si velit, & promittat se non transituram ad alias nuptias, quin priùs tutelam abdicet, & rationem reddat; dein avia, & consanguinei proximiores idonei) tenentur, vti, & Curatores, iurare, se fideliter officium suum facturos, ac fideiussorem dare, rem Minoris salvam, & integram restituendam; & vniversim tacitè omnia eorum bona sunt hypothecata Minori; ita vt ad quemcumque pervenerint, possit illa Minor sibi vindicare, vt sibi satisfiat, si quid illorum culpa est passus. V. Tan. *l.c.* Lay. *l*. 3. *t*. 4. *c*. 9. Bon. *l.c.*

2. Bona Minorum tenetur Tutor, vel Curator administrare eâ curâ, quam diligens pater-familias proprijs suis rebus adhiberet tam impediendo, & precavendo damna, quàm procurando commoda, & lucra Minoris: alioquì damnum, & defectus congrui lucri ipsi imputabitur, & tenebitur etiam in conscientiâ ad restitutionem. Vid. *suprà l*.2. *t*. 3. *c*. 2. *d*. 3. *Res*. 6.

3. Bona immobilia Minorum aut alia pretiosa quæ possunt servari, non possunt alienari, saltem sine Iudicis decreto.

4. Tutori, aut Curatori, & personis ei subiectis nihil licet emere, sive per se, sive per alium, ex vllis bonis Minoris; quandiu illi tales sunt: nisi cùm authoritate Iudicis, aut cùm eius decreto bona pupillorum publicè, per iuratum venditorem omnibus venialia exponuntur.

5. Sine decreto Iudicis non potest Minor remmittere, vel renunciare hæreditati, legatis, fideicommissis, alijsque iuribus sibi acquisitis. Si tamen Religionem ingressus sit, potest bona alienare, quia moritur quasi.

6. Pupillus dum infans est, hoc est, minor septennio, vel infantiæ proximus; (ita vt si masculus est, non expleverit annum decimum cum dimidio: si fœmina, nonum cum dimidio) nihil per se efficere potest, quo vllo modo, vel alteri obligetur, vel alium sibi obligetur: at pubertati proximus obligare quidem sibi potest alium, sed non se alteri, saltem civiliter. Sanch. *d*. 38. Less. *l*.2. *c*. 17 *n*. 61. Laum. *c*. 9. *nu*. 7.

7. Eadem est ratio Minoris si Curatorem habeat; quem si semel susceperit, tenetur illi subesse iure communi vsquè ad annum 25. expletum: & si litem habeat, tenetur ad eam sumere Curatorem, exceptis tamen causis spiritualibus. Quod si Curatore careat, valent acta per illum ita tamen, vt si læsus sit, restituatur in integrum. Vide Auth. cit. & Bon. *d*.3. *q*. 5. *p. vlt.*

8. Etsi Minores sine Curatorum authoritate donare non possunt, nisi quæ eius conditionis adolescentes donare solent, (in ijs enim præsumitur tacitus consensus Curatoris,) qui tamen dona ab ijs accipit, non tenetur restituere, nisi repetantur legitimé, quia probabile est valere naturaliter, tametsi non civiliter. Mol. Lugo, Trull. Dian. *p*.8. *t*. 6. *Res*. 4. & 7.

9. Tenentur Curatores, & Tutores singulis annis administrationis rationem reddere: vbi si quis deses, aut nexius reperiatur, amovendus est, imposita satisfactione, aliusque subrogandus.

10. Si Tutor, vel Curator, post rationes officij redditas: fidelis deprehensus fuerit, debetur ei prœmium: quod quibusdam locis est vicesima pars redditiuum bonorum omnium Minoris; in alijs autem decima pars.

11. Porró qui non possint esse Tutores, & Curatores, & qui à tutela, & curatela excusentur, ne ijs imponi possint, v.g. habentes quinque filios superstites, pauperes, &c. Vid. apud Tan. *l.c.* & Sà, *V. Minor*, vbi sic habet: *Tutor non potest esse iunior* 25. *annis, nisi fortè mater; nec Religiosus, nec fœmina, nisi mater, aut avia, (& vxor casu antè dicto) nec Clericus in Sacris, si non velit, nec Episcopus, nisi miserabilium personarum. Horum verò tutelam suscipere tenentur, & Episcopi, & Clerici & Religiosi; quod ego*, inquit, *de Religiosis vniversim non admitto.* Vid. Laym. *l.c.*

12. Si Tutor, & Curator, cùm tenerentur negotiari, omiserunt, possunt pupilli ab eius accipere 5. pro 100. Sá, *V. Curator*; Vid. etiam Nav. *c*. 25. Plura Vid. suprà. *l*. 3. *tr*. 3. *c*. 2. *dub*. 3.

DVBIVM II.

Quid, & quotuplex sit Testamentum?

RESp. 1. Testamentum est voluntatis iusta sententia, de eo quod quis post

Universidad de Deusto Biblioteca

post mortem suam fieri vult, cum directa hæredis institutione. Quod additur, vt distinguatur à reliquis vltimis voluntatibus; nam differt à legato, seu fideicommisso partiali, quod hoc sit donatio quædam à defuncto relicta, & ab hærede præstanda; à condicillo veró differt; quia codicillus est quasi testamentum imperfectum, & non fit ad instituendum hæredem nisi ex privilegio, v.g. in militiâ, sed ad aliquid in testamento explicandum, addendum, mutandum, detrahendum, vel ad legata instituenda. Vid. Laym. *l.3.t.5.c.1. & seq.* Tan. *t.3. d.4. q.8.* Less. *l.2. c.19.* Bon. *d.3. q.17. p.1.*

Resp. 2. Testamentum est duplex. 1. In scriptis, seu clausum: quod testamentum testator, sive suâ, sive alterius manu scriptum, septem testibus idoneis, non defectuosis, non cæcis, non surdis mutis, nec furiosis, prodigis, infantibus, Religiosis, cognatis, qui in testatoris potestate sunt, (quibus adde ipsum hæredem, & qui in eius sunt potestate) sed masculis, puberibus, liberis, ad id rogatis, & vocatis, coram offert, profitendo id esse suum testamentum: tum si possit, manu suâ subscribit, alioqui octavus pro eo testis: dein omnes, & singuli septem testes eodem tempore subscribunt, si possint, per seipsos, proprioque, vel alieno, aut communi omnes sigillo consignant. Laym. *l.c.* Bon. *p.3. q.17. p.1.* 2. Nuncupativum, quod minorem solemnitatem requirit, scilicet tantùm vt septem testes idonei supràdicti convocati audiant & intelligant testatoris voluntatem, coram eis scripto, vel voce articulatâ prolatam. Etsi veró talis nuncupatio coram testibus, à Notario in scriptum communiter redigi soleat; id fit, non ad actûs substantiam servandam, sed ad meliorem probationem, & securitatem, si testes decedant, vel inidonei reddantur. Si autem testamentum careat solemnitate debita dubiteturque, vtrum testator voluerit conficere clausum, an apertum, valet vt nuncupativum: hæc enim præsumitur testatoris voluntas, ne actus omninó corruat. Sanch. *lib. 4. cons.* Lugo. *t.2. de inst. d.24.* Bard. *d.6. q.10. §.1.*

Porrò præter has solemnitates iure communi requisitas, aliæ sunt partialium locorum; quas in singulis locis norunt periti Notarij, qui proindè ne impingatur, vtiliter adhibentur.

Quæres. An testamentum sit validum, cui desunt solemnitates à iure civili requisitæ?

Resp. 1. Si testamentum factum sit ad causas pias, etiam in foro externo eas non requiri, sed sufficere eas, quæ sunt iuris gentium, scilicet duo testes: in foro autem conscientiæ, suppositâ potestate disponentis, sufficere scripturam, nutum, vel aliud signum testatoris, absque vllo teste. Quod si tamen manus testatoris non extet, requiruntur duo testes in foro externo, inter quos etiam fœmina, esse potest. Covar. & alij 12. Dian. *p.7.t.6. Res.16.* Item Confessarius, vel Parochus esse potest, licèt legata sint pro sua Ecclesiâ, idque ad hoc tantùm, vt voluntas testatoris probati possit, & Iudex pro eâ sententiam ferat. Vid. Less. & C. Lugo. *t.22. §.9.* vbi etiam probat, in tali testamento ad pias causas, non esse necessarium hæredis institutionem. At licèt morte interveniente, non fuerit absolutũ, valet tamẽ quoad legata pia in eo iam expressa.

Malder.

Malder. Laym. Dian. *p.5. tr.3. Res.126.* An autem tale testamentum ad causas pias principaliter factum, si solemnitates desint, valeat quoad legata profana, controvertitur. Negant Bon. & Lugo. Affirmat Cov. Sà, Less. Vill. Sanch. Barbos. Trul. *c.18. d.4.* Dian. *p.7.t.6. R.4.* Denique testamentum ad pias causas, non solemne, revocat aliud solemne, etsi huius mentionem non faciat. Mol. &c. Dian. *p.7. t.6. Res.25.26.* idque etiamsi priùs etiam fuerit ad causas pias Mol. & alij. 6. licèt hoc posterius quidam negent. Vid. *l.c. Res.26. 27.*

Resp. 2. Si testamentum factum est ad causas non pias, hominibus rusticanis quinque testes sufficiunt, si plures haberi nequeant: nec subscriptione opus erit, si Litterati non sint Laym. *l.c. c.2. nn.16.* Bon. *l.c. p.5. nu.4.*

Resp. 3. Tempore pestis non requiruntur septem testes simul congregati ad testamenti subscriptionem, sed sufficit, si singuli separatim adhibeantur: Adde, æquitatem postulare, vt quando testis, vel Notarius haberi non possunt, vltimę volũtates validæ pronuncientur, si de voluntate defuncti liquidò constet. Hinc in Camera Imperiali valet testamentum peste valdè grasante, conditum coram duobus, vel tribus testibus, inter quos Confessarius esse potest. Atque hæc vera sunt secundùm ius communé Cæsareum, seclusis specialibus locorum statutis. Nam Venetijs v.g. & Viennæ, duo testes ad testamentum sufficiunt. Vid. Laym. *l.c.c.2.* Imò absolutè loquendo tempore pestis sufficere solemnitates iuris gentium, atque tres, vel duos testes, docet adeò Dian. *p.7.t.6. Res.34.* ex Sà, Laym. &c. atque inter eos esse posse fœminam, & Notarium ipsum, (tametsi non sit immatriculatus) modò non sit consanguineus, vel affinis defuncti, *Res.36.* ex Menoch. &c. nec opus esse vt sint rogati, vel audiant vocem testantis (etsi hoc quidam requirant) modó eum videant, *Res. 37. & 38.* neque invalidari, licét ægrotus convalescat, *Res.39.* ex alijs 8. Deniquè si Parochus scribat coram vnico teste, habere vim testamenti saltem nuncupativi, dixit Molan. & Marcha. cum Dian. *l.c. Res.34. & 41.* Vid. etiam. *p.5. t.3. Res.123.*

Resp. 4. Etsi probabilis, & secura sententia sit. Cov. Bon. *d.3. q.1. p.4.* & aliorum, testamentum factum ad causas non pias, sine solemnitatibus iure requisitis, invalidum esse in foro conscientiæ, præterquàm quoad legata pia, Molin. Lug. Vasquez, Sanch. Dian. *p.7. t.6. Res.3.* contra Barbos. ita vt hæres, per illud institutus, & legatarius, teneantur ad restitutionem hæredibus ab intestato: contrarium tamen verius est, ideòque licité retinetur, quod tali testamento possidetur. Ratio est; quia illæ solemnitates tantùm requiruntur ad cavendam deceptionem, & ad fidem in foro externo faciendam. Vid. Less. *l.2. c.19. d.3.* C. Lugo. *d.22. §.9.* Vndè secundùm hanc posteriorem sententiam *resolves sequentes casus.*

1. Hæres ab intestato, si sciat voluntatem defuncti, tenetur restituere hæreditatem, & solvere legatarijs, quibus testamento minùs solemni, aut ex voluntate eius debentur. Mol. Less. contra Bon. *l.c.*

2. Si dubius sit de voluntate testatoris, debet cum illis componere pro ratione dubij: quia cùm nec ipse, nec

alij cœperint adhuc possidere bonâ fide, in dubio par est eorum conditio. Vid. Bon. *l.c.*

3. Si hæres ab intestato retineat hereditatem, & legata, possunt illi, quibus aliquid per tale testamentum erat relictum, vti occultâ compensatione: quia reverâ res illæ erant ipsorum. Vid. Bon. *l.c.*

4. Si hæres ab intestato fateatur, mentem testatoris fuisse, vt hæreditatem nomine fideicommissi alteri traderet, vel legatum aliquod solveret; aut si oblato iuramento iurare noluerit, cogendus est, etiam in foro externo, hæreditatem tradere, & solvere legatum.

5. Ob eandem causam idem dicendum est, si fateatur voluntatem testatoris fuisse, vt hereditas, non vt fideicommissum, sed immediatè perveniret ad alium: quia non est recurrendum ad fidem testium, vel ad iuris subtilitatem, quando is, cuius interest, ipse confitetur testatoris voluntatem. Vide Less. & C. de Lugo. *l. c.*

Resp. 5. Etsi probabile sit Clericorum, & Novitiorum testamenta facta ad causas non pias sine solemnitatibus iuris non valere. Molin. & alij 3. cùm tamen contrarium etiam sit probabile, ex Suar. &c. potest hæres ex tali testamento hæreditatem adire pro foro conscientiæ. Dian. *part. 9. t. 9. Res.* 16.

Resp. 6. Milites huius temporis gaudent ijsdem privilegijs testandi quibus olim, dummodò in Castris (vel in propinquo ex causâ legitimâ) versentur. Dian. *p. 7. t. 6. Res.* 42. *& seq.* ex alijs 15. contra Bald. &c. atque adeó sufficiunt ijs duo testes (licèt probabiliter nec hi requirantur, *Res.* 45.) etiam non rogati, *Res.* 46. & alij 4. contra Mol. Lug. &c. etiam aliàs inidonei modó non sint impuberes, nec cœci, vel servi, *Res.* 47. Lugo, Vasquez, &c. Neque opus est eorum subscriptione, vel signorum appositione, vel vt sint in conspectu testatoris. *Ibid.* Imò miles iure militari (quo præsumitur esse testatus in dubio) potest testari solo nutu, *Res.* 49. Potest etiam plura simul testamenta valida facere, vel pro parte testatus, pro parte intestatus decedere, *Res.* 53. *&* 55. Valetque eius testamentum etiam post missionem honestam: sed non vltra annum. Molin. Lugo, &c. *Res.* 61. Denique possunt milites supràdicto modo testari, tametsi sint surdi, & muti: (saltem si in Castris auditum, & vocem amiserunt.) Dian. *Res.* 48. 49. *&* 59. & alij.

DVBIVM III.

De Renunciatione hæreditatum.

Resp. 1. Renunciatio futuræ hæreditatis, nisi iuramento firmetur, nullius roboris est. Ratio est, quia ita iure cautum est, propter bonum publicum. Excipe 1. Nisi quis in ipso testandi actu renunciet iuri successionis, vel post testamentum conditum, in quo præteritus est, præteritionem sui approbet. 2. Nisi hæres necessarius, post debitam sibi portionem integram à patre acceptam, reliquæ hæreditati renunciet; qui tamen, si bona patris posteà augeantur, legitimam eorum portionem potest exigere. Ita Laym. *c.* 7.

Resp. 2. Renunciatio hæreditatis cùm odiosa sit, & contra ius commune, strictæ interpretationis esse debet. *Vndè resolves casus seqq.*

1. Non

1. Non obstat renunciatio hæreditatis, etiam iurata à filio facta, quominús ab eodem patre mutatâ iterum voluntate, possit institui hæres. Mol. Sanch. *l.* 7. *c.* 7.

2. Si filius renunciavit in favorem fratris, eo mortuo ante patrem, is qui renunciavit in primâ hæreditate, succedere potest; imó etiam institui debet; quia causa renunciationis cessavit Mol. *d.* 579. *nu.* 19.

3. Filius post iuratam renunciationem, nihilominùs succedere potest in ijs bonis, quæ pater ad secundas nuptias transiens, liberis ex priore matrimonio susceptis relinquere cogitur. Ratio est; quia in his filius non succedit iure sanguinis, cui renunciavit; sed propter civiles Constitutiones, & favores. Mol. *nu.* 21.

4. Etsi filia accipiens dotem à patre dicat se eâ contentam, & renunciare paternæ hæreditati; pactum tamen illud est invalidum, eoque non obstante, potest posteà petere complementum legitimæ portionis suæ. *Ex L. pactum dotale. Cod. de collat. L. si quando, Cod. de pact. & cap. Quamvis pactum de pact.* 6. Mol. Sanch. *l.* 6. *cons.* Lugo. *Resp. mor. l.* 6. *d.* 24.

5. Si parentes dent filiæ dotem infra portionem legitimæ debitæ, inducantque eam coactione, vel fraude, seu dolo, ad renunciandum legitimæ, non sunt in conscientiâ tuti, sed tenentur illi restituere libertatem. Sanch. *lib.* 4. *de matr. d.* 9. Lugo *loc. cit.* Ac licèt filia, renunciationem iuramento firmaverit, eam servare teneatur; si tamen dolus, vel metus intervenerit, licebit relaxationem iuramenti iniustè extorti petere; eâque obtentâ non tenebitur pacto, quod ex iniustâ coactione processit. Vid. Sanch. *l.* 3. *mor. c.* 12. Lugo *tom.* 2. *de iust. d.* 22. *s.* 8. *& resp. mor. lib.* 6. *d.* 24.

Resp. 3. Omne pactum, vel donatio de alterius viventis hæreditate, ipso iure irrita est: v.g. irritum est pactum, quo Titius hæreditatem, quam sperat à Sempronio, promittit, aut obligat Caio. Ratio est, quia tales pactiones odiosę sunt, & plenæ periculis, ob insidias, quæ parantur eius vitæ, super cuius bonis fit pactio. Lay. *c.* 7. *nu* 3.

Excipe. 1. Nisi consentiat is, de cuius hæreditate agitur, & in eo consensu vsqué ad mortem perseveret. 2. Nisi renunciatio fiat in favorem Communitatis, seu Collegij: hîc enim cessat præsumptio, vel periculum insidiarum. 3. Nisi quis ob Constitutiones Ordinis, de omnibus bonis, & iuribus acquisitis, & acquirendis, disponere debeat, idque in favorem Communitatis piæ, vel etiam certæ personæ pauperis. Sanch. *c.* 2. *num.* 54. Laym. *loc. c. nu.* 3. *&* 4. 4. Nisi fiat pactum circa hæreditatem personæ incertæ: v.g. si quæ mihi hæreditas obvenerit dum vixero, tua esto; cessat enim periculum. Mol. Sanch. *l.* 7. *c.* 2.

Quæres. Quousque se extendat Constitutio Trid. *s.* 25. *c.* 16. *de regularibus*, irritans donationes, & renunciationes, etiam iuratas, quæ fiunt ab ingredientibus Religionem nisi fiant cum licentiâ Episcopi, sive Vicarij, intra duos menses proximos ante professionem; & professio posteà sub sequatur?

Resp. hanc constitutionem non habere locum in codicillis, testamentis, aut donationibus mortis causâ: quia huius constitutionis ratio, est ne per re-

Universidad de Deusto Biblioteca

nunciationem hæreditatis, Novitijs imponatur necessitas profitendi: hæc enim ratio cessat in his vltimis voluntatibus; quippe quæ vsquè ad professionem revocabiles sunt. Quare valet adhuc hodiè testamentum à Novitio conditum, neque rumpitur secutâ professione, etsi Monasterium in eo præteritum fuerit. Sanch. *l.* 7. *c.* 5. Qui autem licitè à Religione recedit, recuperat omnia bona cuicumque antè donata, intuitu ingressûs in Religionem.

Resp. 2. Eâ constitutione non prohiberi donationem modicam; quia cessat ratio. Sanch. *num.* 23.

Resp. 3. Eâ comprehendi renunciationem Beneficij Ecclesiastici. Ratio est, quia hæc est amissio magni iuris, ob quam libertas egrediendi è Religione impeditur. Sanch. *nu.* 37.

Resp. 4. per eandem etiam irritantur renunciationes, quæ fiunt ante ingressum Religionis, intuitu, vel causâ impulsivâ ingrediendi; qualis intentio in dubio præsumitur, si non multò ante ingressum factæ sint. Ratio est, tum quia Concilium absolutè loquitur; tum quia aliàs non sufficienter consuluisset libertati Novitiorum. Nav. Less. *l.* 2. *c.* 51. *nu.* 40. contra Sanch. cuius tamen sententia est probabilis. Vndè sic donatum tutò retineri potest, donec per sententiam Iudicis rescindatur.

Resp. 5. Irritam etiam esse donationem, seu renunciationem bonorum, sub conditione professionis edendæ factam, ita vt eâ non secutâ corruat. Nav. Sanc. *num.* 17. Mol. &c. Ratio est, quia donantes, seu renunciantes, ægrè contristant donatarios, vt eos de possessione semel captâ deijciant: & Monasteria, quæ tales donationes acceperunt, omnes modos adhibent, vt tales ad professionem inducantur. Laym. *cap.* 7. *num.* 8.

Resp. 6. Non obstante hac constitutione, validas esse renunciationes, aut donationes ante, vel post ingressum Soc. Iesu factas, iuxta eius constitutiones. Ratio est: quia Tridentinum Societatem disertè excipit. Dixi *iuxta constitutiones*; quia in ijs donationibus, quę contra constitutiones fiunt, non videtur habere locum; quia Tridentinum id voluit in favorem Societatis. Quod autem ob gratiam alterius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum Mol. Sanch. Lay. *l.c.*

DVBIVM IV.

Qui possint, & debeant esse Executores Testamentiꝰ

Resp. 1. Ij à testatore nominari possunt, vnus, vel plures ex hæredibus, vel non hæredibus; nec tantùm masculus, sed etiam fœminæ. Sanch. Vvad. Dian. *p.* 8. *t.* 5. *Res.* 4. non tantùm Laicus, sed etiam Clericus, & Religiosus; hic tamen non sine sui Prælati licentiâ, & quidem Generalis, si sit Soc. Iesu: Fratres de Observantiâ nullo modo. Quòd si tamen Religiosus, contra Canonum decreta, executor testamenti sit, acta eius valent. Ita Laym. *c.* 11. Et ratio est, quia spectato iure naturali, sufficit voluntas testatoris executori: nec Canones executionem Religiosi infirmant, sed prohibent tantùm. Vid. Bon. *de cont. d.* 3. 7. 18. Dian. *p.* 8. *t.* 5. *Res.* 9. 10. Et licèt impubes executor esse non possit, potest tamen Minor, si explevit annum 17. Sanch. Lugo, Vvading. Dian. *p.* 8. *t.* 5. *Res.* 6. Nullus autem cogi potest, vt sit executor. Dian. *loc. cit. Res.* 27. detrectans tamen hoc ipso perdit legatum (saltem quod in prœmium muneris ei relictum fuit) ceditque hoc alijs executoribus. Mol. Lugo, Dian. *p.* 8. *t.* 5. *Res.* 27. contra Vvad.

Resp. 2. Si nullus à testatore nominatus est executor, executio pertinet ad hæredem, etiam quoad legata pia: quo tamen casu Episcopus iure communi ad se pertrahere potest. Layman. *loc. cit.*

Resp. 3. Executor non potest officio fungi per alium, nisi testator id ei permiserit, aut nisi committatur executio nudi facti iam declarati. Sanch. Lugo, Dian. *part.* 8. *t.* 5. *Res.* 26.

Quæres. 1. An Religiosus executor legatum in pias causas, Monasterio suo applicare possit?

Resp. posse. Ratio est, quia si quid obstaret, esset ex eo, quòd executor etiam indigens, eleemosynam sibi ex testamento applicare nequeat, nisi testator indigentiam eius ignoraverit, aut ea postmodùm supervenerit, cùm si eam cognovisset, certum quid ei legaturus fuisse videatur: Sed hæc ratio non ligat; quia causa Monasterij distincta est à causâ, seu personâ professi, sicut causa Ecclesiæ à causâ Beneficiati. Vndè etiam quivis iussus aliquid dare pauperibus, potest id tribuere cognatis, vel filijs suis: quia evidens est distinctio inter donantem, & accipientem. Sylv. Sanch. *l.* 6. *c.* 11. *num.* 59. Vid. Dian. *p.* 8. *t.* 5. *Res.* 46. Porró ad pias causas legata dicuntur, quæ intuitu pietatis relicta sunt, nimirùm 1. Loco, vel personę sacrę. 2. Hospitali. 3. Confraternitatibus. 4. Pupillis, & Orphanis. 5. Quód causa alimentorum ijs, qui indigent. 6. Quòd causâ studij saltem Theologici. 7. Ad constructionem monumenti. 8. Ad vtilitatem publicam, v.g. pro munienda Vrbe in necessitate, vel vijs reficiendis. Dian. *p.* 7. *t.* 6. *Res.* 29. & 30. ex Bald. & multis.

Quæres. 2. Quomodó relicta incerta executioni sint mandanda?

Resp. 1. Si incertitudo sit ex parte legatarij, verbi gratia, quia sunt duo eiusdem nominis, & amicitiæ erga testatorem, iure civili corruit legatum: in foro conscientiæ tamen tenetur executor inter eos dividere æqualiter, si in id consentiant. Mol. &c. Dian. *par.* 3. *tr.* 5. *Res.* 58. Trull. *dist.* 12. 2. Legata ad causas pias, ob incertitudinem loci, vel Ecclesiæ, non fiunt caduca; sed plerumque pauperiori Ecclesiæ, vel Xenodochio danda erunt. 3. Si incertitudo sit ex parte rei legatæ, videndum an terminos à naturâ habeat, vt v.g. bos, & equus, vel ab arte, & industriâ, vt domus, vestis, &c. Si à naturâ habeat, danda est vna ex mediocribus: si ab arte electio ad hæredem pertinet, qui rem in eo genere minimam dando satisfacit. Idemque dicendum est de legatis, in numero, pondere, & mensurâ consistentibus. Vid. Laym. *loc. cit. num.* 7. 8. & 9.

Resp. 2. Si acceperint summam pecuniæ distribuendam pauperibus, non tenentur dare pauperioribus; possuntque etiam dare hospitalibus, Ecclesijs (quæ ornamentis, aut fabricâ indigent) Monasterijs, vel ijs, qui secundùm suum statum non possunt vivere, sive ij sint opifices, sive altioris conditionis, etiam Nobiles Vasq. Mol. & alij 8. dummodó tamen

Universidad de Deusto Biblioteca

tamen non constet, vel ex signis colligatur, aliam fuisse intentionem testatoris quæ semper attendenda est. Dian. *p.* 2. *t.* 15. *Res.* 8. Si verò designaverint semel certos pauperes, non posse eos variare docet Vvad: sed affirmat Lugo, V. Dian. *p.* 8. *t.* 5. *Res.* 50. & *p.* 2. *tr.* 16. *Res.* 19. Possunt etiam sibi ipsis, vel suis cognatis, si veré pauperes sint, præsertim si testator id ignoraverit, eam applicare. Vvad. Dicast. Dian. *p.* 8. *t.* 5 *Res.* 46. & 47.

Quæres. 3. An legata ad certas pias causas possint ab executore, vel Episcopo commutari in alium pium vsum?

Resp. 1. Si voluntas testatoris impleri potest iustè, & honestè, non licet eam commutare in opus quantumcumque melius, nisi ex dispensatione Pontificis, & iustâ de causâ. Mol. Vvad. Dian. *p.* 1. *t.* 17. *Res.* 28. & *p.* 8. *t.* 5. *Res.* 63. &c. communiter contra Vasq. & aliquos, qui docent Episcopum posse commutare in æquale, vel melius. Interdum tamen ad Episcopum, hæredes, & executores pertinet, secundùm epikeiam interpretari, non alienum esse à defuncti voluntate; si mutatio fiat; v.g. si testator pecuniam Ecclesiæ leget ad calices comparandos, & Ecclesia non egeat calicibus, sed casulis. Molin. Laym. *loc. cit. num.* 10. Vid. Vasq. *opusc. de testam. cap.* 8. §. 5. *d.* 3. *num.* 104. Trull. *cap.* 18. *l.* 12. Barbos. *de off. & potest. Episc.*

Resp. 2. Si ad vsum à testatore destinatum applicari nequeunt, non ideò fiunt caduca, sed arbitrio Episcopi, & executoris ad aliam piam causam applicanda sunt, ita tamen, vt quoad fieri potest, defuncti voluntas impleatur. Ratio est, quia is principaliter intendit ea in salutem animæ suæ, ad Dei honorem relinquere. Mol. *d.* 294. Bonac. *d.* 3. *de cont. q. vlt. p. vlt.* Barbos. *de offic. Episc. Ex dictis resolvuntur sequentes casus.*

1. Si testator pauperi determinato aliquid legavit, hic autem ante solutionem moriatur, hæres illud tenetur alteri pauperi dare: quia præsumitur legatum pium factum in beneficium animæ testatoris, ideòque designationē pauperis demonstrativè, non taxativè factam fuisse: nisi tamen aliud constet, vel ex circunstantijs colligatur de testatoris intentione, de qua si maneat dubium, manet data resolutio. Mol. Sanc. Bard. *d.* 6. *c.* 10. §. 7.

2. Si legata pia inveniantur inducta, & non constet de testatoris intentione, tenetur hæres ea solvere: quia præsumitur id fortuitò, ac casualiter, & non ex testatoris voluntate accidisse. Bard. *d.* 6. *c.* 10. §. 17.

3. Si testator legaverit summam pecuniæ pro certo numero Sacrorum; hæres autem eam summam Sacerdoti cuipiam bono tradiderit, ac posteà ob mortem dicti Sacerdotis, aliamve ob causam dubitet prudenter, an sacrificia illa sint peracta, non tenetur curare ea iterum celebranda. Quia satisfecit testatoris voluntati. Bard. *d.* 6. 10. §. 22.

Quæres. 4. Intra quod tempus, quo ordine, & modo hæredes, & executores defuncti voluntatem exequi debeant, & quis cogere possit?

Resp. 1. Teneri statim post aditam hæreditatem, confectumque inventarium, etiam intra annum, nisi iusto impedimento excusentur. Imò in legatis pijs intra sex menses. Mol. Vasq. Dian. *p.* 8. *t.* 5. *Res.* 53. idque etiamsi hæreditas non sit adita, eó quód hæres, vel antè fuerit mortuus, vel eam repudiarit. Covar. & alij tres Dian. *p.* 7. *t.* 6. *Res.* 25. Vndè si differant notabiliter (præsertim solutionem piorum legatorum) aut negligant exequi, graviter peccant; tenenturque damnum, quod alij ipsorum culpâ acceperunt, compensare. Bonac. *d.* 3. *q.* 18. *p.* 4. Navar *cap.* 25. Lugo, Dian. *p.* 8. *t.* 5. §. 52.

Resp. 2. Ab vtroque Iudice, Ecclesiastico, & sæculari compelli possunt, (si tamen laici sunt.) Quod si post annum à monitione Iudicis, vel Episcopi exequi negligant, omni commodo (exceptâ totâ legitimâ, si hæredes necessarij sunt) ex testamento ipsis proveniente privantur. Vid. Laym. *l.c tr.* 5. *cap.* 11. Card. de Lugo. *d.* 26 *de iust.* Dian. *p.* 3. *t.* 3. *Res.* 59. Valerum, Trull. *d.* 11. Imò si intra annum negligant exequi, ius executionis devolvitur ad Episcopum, Mol. & alij 8. Dian. *p.* 8. *t.* 5. *Res.* 40. nec admittitur purgatio morę. Sanc. Dian. *l. c. res.* 33. & 54. Sed tenetur Episcopus exequi removendo illos ab executione, & emolumentis spoliando, atque in defectu Episcopi, idem potest Metropolitanus. Mol. Merol. Dian. *res.* 57.

Resp. 3. Executor tenetur omnia exequi secundum mentem testatoris: ad hoc tamen executor particularis non potest vendere bona defuncti, nisi hic ita statuerit; vniversalis autem potest. Lugo *d.* 24. *s.* 16. Dian. *p.* 8. *t.* 5. *res.* 32. Neque potest vnquam invito hærede rem legatam dare legatario: quia non potest, nisi per Iudicem spoliare hæredem suâ possessione, licèt teneatur monere Episcopum, vt hæredem cogat, Sanch. Lug. Dian. *p.* 8. *t.* 5. *res.* 38. Quód si bona non sufficiant ad legata omnia solvenda, distribuenda sunt omnibus æqualiter pro ratâ (etiamsi sint pia, & licèt vni res certa, & in individuo sit legata) nec licet vni præ alijs gratificari; quia par omnium est ratio, & ius. Sylv. Sanch. Bona. Dian. Trul. *dist.* 7. *cap.* 18. *d.* 12.

Resp. 4. Tenentur executores reddere rationem executionis (idque probabiliter, etiāsi testator eos hoc onore liberasset) exceptis ijs, quæ testator iussit erogari secretò. Dian. *p.* 8 *t.* 5. *Res.* 14. & alij 35. possuntque ad hoc cogi ab Episcopo, vel Capitulo Sede vacante, *Res.* 36. 37. & 62. nisi sint Regulares plenè exempti, quos cogi posse alij negant, affirmant alij, vt *Vid, l.c.* Denique non debetur ijs salarium, cúm sit officium voluntarium amicitiæ: si tamen damnum ex eo patiantur, vel sint etiam administratores bonorum, debet assignari à Iudice. Lug. *d.* 24. *sess.* 16. *num.* 335. Vid. Dian. *Res.* 39. Plura de executione piarum, & vltimarum voluntatum, Vid. apud Trull. & Dian. *ll. cc.* & Bard. *lib.* 3. *de iure univ. cap.* 27.

DVBIVM V.

De ijs, qui testari, & hæredes instituí possunt?

Resp. 1. Omnes homines liberam de suis bonis testandi facultatem habent, nisi naturali, aut positivo iure prohibeantur. Naturali autem iure testari vetantur infantes, furiosi, amentes; nisi tamen lucida intervalla habeant, vel in vnâ tantùm materiâ delirent, & in alijs non, vt Navar. Sanch. *lib.* 1. *de matr. d.* 8. Quid autem sentiendum de eo, qui ex morbo aliquandiu delirat. Vid. Card. Lugo,

Universidad de Deusto Biblioteca

Lugo, *d.* 24. *f.* 4. Positivo autem surdus simul, & mutus à naturâ proditus, servus, vsurarius publicus, filius-familias de bonis adventitijs, (si quidem ante Clericatum advenerint, vt Vi. C. de Lugo *de inst. d.* 24. *nu.* 67.) impubes, apud hostem, damnatus ad mortem, si bona eius confiscentur. Card. de Lug. *l.c. nu.* 72. professus Religionem.

Dixi *professus*; quia Novitius cùm adhuc sui iuris sit, absq; Superioris licentiâ validè testari potest, etiam non servatâ iuris solemnitate, vt habet Trul. *c.* 18. *d.* 5. ex Sà. & Bon. & si quidam intestatus decedat, proximi consanguinei in bonis succedunt. Similiter Religiosus Societatis, post emissa vota simplicia, etsi non licitè, valide tamen potest testari, quia dominium bonorum suorum retinet, impeditum quasi, voto paupertatis, quoad dispositionem sine licentiâ Superioris; non tamen vllâ constitutione Canonicâ dispositio irritatur Ita Mol. Sanch. Laym. Qui addit, potestatem testandi, seu iure, seu consuetudine, etiam Religiosis ordinum militarium concessam, frequenterque à Pontifice concedi ijs solere, qui extra claustrum Beneficium, vel Episcopatum habent.

Resp. 2. Omnes homines etiam amentes, surdi, muti, servi, imò & communitas, hæredes institui possunt, nisi specialiter prohibeatur. Ita Bon. *de contr. d.* 4. *q. vlt.* Quia ad hoc tantùm requiritur plena potestas in disponente, & capacitas in hærede. Incapaces autem secundùm iura sunt. 1. Apostatæ, & Hæretici, eorumque receptores, defensores, fautores: licèt probabile sit, eos ante sententiam Iudicis ad restitutionem non teneri, eó quòd hoc ius in eorigore non sit receptum. Less. *l.* 2. *cap.* 19 *dub.* 5 Sanch. *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 31. 2. Civitas hostium, & Communitas Iudeorum. 3. Damnatus ad metalla, persecutores, & percussores Cardinalium, & qui ob crimen activè intestabiles sunt. Less. *loc. cit.* Adde casus, in quibus aliqui excluduntur à bonis defuncti; vt 1. Hæres, (vtì & legatarius) qui testatorem occidit. *Leg. vlt.* §. *vlt. ff. de bonis damnatorum.* 2. Idem si testatori prohibuit testari, aut testamentum revocare; aut si ad vxorem testatoris accedat. 3. Si dum testator mente captus fuit, hæres illius curam non habuit, aut si captivum redimere neglexit. Vid. Mol. *d.* 168. & 202. Card. de Lugo. *d.* 24. *nu.* 75. *Vndè resolves.*

1. Hæredes instituì possunt professi Ordinum, quibus permissum est bona immobilia in communi possidere, eorumque nomine Monasterium succedit. Tales autem sunt omnes ferè Religiones, excepto Ordine Minorum de Observantia, & Capuccinorum. Ratio, est quia illi sunt incapaces, secundùm Trid. *sess.* 25. *c.* 3. vtì & professi Soc. Iesu. Vid. Sanch. *lib.* 6. *c.* 18. Bon. *l.c.* Laym. *l.* 3. *t.* 5. *c.* 15. licèt contrarium probabilius esse putet Vvading. *tr. de contr. d.* 4. *dub.* 5. §. 4. Vid. Dian. *p.* 9. *t.* 9. *Res.* 16.

2. Collegia Soc. Iesu, & domus, etiam professę, hęreditates accipere possunt, modò bona immobilia, quæ communi vsui, & habitationi non deserviunt, vendantur, & non deferantur intuitu porfessi, aut vota formata habentis.

Dixi *hæreditatis*; quia sicut Minores, & Capuccini, legata, & alia donata ad-

ta admittere possunt; ita etiam Soc. Iesu, etsi intuitu alicuius professi tantùm ea deferantur. Vid. Laym. *l. c.*

3. Testator potest quemvis extraneum instituere hæredem, nullâ factâ mentione consanguineorum collateralium, etiam fratris pauperis, dummodò absit scandalum, & gravis necessitas illorum: quia nullo iure prohibetur, & bona sunt ipsius de quibus disponit liberè, Bonacin. & alij 5. Dian. *p.* 1. *t.* 8. *Res.* 83. & 85. Item. *p.* 5. *t.* 3. *Res.* 114.

Quæres 1. Quæ sit divisio hæredum?

Resp. Hæres alius est ex testamento, alius ab intestato. Hæres ex testamento, vel est vniversalis, sive ex asse; vel partialis, seu ex parte tantùm, v.g. ex triente, vel dodrante, vel quadrante, Vterque horum vel est hæres necessarius, qui necessariò institui debet, vt sunt omnes in recta linea descendentes, post hos ascendentes, nisi sit causa iusta exhæredandi; vel non necessarius, quem testator potest instituere, non tamen cogitur. Laym. *c.* 5. *num.* 9.

Quæres 2. Quantum hæredibus necessarijs debeatur?

Resp. Iure novo legitimam portionem descendentium, esse trientem hæreditatis, si non sint plures quàm quatuor liberi; si plures, semissem. Similiter ascendentium portio, etsi vnus tantùm sit, est triens hæreditatis, idque absque vllo gravamine, modo, & conditione; alioqui pro non appositis habentur. Quod si autem alicui ascendentium, vel descendentium, portio legitima non relinquatur, competit ei actio ad petendum complementum, vel ad rescindendum testamentum, vt ipso iure nullum; maximè si causa idonea exhæredationis non sit inserta, & probata. Laym. *c.* 8. *nu.* 10.

His adde 1. Rumpi testamentum ob posthumi præteritionem. 2. Peccare parentes, si absque iusta causa ex inordinato affectu erga liberos, successionis inæqualitatem inter eos instituant. Iustæ autem causæ huius inæqualitatis erunt, merita, & obsequia maiora; si pusilli magno sumptu in studijs alì debeant; si qui plus egere videantur. Dian. *p.* 1. *t.* 8. *Res.* 83. si quis in studijs substentatus sit Doctor, possitque lucrari, & alij secùs; imó pater id quod habet supra partes legitimas filijs debitas, potest de rigore relinquere extraneo. Trull. *c.* 18. *d.* 10. Bon. Dian. *part.* 1. *t.* 8. *Res.* 83. 3. Liberos naturales, nisi legitimati sint, respectu patris non esse hæredes necessarios; respectu tamen matris esse; idque æquali iure cum legitimis. Quòd si tamen pater liberis caret, naturales potest instituere hæredes; modò parentes superstites legitima portione non priventur. 4. Fratrem, & sororem tunc tantùm posse infirmare testamentum, si persona infamis instituta sit. Laym. *l.c. nu.* 12. 13. Vid. Bon. *d.* 3. *de cont. q. vlt. p.* 3. 5. Patrem non posse expensas factas pro filio in studijs litterarum repetere, siquidem eas liberaliter fecit, vel donavit: secùs si habuit animum repetendi, & computandi in legitimam; Quòd si pater non repetijt, quando potuit, non tenetur filius eo mortuo in divisione conferre in commune: quia præsumi potest liberaliter factas, vel condonatas, nisi aliundè constet contrarium. Azor, Villal. Trul. *t.* 1. *lib.* 4. *c.* 1. *d.* 3. Vid. suprà *cap.* 3. *dub.* 2. *de donatione.*

Queres 3. Qui hæredes succedant ab

Universidad de Deusto Biblioteca

ab intestato, aut testamento rupto, vel irrito?

Resp. 1. Ante omnes alios, patri succedere legitimos liberos, & in demortuorum locum nepotes. 2. Deficientibus, descendentibus, patrem, & matrem defuncti, & in eorum locum, avos, & avias. 3. His quoque deficientibus, fratres, & sorores ex vtraque parte coniuncti; idque æquis portionibus, exclusis ijs, qui ex solo patre, vel matre cõiuncti sunt. 4. Si ex fratribus, vel sororibus vtrinq; coniunctis vnus mortuus liberos reliquerit, succedunt hi loco parentis sui cum patruis, non in capita, sed in stirpes. Si tamẽ fratres, & sorores vtrinque coniuncti, omnes mortui sunt, tunc eorum liberi, exclusis patruis ex vna tantùm parte coniunctis, non in stirpes, sed capita, ideò que æquis portionibus succedunt: quia duorum fratrum filij, non suorum parentum loco, sed iure propriæ coniunctionis succedunt. Cùm ergo æqualiter iuncti sint, æquales etiã in portione hæreditatis esse debent. 5. Deficientibus fratribus, & sororibus vtrinque coniunctis, eorumque liberis, succedunt fratres, & sorores, ex vna tantùm parte coniuncti: hoc tamen discrimine, vt qui ex parte patris sunt iuncti, succedant in bona à parte provenientia; in reliquis æqualiter omnes. 6. Si fratres, & sorores, eorumque filij deficiant, succedunt propinquiores collaterales, vsquè ad decimam gradum: & fit talis successio in capita, nulla habita ratione, an ex altera parte, an ex vtràque sint coniuncti. 7. In horum defectu succedit vxor; & denique in illius morte; fiscus sæcularis, in bonis omnibus laici ab intestato defuncti; fiscus autem Ecclesiasticus, in bonis Clerici. Layman. *c. 6. num.* 1. 2. 3. & 4.

His adde 1. Quòd si vxor, susceptis ex priore marito liberis, ad secundas nuptias transijt, quidquid à priore marito, donatione, aut testamento acquisivit, eiusdem matrimonij liberis cedit. Similiter si maritus alteram vxorem ducat.

Adde 2. Hæredem adeundo hæreditatem, non commoda tantùm, & iura, sed etiam debita, & onera realia defuncti in se transferre. Interim tamen duplici beneficio gaudere. 1. Vt supra vires hæreditatis non obligetur. 2. Quód deductis expensis funeris, & solutis debitis, quartam partem hæreditatis obtinere debeat hæres, vel hæredes: & si eam non habent, legatis (non tamen pijs, vt notat Trull. *lib. 7. c. 18. d. 12. ex Authent. similiter. C. ad legem Falc.*) detrahere possunt, beneficio legis *Falc.* Laym. *l. 3. tr. 5. c. 6. nu. 7.* Sanch. *l. 2. c. 15.* Vt autem hoc beneficio frui possit hæres, conficere tenetur inventarium, tametsi hanc obligationem testator possit remittere, respectu legatariorum, & fideicommissariorum, quibus ex merâ liberalitate aliquid relinquit, non tamen respectu creditorum, quibus præiudicare non potest. Vniversim enim ab onere inventarij, & à rationibus reddendis eos, quibus potest relinquere bona, sine onere dandi partem alijs, potest liberare, ijsque concedere, vt eorum dictis, vel iuramento stetur. Mol. C. de Lugo. *d. 24. sect. 8. nu. 236.*

(***)

TRAC-

TRACTATVS VI.

DE PRÆCEPTO OCTAVO, nono, decimo, & Præceptis Ecclesiæ.

CAPVT. I.

De Præcepto octavo.

PRohibetur hic omnis iniusta læsio famæ, & honoris proximi; ac præcipué omnis falsitas, & mendacium; ac læsio verbalis, quæ fit, tum in iudicio, falsò accusando, vel verum celando, de quo suprà; tum etiam extra, perniciosè mentiendo, secreta revelando, de quo Vid. Bon. *de rest. d. 2. q. 2. p. vlt.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 2. c. 5.* ac denique contrahendo.

DVBIVM I.

Qua sit suspicio, iudicium temerarium, & dubitatio, ac quale peccatum?

SVppono hæc tria differre inter se, quód Iudicium sit firma animi sententia, seu assensus indubitatus: Suspicio, assensus inchoatus, quo quis inclinat in vnam partem, iudicans probabiliter, latere aliquod fundamentum opinandi. Dubitatio autem non est affectus, (nisi causaliter) sed quasi suspensio animi, in neutram partem inclinando. Quæritur ergo hic non de suspicione, & iudicio prudenti, quod sufficientibus indicijs nititur, sed de imprudenti, & temerario, quod ijs destituitur. Maiora autem indicia requiruntur ad iudicium, quàm ad suspicionem; & ad hanc, quàm ad dubitationem.

Resp. 1. Iudicium temerarium, cum plenâ advertẽtiâ, de gravi malo proximi, communiter est mortale contra iustitiam. Ita Fill. Less. *c. 29. l. 2.* Laym. *l. 3. t. 3. c. 2.* Ratio est; quia proximo fit gravis iniuria, dum sine causa improbus habetur, cùm habeat ius ad bonum nomen, & famam: præterquàm quód ex his iudicijs plerumque gravia mala sequantur. In Confessione tamen non opus est explicare speciem mali iudicati: cùm omnia vni iustitiæ commutativæ in specie infimâ adversentur. Escob. *Ex. 10. c. 4. nu. 36.*

Dixi *communiter*: quia si iudicium habet magnam probabilitatem, etsi non omninó sufficientem ad certitudinem, erit veniale: quia moralis certitudo, & magna probabilitas non adeò distant, vt censeatur gravis iniuria, iudicare certum, quod est valdé probabile: v.g. si iudices iuvenem solum cum puella inventum in cubiculo, illicita tractasse. Ex quibus resolvitur, peccari tantùm venialiter remotè iudicando, sequentibus casibus. Vid. Tan. 2. 2. *d. 4. q. 3. d. 3.*

1. Si non sit grave malum, quod proximo temerè impingis; & sic eum qui iudicat alium esse spurium, vel filium Iudæi, à mortali excusant Navar. Azor, & Less. contra alios apud Dian. *p. 5. t. 5. Res. 69.*

2. Si sit grave quidem, sed non perfectè advertas.

3. Si advertas quidem te malé iudicare, non tamen advertis signa esse insufficientia, nec de ijs dubitas.

4. Si signa sint sufficientia ad opinionem saltem probabilem.

5. Mortale etiam non est, (per se loquen-

Universidad de Deusto Biblioteca

loquendo) si de indeterminato tantùm iudices: quia nulli fit gravis iniuria. Escob. *l.c.* ex Fagund.

Resp. 2. Suspicio, & dubitatio temeraria, ex genere suo videntur esse peccata tantùm venialia: maximè, si procedant ex errore intellectûs, quo indicia vt sufficientia apprehenduntur. Ita Laym. ex S. Th. Navar. Molin. Fill. *tr.* 4. *c.* 1. *q.* 5. Less. *l.* 2. *c.* 29. *d.* 2. *&c.* contra multos, qui putant esse mortale. Ratio est, quia communiter suspicio tantùm est, concitatio quædam ad affectum, manet enim in mente suspicantis aliquo modo bona existimatio proximi: ergo non fit illi gravis iniuria, cùm non totaliter deturbetur de possessione bonæ famæ; fit tamen aliqua, quia temerè dubitatur.

Dixi *maximè, si ex errore*: quia talis; cùm non sit per se voluntaria, nec pertinax, meretur excusationem; si verò ex malevolentia in suspicione gravi persistas, erit mortale, vt docent Less. Fil. &c. ob iniuriæ gravitatem. Atque idem est de dubitatione positivâ ortâ ex malevolentiâ absque causâ: procedit enim ex contemptu alterius, proindéque gravis iniuria reputatur.

Quæres. Quomodò discerni possit suscipio à iudicio firmo, quando formido de opposito expressè non est conjuncta.

Resp. Caietanus censet eum iudicare, qui rogatus, an habeat rem pro certo, respondet, sibi certam, aut ferè certam videri; eum verò suspicari, qui respondet, se non esse moraliter certum sed facilè posse falli. Vid. Bonac. *de rest. d.* 2. *q.* 7. *p.* 1.

(**)

DVBIVM II.

Quid sit, & quàm grave peccatum Detractio?

Resp. Detractio est alienæ famæ iniusta violatio, vel denigratio. Differt à contumeliâ, quæ est iniusta honoris diminutio. 1. Obiecto: quia contumeliâ honor, detractione autem fama læditur, quæ est opinio, seu existimatio de alterius excellentiâ; honor autem est testificatio alienæ excellentiæ animo conceptæ. 2. Differt, modo; quia contumelia instar rapinæ fit apertè, contra præsentem: detractio vt plurimùm instar furti occultè, & contra absentem. Vndé licèt contumelia detractione gravior sit, est tamen detractio peccatum mortale ex genere suo; etsi ex parvitate materiæ, aut indeliberatione, fieri possit veniale. Ratio est, quia est gravius furtò, quod est mortale; cùm lædat proximi famam, quæ est maius bonum, quàm opes.

Detractio, alia est directa, & formalis, quæ fit ex intentione famam lædendi: alia indirecta, & materialis tantùm, quæ fit ex levitate, & loquacitate aliquâ. *Ex dictis resolves.*

1. Regulariter non est mortale (etsi per accidens: ratione damni sequentis tale esse possit) revelare naturales defectus animi, corporis, vel natalium: quia tales non sunt morales, nec infamia apud prudentes reputatur, quòd quis v.g. sit stupidus, spurius, luscus. Bon. *t.* 2. *d.* 2. *q.* 4. *p.* 2.

2. Plerumque etiam levis detractio habetur, si alium infames generalibus nominibus peccatorum mortalium, v.g. esse iracundum, superbum, &c. (etsi aliquan-

aliquando gravis esse possit) quia audientes plerumque interpretantur de naturali propensione, & defectu involuntario: nec oritur grave damnum famæ. S. Ant. 1. *p. t.* 8. *c.* 4. Sylv. Less. *dub.* 3. *n.* 18. Laym. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 2. *c.* 9. *nu.* 3.

3. Similiter non erit mortalè communiter, referre peccata mortalia, quæ ob conditionem personæ, non notabiliter famam lædant: v.g. si dicas militem habere concubinam, pugnasse in duello, cogitare vindictam, adolescentem esse prodigum, deditum amoribus, &c. Laym. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 2. *c.* 3.

4. Fieri tamen potest, vt narrando defectus etiam naturales, spectata conditione, & statu illius graviter noceas, & sic graviter pecces: vt si gravem, & optimi nominis Prælatum, aut Religiosum mendacijs assuetum esse dicas: virum gravem, ac consularem, illegitimè natum, Iudæum, &c. Idem est, etsi de altero nihil in particulari, sed tantùm in genere dicas, v.g. te scire aliquid de illo, quod si dicas magno illum rubore sit affecturum. Card. Lug. *d.* 14. *num.* 49.

5. Crimen, aut defectum alicuius, modó verum, sæpé licet prodere, ob iustas causas: v.g. 1. Cùm expedit Superiorem scire suorum defectus, vt emendentur, de quo. Vid. *suprà de Corr. fratr.* & sic eos qui crimen occultum filiorum parentibus, vel famulorum heris, in ordine ad correctionem, (cavendo tamen ne ex revelatione maius damnum sequatur) significant; communiter excusari docet Trull. *l.* 7. *c.* 10. *d.* 11. ex Bon. &c. vti & vxorem loquentem cum marito (vel contrà) de criminibus occultis filiorum, vel famulorum.

2. Causâ consilij, vel auxilij capiendi, in quo tamen videndum, vt cum minimo damno tertij fiat. 3. Causâ cavendi alterius damni, vt si alicuius æstimatio falsò concepta de eius doctrinâ, probitate, est alijs perniciosa. Vndè cùm agitur de conferendo officio, de contrahendo matrimonio, de suscipienda Religione, assumendo medico, Præceptore, famulo, famulâ, &c. licet manifestare (imò aliquando oportet) occulta alterius impedimenta, inhabilitatem, crimina, vndé notabile aliquod incommodum meritò timeretur; dummodò nulla alia fit ratio commodior impediendi, & damnum, quod proximo timetur, sit maius, aut saltem æquale damno, quod ex manifestatione defectûs, aut criminis alterius, ei obveniret. Less. *l.* 2. *c.* 11. *dub.* 12.

6. Hinc quoque, si quis iniustè lædit famam tuam, nec potes eam tueri, nec recuperare aliâ viâ, quàm imminuendo quoque famam illius, id licet, dummodó falsa non dicas, in tantum, quantum ad tuam famam conservandam necesse est; nec magis lædas, quàm lædaris, collata tua, & alterius persona Vid. C. de Lugo, *nu.* 50.

7. Si quis solatii tantùm causâ, & non intentione detrahendi alicui amico narret iniuriam ab alio sibi factam, non videtur esse mortale, etsi indè aliqua infamia proveniat authori; ea enim ipsi imputanda est. Cavendum tamen ne dicatur pluribus, vel apertiùs nominetur persona, quàm necesse sit ad consilium, vel solatium, Less. Laym. Tan. 2. 2. *q.* 8. *d.* 7. *dub.* 4. Card. Lugo, *d.* 14. & sic excusari posse famulos (saltem à mortali) qui iniurias sibi ab heris suis; vxores, quæ à maritis; filios, qui à pa-

Universidad de Deusto Biblioteca

tre; Religiosos, qui à Prælato, illatas, doloris tantùm mitigandi causâ, referunt, docet Trull. *lib.* 7. *c.* 10. *d.* 11. ex Less. Laym. Tan. Navar. Dian. *p.* 2. *Res.* 32. Idem putat Caiet. dicendum, si crimen occultum reveles vni alicui viro prudenti, & taciturno, cui dicere perindè sit, ac si nulli diceretur; eó quòd damnum illud censeatur leve, & sic Trull. *lib.* 7. *cap.* 10. *d.* 11. cum Dian. *p.* 1. *t.* 3. *m. Res.* 22. & *p.* 2. *t.* 5. *m. Res.* 33. excusat pœnitentem, qui in Confessione manifestat complicem, dicuntque cum Tan. Bonac. Escob. &c. eam sententiam esse probabilem. Quam sententiam probabilem esse ait Dian. cum Tan. *loc. cit.* & Bonac. Escob. *Ex.* 9. Verùm hoc vniversim non videtur satis tutũ; quia læsio famæ apud vnam etiam personam censetur gravis; vt patet in iudicio temerario. Imò sæpè quidam ægriùs ferunt, se lædi apud vnam personam gravem quàm tres, vel quatuor alios. Vndè Suar. Fil. Less. Azor, & Lay. putant communiter esse mortale. V. Card. Lug. *l.c.*

8. Crimen simpliciter publicum, sivè sit notorium iure, sive facto, manifestare ijs, qui nesciunt, non est peccatum mortale iniustitiæ: quia hoc ipso author amisit ius ad famam, cùm ratio iusti iudicij, & evidentia facti faciat, ne de iniuria iustè queri possit. Quod confirmat consuetudo, mandans historiæ publica crimina.

Dixi *non est mortale iniustitiæ*; quia detegere eo loco, quo fama non erat perlatura: vel nonnisi post longum tempus, vel aliter cum gravi mœrore eius, qui commisit, sæpé potest esse mortale contra charitatem, vt Less. Val. Tol. *l.* 5. *c.* 65. contra Nav. & Caiet. Vid. C. Lug. *d.* 14. *n* 59. Fagund. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 3.

9. Similiter non est peccatum contra iustitiam, saltem mortale, quærere causam captivitatis alicuius, vel de eâ loqui: sicut enim captivitatis est publica: sic etiam causa videtur esse facta publica. Sayr. Bonac. Trull. *l.* 7. *c.* 10. *d.* 11. Vbi eodem modo excusat eum, qui refert delictum alicuius publicum, referendo simul pœnitentiam, & emendationem; secùs si taceatur pœnitentia, quam fecit: & sic ait peccare historiographos, describendo peccata mortuorum publica, & non referendo pœnitentiam, vel emendationem, si resipuerint.

10. Similiter manifestare crimen, quod nondum est publicum, moraliter tamen certum est, brevi fore publicum (sive per facti evidentiam, sive per sententiam Iudicis) non est mortale; quia parum nocet. Nisi tamen ex anticipatione, sequerentur gravia damna, v.g. in officio, &c. Cardinal. Lugo *loc. cit. num.* 92.

11. Infamem in vno crimine, de altero valdè affini infamare, est tantùm veniale: vt v.g. si de adultero dicas, quod miserit litteras amatorias: quia tunc non notabiliter augetur infamia. De disparato tamen, & non connexo crimine infamare, est mortale: quia infamis in vno genere vitij, non amisit ius famæ in alijs virtutibus. Tan. *d.* 4. *de iust. q.* 8. *dis.* 7. *num.* 141. ex Nav. & Less. contra Sylv. *V. Detractio.* Palaud. &c.

12. Detractio materialis ex loquacitate orta est mortale, si gravem proximi læsionem importet, idque advertatur: quia etsi non intendatur directè læsio alterius, ea tamen indirectè, & implicitè est volita, & æquivalet formali.

mali. Veniale autem tantùm erit, si non sequatur læsio gravis: quia scilicet communiter non seriò accipitur, nec creditur. Similiter erit veniale tantùm, audita referre vt audita tantùm, hoc est, nihil affirmando de rei veritate, sed dubitationem potiùs suam de eâ significando, ita vt nulla indè secutura putetur infamia, nec auditores rationabiliter sint credituri. Ita contra Azor. *part.* 3. *lib.* 13. *cap.* 6. docet Tanner. 2. 2. *d.* 4. *q.* 8. *dub.* 7. *num.* 139. Escob. *Ex* 10. *cap.* 4. *nu.* 40. eò quòd diffamatio; si fortè sequatur, imputetur audienti, si credat. Idem docet Card. Lugo. *l.c.* rectè limitans, nisi grave damnum ex levitate audientium (qui temerè credituri sint, & vulgaturi) secuturum possis prævidere. Hinc peccas graviter contra iustitiam, si referens grave crimen, addas, id tibi dictum esse à viro fide digno: quia præbes sufficiens fundamentum credendi. Vid. Diana. *t.* 5. *m. Res.* 18.

13. Mortuum infamare minùs grave est, quàm vivum: mortale tamen, & ad restitutionem obligans. Less. *l.* 2. *c.* 11. *d.* 21. Bon. *d.* 2. *q.* 4. *p.* 2.

14. Non esse mortale de aliquo ignoto, vel indeterminato malè loqui: v.g. in tali loco esse multos improbos: in tali Collegio vnum Canonicum commisisse grave crimen, v.g. simoniam, docet Escob. *Ex* 10. *c.* 4. ex Fagund. quod Trull. *l.* 7. *c.* 10. *d.* 4. ex Bon. Azor. &c. limitat: si non sit tale, quod in alios redundet.

15. Gravissimè autem peccant, qui Ordini, seu statui alicui Religiosorum in communi, vel Monasterio detrahunt, dicendo v.g. quòd in eo malè vivatur, non servetur observantia regularis, &c. (nisi id sit planè notorium:) quia gravissimé nocent, tenenturque sub mortali ad restitutionem, toti communitati, à qua Superioris remissio non excusat. Sot. Nav. Trull. *c.* 10. *d.* 14. Talem autem sufficienter confiteri si dicat: detraxi cuidam Religioni, Ordini, vel Monasterio, &c. sive sit communitas numerosa, sive non, docet Lugo, & Tambur. *de exped. Conf. lib.* 2. *cap.* 1.

16. Similiter mortale est tacitâ personâ nominare. Monasterium, vel Ordinem Religiosum, ex quo aliquis grave peccatum occultum, v.g. adulterij, vel fornicationis commiserit. Nav. Trull. *c.* 10. *d.* 14.

17. Explicandum est in Confessione, an apud multos, & quot circiter; an verò apud vnum tantùm alicui detraxeris. Ita probabiliter Bonac. *de sacr. d.* 5. *q.* 5. *p.* 2. §. *diffi.* 3. *num* 16. & 21. ex Sanch. Sylv. Adr. *num.* 135. Sed C. Lugo *d.* 16. *num.* 135. 140. & 163. ex Navar. Salas, Con. &c. negat, dicitque contrarium esse probabilius. Nec omittendum, si quem infamaveris libello famoso; cùm id sit genus detrahendi gravissimum, & ad plurimos pertinens. Non tamen necessariò dicendum, in quo genere infamaveris; quia fama semper est eiusdem speciei in genere moris. C. Lugo. *d.* 16. *num.* 265.

18. Peccat mortaliter contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem, ratione cooperationis, is qui audit detractorem, excitando, vel animando efficaciter; qui verò lætatur tantùm detractione auditâ, aut licet non lætatur, qui non impedit, cùm commodé possit peccat, pro ratione damni mortaliter, vel venialiter contra charitatem: non tamen tenetur ad restitutionem, nisi sit

superior, pater vel dominus: is enim ex officio tenetur impedire subditum, ne alteri iniustè nocear.

Dixi *si commodè possit*: quia non peccat, qui putat monitionem suam nihil profuturam: vel ex eâ magnum incommodum metuit: vel qui rationabili verecundiâ prohibetur, ob auctoritatem detrahentis. Debet tamen tunc discedere, si commodè potest, faciem tristiorem ostendere, vel aliò sermonem avertere. Vid. Less. & Bonac. *loc. cit.* Hinc æqualis raró, (inferior rarissimè) tenetur corrigere detractorem. 1. Quia audiens plerumque nescit, an quod dicitur, sit notorium, tametsi ipse ignoraverit; & in dubio, non est cur damnet detractorem. In quo multi falluntur, existimantes, simul ac aliquid audiunt dici contra proximum, id sibi mox tefutandum. 2. Quia cœpta detractione, sæpé meliùs consulitur proximo, si sinatur absolvi, quàm si abrumpatur. Nam si distinctè explicetur, sæpè non tam graviter apprehenditur, quàm initio conceptum erat. 3. Quia sæpé sine gravi offensione non potes corrigere. 4. Quia sæpè alter habet iustam causam manifestandi, præsertim vni soli. Card. Lugo. *loc. cit. num.* 128. Vid. Dian. *t.* 3. *m. Res.* 24. & *t.* 5. *m. Res.* 35.

Quæres. 1. An liceat alium infamare ad tormenta gravia vitanda.

Resp. 1. Licet, si crimen sit verum: quia nullam alteri facit iniuriam, cùm habeat ius ad illud in necessitate revelandum.

Resp. 2. Si crimen sit falsum, non licet: quia esset mendacium perniciosum. Sylv. tamen, & Nav. putant veniale tantúm esse, si sola infamia sequatur, & post torturam revocetur, eò quód non sit infamia efficax. *Vid. infrá. l.* 4. *cap.* 3. *d.* 7.

Quæres. 2. An licet seipsum infamare?

Resp. Id non esse saltem mortale regulariter. Ita Less. Fill. & Laym. *lib.* 3. *t.* 3. *p.* 2. *cap.* 3. *nu.* 14. quia non est contra iustitiam, cùm sit famæ suæ dominus; nec contra charitatem, quia hæc non obligat ad bona externa conservanda, nisi in quantum id exigit salus propria, vel proximi.

Dixi *regulariter*: quia per accidens potest esse mortale, vt v.g. si tua fama sit necessaria muneri, vel si tibi damnum vitæ, vel alijs infamia, ex eadem sequeretur. *Vndè resolves.*

Non est mortale, ad vitanda gravia tormenta, falsum crimen sibi imponere, ex quo etiam mors sequatur: quia non tenetur homo, cum tantis cruciatibus vitam suam tueri: nec talis dicitur se interficere, sed tantùm ex iustâ causâ vitam morti exponere. Less. & Fill. *Vid. infra lib.* 4. *cap.* 3. *d.* 7.

DVBIVM III.

An, & quomodo Fama restituenda?

RESp. Nisi sit causa excusans, patet ex naturâ iustitiæ, & ex dictis *de rest.* famam iniustè ablatam restitui debere. Et quidem, si verum crimen quis narravit, debet opinionem concepram, quantum potest apud audientes abolere, dicendo v.g. se malé dixisse, iniuriam intulisse, deceptum esse, &c. Vel si hac ratione parum proficiatur, eum laudando in alijs rebus, crimen extenuando, honorem eius in re alia procurando, &c. sic enim sensim tantundem fama eius illustrabitur ex vnâ parte, quantum ex alterâ obscurata fuit. Quod si autem crimen falsum impegisti, teneris id aperté retractare (adhibito etiam, si opus est iuramento) apud eos, quibus dixisti (& per se loquendo) ad quos infamia pervenit, sive apud auditores mediatos: vt contra Less. & Tann. 2. 2. *d.* 4. *q.* 6. *d.* 6. *num.* 146. docet Card. Lugo; quia totum damnum famæ, cuius causa es, teneris reparare.

Licèt aliquando sufficiat dicere, te penitùs deceptum, rem aliter se habere, malè te informarum fuisse. V. Laym. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 2. *c.* 7. Less. *c.* 11. *d.* 30.

Dixi *per se*: plerumque enim per accidens ab hac obligatione talis excusatur, respectu auditorum mediatorum; tum ob moralem impotentiam; tum quia eo ipso, quod apud immediatos retractavit, implicitè illis commisit, vt hanc retractationem ipsi iudicent alijs, si quibus forté revelaverint. Idque confirmat praxis Confessariorum, qui tantùm obligant, vt retractent apud eos, quibus ipsi revelarunt. V. C. Lugo. *l. c. Vndè resolves.*

1. Confessarij est, vtì, & Concionatorum, benè instruere suos, & monere de restitutione, ac fuga vitij tam communis.

2. Is qui bonâ fide, vel probabili errore ductus, sine formali mendacio falsum de alio dixit, tenetur (intellectâ posteà materiali iniustitiâ) ad restitutionem; licèt non tam strictè, quám qui infamavit per iniuriam formalem: hic enim tenetur restituere cum detrimento famæ suæ, etiam æquali; alter non item, sed tantúm, quatenùs sine suo notabili incommodo potest. Mol. Less. Card. Lugo, *d.* 15. *nu.* 4. Similiter qui crimen narravit de vno, quod auditores ex errore intellexerunt de alio, licèt non ex iustitiâ (siquidem non eius actio, sed error audientium causa fuit damni iniusti) tamen ex charitate tenetur ad restitutionem, cùm possit grave damnum proximi sine suo detrimento præcavere. Bon. *d.* 44.

3. Qui detraxit alteri libello famoso, tenetur, vt efficax sit restitutio, eam facere contrarijs scriptis, vel publicâ revocatione. Sayr. Bon. *d.* 2. *de rest. q.* 4. *p.* 9.

4. Si ex læsione famæ ortum etiam est alteri damnum fortunarum, vt si privatus est officio, excidit spe divitis matrimonij, amisit dotem, &c, tunc & fama debet restitui, & damnum illud compensari, ad arbitrium prudentum. Et quidem obligatio restitutionis famæ, cùm sit purè personalis, non transit ad hæredes; obligatio autem compensationis dicti damni, cúm habeat respectum ad bona infamatoris, transit ad hæredes: Laym. *loc. cit. cap.* 7. *num.* 4.

Quæres. 1. Quæ excusent à restitutione famæ?

Resp. patere ex dictis *de rest. lib.* 3. *t.* 5. *cap.* 2. *Vndè resolves.*

1. Excusatus es à famæ restitutione, si planè sis impotens.

2. Si crimen occultum, quod dixisti, vel simile, alia ratione fiat publicum. C. Lugo. *d.* 15. *s.* 3. *nu.* 37.

3. Si fama alijs modis iam recuperata sit, vt infamati purgatione, vitæ probitate, testimonio prudentum. Less. *l.* 2. *c.* 11. *d.* 24. Etsi tunc pro damno, quod secutum est, debeat satisfieri. C. Lugo. *d.* 15. *s.* 3.

Universidad de Deusto Biblioteca

4. Si prudenter iudicetur, iamdudum rem oblivione deletam. Quo casu maximè prudentiâ opus est; nam aliquando periculosiùs est retractare, renovando memoriam. Vid. C. Lúgo. *d.* 15. *s.* 3. *num.* 35.

5. Si is cui detraxisti, tibi similiter detraxerit, nec velit restituere: quia tunc potes iure compensationis, seu retentionis vti, dummodó infamia illata non redundet in alios. Ita probabiliter Tol. Less. Sylv. Mald. Dian. *p.* 2. *tr.* 5. *Res.* 30. Mol. Caiet. Tan. Card. Lugo, & Nav.

6. Si non possis absque periculo vitæ, vel si fama restituenda sit minoris valoris, quàm fama detractoris. Sic v.g. Prælatus non tenetur restituere vili homini, si aliter non potest, quàm cum amissione famæ suæ multò maioris momenti, sed sufficit tunc si infamatum laudet, aut pecuniâ compenset. Vid. C. Lugo. *l.c.*

7. Si infamatus sponté remiserit, (modó tamen eius infamia non redundarit in alios, vt familiam, statum) sive expressa, sive tacita sit condonatio: tametsi nihilominùs ex charitate damnum resarcire aliquando tenearis, si possis absque gravi incommodo, C. Lugo *d.* 15. *s.* 3. *num.* 38. Imò aliquando etiam sufficit condonatio præsumpta, sive interpretativa voluntas eius, qui potest condonare; si nimirùm ille sit ita affectus, vt si rogaretur, facilé condonaret; tunc enim non est invitus, saltem quoad substantiam, etsi fama non restituatur. Vid. C. Lugo. *l.c.*

Quæres. 2. An restitutio famæ licitè condonetur?

Resp. Licitè fit in ijs casibus, in quibus, seipsum licet infamare; in quibus autem, & quam graviter peccat se infamando, in ijsdem, & tam graviter peccat condonando. Nav. Trul. *l.* 7. *c.* 10. *d.* 28. *Vndè resolves.*

1. Condonans famæ restitutionem peccat mortaliter. 1. Si infamia redundet in alios. 2. Si indè sequatur scandalum. 3. Si sit vir valdè vtilis Reipub. & ex infamiâ fructus impediatur. 4. Si fama sit necessaria ad muneris gubernationem. Sot. Less. Trull. *l.c.* qui tamen notant condonationem semper esse validam, quando fama non redundat in alios; secùs quando redundat. Vndè parentes non possunt condonare, quando redundat in filios; neque filij, quando in parentes. *Vid. Aut. cit.*

2. Ex eo verò præcisè, quód infamatus (vel contumeliâ affectus) conversans cum infamatore videatur remittere iniuriam, non censetur condonare restitutionem famæ, vel honoris; sicut nec alia debita per familiaritatem. Nav. *c.* 18. Trull. *dub.* 29.

CAPVT II.

Quid de Præcepto nono, & decimo.

Resp. Prohibent omnes internas concupiscentias, & delectationes voluntarias illorum operum, quæ præceptis secundæ tabulæ, præsertim sexto, & septimo vetantur. Qua de re *vid. suprá*: & patebit ex dicendis de peccatis *infrá. l.* 5.

(***)

CAPVT

CAPVT III.

Quid de Præceptis Ecclesiæ.

Resp. Etsi ea sint plurima, præcipuè tamen toti Christiano populo communia quinque numerantur. Ex quibus hìc agendum restat de tertio; quia de 1. & 2. actum est in præcepto 3. Decalogi: de 4. & 5. *infrà lib.* 6. *de Sacram.*

DVBIVM I.

Quid requiratur ad Ieiunium Ecclesiasticum, & quanta eius obligatio?

Resp. Ieiunium ex præcepto Ecclesiæ, obligante sub mortali, requirit tres conditiones. Layman. *lib.* 4 *t.* 8. *c.* 1. *num.* 13.

1. Est vnica tantùm comestio de die in ordine ad nutritionem. Quæ ita necessaria est conditio, vt secunda comestione pecces mortaliter; reliquis autem suprà secundam, ad summum venialiter tantúm. Laym. *cap.* 1. *num.* 12. & 13.

2. Est abstinentia ab esu carnium, itemque ovorum, & lacticiniorum; eò quòd ex carne originem trahant, multumque nutriant. Vndè intra quadragesimam iure communi, prohibentur; extra eam permittuntur. Imò intra eam, quibusdam locis consuetudo permittit, quæ vbique notanda est, Bon. *d. vlt. q.* 1. *p.* 2. ex Sylv. Nav. Less. Azor, Laym. *l.c.* Fill. Fag. *p.* 4. *l.* 1. *c.* 2. Adde, dispensatum quoad carnes, etiam lacticinijs, & ovis vesci posse; non tamen vice versa: & cui est permissus esus carnium, etiam secunda refectio permissa videtur, vt contra Reg. Less. Nav. &c. probabiliter docent. Azor. *lib* 7. *c.* 10 *q.* 3. Fill. *t.* 27. *c.* 3. *q.* 4. Tolet. &c. Confirmatque Bon. *l.c.* si esus carnium sit permissus, ob debilitatem naturæ, & non propter nauseam, vel damnum tantùm. Vid. Less. Fil. Azor, &c. Ratio est, quia essentia ieiunij est abstinentia à carnibus.

3. Conditio est certa hora refectionis, quæ est circa meridiem, nisi aliud loci consuetudo ferat. Idque non mathematicé computandum, sed moraliter. Dictam autem horam notabiliter, sine iusta causa, prævenire, mortale putat Navar. & quidam alij, sed probabiliùs docent esse veniale. Tol. & Fill. eò quòd non violetur substantia, sed tantùm circunstantia. Tol. Less. *d.* 2. *nu.* 10. *& seq.*

Dixi *notabiliter*, *& sine causa*: quia prævenire ex iusta causa, v.g. si iterfaciendum: si hospites dimittendi, &c. & absque ea, per mediam horam tantùm, nullum peccatum videtur esse. Dilatio in vesperam, & licita est, & laudabilis, si nihil antè sumas. *Ex dictis resolves.*

1. Non solvitur ieiunium per divisionem prandij, ob negotium incidens, vel si quid sumatur per modum medicinæ, vel ob debilitatem, aliamve causam rationabilem: vti apud Religiosos faciunt ministri, & lectores mensæ; quia nonnisi vnicam refectionem intendunt. Et hinc Sanch. *to.* 2. *opusc. l.* 5. *c.* 1. *dub.* 14. Escob. *t.* 1. *Ex* 7. *c.* 3. *nu.* 29. excusant famulos mensæ ministrantes, si aliquid prægustent, aut ex reliquijs

gulosè sumant; tum vt meliùs serviant, cum vt famem sublevent; (intellige, si cum illorum refectione licitâ moraliter vniatur.) Nec solvitur per sumptionem electuariorum, vel crebriorem haustum (ante quem modicum sumere, ne potus noceat, permittit. Azor, Escob. *tom.* 1. *Ex* 7. *c.* 3. *nu.*28.) & quidem toties, quoties biberit, dummodó non in fraudem ieiunij, v.g. 5. vel 6. amygdalas, vel quid simile. Regin. &c. cum Dian. *p.* 1. *t.* 9. *resolut.* 24. Quia ordinantur potiùs ad alterationem corporis, vel digestionem ciborum, quàm nutritionem.

Excipe tamen. 1. Si quis sumeret, lac, iusculum, & similia, quæ sive sorbeantur, sive comedantur, non habent rationem potus, sed cibi, ac principaliter referuntur ad nutriendum. 2. Si quis poma, pira, vel etiam uvas in magna quantitate sumeret, quia habent rationem cibi. Dicast. & alij 6. cum Dian. *p.* 9. *t.* 6. *Res.* 14. 3. Nisi quis in magna quantitate electuaria in fraudem ieiunij, sumeret. Qui verò in potu valdè excederet, contra temperantiam quidem, non tamen contra ieiunium peccaret, saltem mortaliter. Laym. *l. c. nu.* 7.

2. Ieiunium non solvitur per collatiunculam vespertinam, etsi hæc non ad somnum, sed ad nutritionem ordinetur: quia consuetudo permittit. Addo *vespertinam*, quia sine causâ non licet illam sumere mane, vel meridie: ex iustâ tamen causâ licet vtrumque; vt si fiat ratione debilitatis, negotiorum, studiorum: sine ea, erit veniale tantùm, cùm non violetur substantia ieiunij.

Quoad eius quantitatem, communiter designatur quarta, vel quinta pars integræ cœnæ, vt contra Dian. 1 *p. t.* 4. *Res.* 117. Tur. &c. docet Reg. *c.* 2. *l.* 6. *num.* 185. Laym. *c.* 1. *nu.* 9. Fill. *to.* 2. *t.* 27. *p.* 2. *c.* 2. *q.* 7. *nu.* 33. dicens, ita decisum esse in celebri. Academia Theologorum; qui omnes in quartam partem consenserunt. Idem probat. Escob. *t.* 1. *Ex* 13. *c.* 3. *num.* 61. si quidem cœna ordinaria duarum librarum pondus non excedat; quia talis in reliquis preceptis modica censetur, ac proindè tantò quis magis minùsvè peccat, quantó magis, vel minùs transgreditur. Adde, quibusdam locis ex consuetudine plus permitti secularibus, quàm Religiosis; Nobilibus, quàm plebeis, & in frigidis Regionibus, quàm in alijs, vt notat. Laym. *l.* 4. *t.* 8. *c.* 1. & Bon. *l.c.* Plus item quibusdam in locis in vigilia Nativ. Domini (& alibi in Cœna Domini) permitti ex consuetudine, dicit Med. Caiet. *nu.* 34. & Sanch. *in opusc.* Escob. *t.* 1. *Ex* 7. *c.* 3. Quod Bon. non improbat, vbi ea consuetudo est recepta.

Quoad qualitatem, in ea prohibentur cibi ad nutritionem communiter ordinati, quique inter fercula ferè apponuntur. Permittuntur autem leviores, vt fructus, aliave ex saccharo, & melle confecta; & pro more Regionis parum butyri, & casei, vt in Regionibus Septentrionalibus, ob fructuum inopiam. Laym. *l.c. n.* 9.

3. In Confessione non sufficit dicere, non servavi, aut fregi ieiunium, sed addendum, vtrum refectione multiplici, an esu carnium. Et si hoc, vtrum semel, an sæpiùs quantitatem notabilem sumpserit: quia probabile satis est etiam in hac materia, parvitatem à mortali excusare, vt docet Bon. *t.* 2. *d. vlt.*

q. 1. *p.* 2. & Tan. *to.* 3. *d.* 3. *q.* 3. *dub.* 5. v.g. si coquus, aut ægroti minister, parum carnis prægustent; Escob. *l.c. nu.* 54. Sanch. *in opusc. t.* 2. *l.* 5. *c.* 1. *dub.* 12. *du.* 10. vel ex alijs cibis quartam tantùm partem collationis serotinæ, sive vnam vel duas vncias sumant, hanc enim esse materiam parvam, cum Turrian. & Leō. docet Dian. *p.* 5. *t.* 5. *Res.* 11. & *p.* 8. *t.* 7. *Res.* 54. esse probabile. Si autem sæpiùs eodem die parum sumeret, peccaret graviter; quia materiæ illæ coalescerent in vnam magnam, vt contra Salas docet Dian. *p.* 3. *t.* 6. *Res.* 43. Deniquè si sit in quadragesima, vtrum fregeris esu ovorum, aut lacticiniorum, Tametsi enim Dian. *t.* 9. *Res.* 45. & *t.* 6. *misc. Res.* 80. citans multos Doctores, dicat, certum esse, quod sit mortale, si non ex iure positivo, saltem ex consuetudine, in omnibus ferè mundi partibus receptâ, vesci ovis, & lacticinijs in quadragesima: probabile tamen est, & tutum (saltem in his Germaniæ partibus) esse tantùm veniale. Laym. *c.* 1. *n.* 3. Fagund. *l.* 1. *c.* 2. *&c.* Tum quia, licèt consuetudo habeat, ea tamen non semper sub peccato, præsertim mortali obligat. Vid. Fill. *t.* 27. *c.* 3. Bon. *nu.* 2. Tum quia Ecclesia non tam graviter ad hoc obligat; vt patet tum ex verbis ipsis, tum ex faciliore dispensatione in his, quàm in carnibus. Ob quam causam etiam laridi, & adipis vsum, faciliùs concedi posse pauperibus, docet Lay. *l.* 4. *t.* 8. *c.* 1. *nu.* 5. Imò ait, nec divitem propter eum vsum continuò damnandum esse peccati mortalis, præsertim cùm Sylv. *V. Ieiunium*, & alij dicant eum, cui ovorum, & lacticiniorum vsus permissus est, etiam laridi, & sagiminis permissum videri: idque non improbat. Azor. *l.* 7. *c.* 10. *q. vlt.* Vid. Lay. *hic* Fagund. *p.* 4. *l.* 1. *c.* 2. *nu.* 20. vbi dicit, pinguedinem inter carnes non computari. Vid. Dian. *p.* 1. *t.* 9. *Res.* 21. Verùm in his videndum vbique, quid recepta piorum consuetudo ferat, à qua non temerè recedendum. Azor. *l.* 7. *c.* 10. *q. vlt.*

Dixi *si sit in quadragesima*: quia extra eam licitè vescitur ovis, qui debet ieiunare, v.g. ob Iubilæum. Henric. &c. vel ex pœnitentia Sacramentali, Fag. vel ex voto; aut in Vigilia. Vid. Dian. *p.* 1. *t.* 9. *Res.* 5. & 6.

DVBIVM II.

Quæ causæ excusent à ieiunio?

RESp. Hæ sequentes. 1. Superioris dispensatio; quâ tamen, non est opus, si necessitas sit evidens; sed in dubio tantùm: idque sive ad esum carnium, sive ad secundam refectionem: Talis autem superior est Episcopus, & Parochus, etiam præsente Episcopo, quando legitima consuetudo sic habet. Imó Sylv. & Sanch. *de matr. lib.* 8. *d.* 9. *nu.* 27. & *in opusc. t.* 2. *l.* 5. *c.* 1. *dub.* 5. *num.* 18. absolutè affirmat, posse dispensare præsente Episcopo: quia, inquit, ad Episcopum non recurritur in minimis, vt vsus habet; quod Episcopi sciunt, & non contradicunt. Verùm id totum pendet ab vsu, & consuetudine, sine qua non licebit. Vid Trull. *l.* 3. *c.* 2. *d.* 7. Item Prælatus (& in eius absentia, Vicarius illius, vt habet Sanch. *l.c.*) respectu suorum Religiosorum: non tamen Confessarius, licèt privilegiatus, si non sit Parochus: quia non habet iurisdictionem in foro externo Sanch. *l. c.* contra Palaum. Vndè tantùm potest iudicare

de iustitia causæ. Causa autem valida ad dispensandum erit; vel vera, vel quæ talis putatur, sufficit enim credulitas inculpata. Item, cùm quis bonâ fide putat se à ieiunio excusari, etsi causa insufficiens sit, tantùm venialiter peccare, docet Caiet. At si veré bonâ fide putet, se planè excusari, nullo modo peccare videtur.

2. Causa est impotentia, quâ excusantur qui sine notabili damno non possunt ieiunare: vt sunt iuniores, vsque ad annum 21. completum: quibus tamen post 7. annum carnes dari non debent. Item debiles, infirmi, convalescentes, prægnantes, lactantes, &c. Ratio est, quia hi omnes egent alimento multiplicato: vtì, & senes communiter sexagenatij, nisi evidenter constet, posse ieiunare sine damno. In dubio autem an possint, non tenentur cum periculo tentare fortunam; quia cùm de ætate constet, & robur sit dubium, non est expectandum, donec deficiat; tunc enim irrecuperabilis est defectus. Gran. 1.2. *d.* 6. *t.* 3. *p.* 1. *d* 6. *s.* 5. *nu.* 39. Escob. Laym. *l.* 4. *tr.* 8. *c.* 3. Tan. 2.2. *d.* 3. *q.* 3. *dub.* 5. Fil. *to.* 2. *tr.* 27. *p.* 2. *c.* 6. & cæteri communiter contra Navar. Sà, Sanch. *de matr. t.* 2. *l.* 7. *d.* 32. *nu* 57. & *part.* 2. *cons. l.* 5. *c.* 1. *d.* 4. *nu.* 7. item Dian. *p.* 1. *t.* 9. *res.* 20. *&c.* qui absolutè sine omni restrictione, sexagenarios omnes à ieiunio liberant. Quam sententiam Trul. tanquam communiorem, & magis conformem tempori, & imbecillitati humanæ, vt ait, sequitur (cum Molf. Ortiz. &c.) *l.* 3. *c.* 2. *d.* 7. *nu.* 3. præsertim cùm scrupulis, quibus exponit contraria, liberet. Quidam insuper id extendunt ad eos, qui pro toto vitæ tempore certis diebus voverunt ieiunium, adduntque esse probabile, quòd sufficiat si annus 60. sit inchoatus, eó quód in favorabilibus habeatur pro completo. Dian. *p.* 5. *t.* 14. *res.* 83. ex Naldo, & Sanch. Item *p.* 9. *t.* 7. *res.* 73. ex Trull. & alijs 6. Eademque ætate (vtì, & ante annum 21.) Regulares non teneri ad ieiunia sui Ordinis, probabile affirmat Dian. *p.* 9. *t.* 7. *res.* 73. ex alijs 4. qui etiam probabile censet excusari fœminas quinquagenarias. *p.* 9. *t.* 7. *res.* 73. ex alijs 4. Denique pauperes, qui non habent alium cibum præter prohibitum, vel non sufficientem provnicâ refectione, Vid. Sanch. *in opusc.* vbi ex Navar. Cabr. Angl. excusat eos, qui laborant, tertianâ, vel quartanâ; item qui ex vacuitate stomachi, notabilem capitis dolorem, vel vertiginem patiuntur, vel tota noctè calefieri, aut dormire non possunt. Neque hos teneri mane sumere collatiunculam, & vesperi cœnam, notat Dian. *p.* 1. *t* 9. *Res.* 51. ex Fil. & alijs 3. quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum.

3. Causa est labor, vel officium, cum quo ieiunium non possit consistere, qualis est agricolarum, & multorum opificum, vt fabrorum, pistorum, sutorum, &c. (etsi de sutoribus neget Angles: cuius sententiam Sanch. dicit esse veram, si non suant, sed tantùm scindant corium, & materiam præparent:) non tamen pictorum, sartorum, quorum labor exiguus est. Excusat etiam Lay. *lib.* 4. *t.* 8. *c.* 3. figulos, argentarios, ferrarios, lignarios, fullones, cœmentarios, coriarios, & textores. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *Res.* 138. & Gordon. *to.* 2. *l.* 6. *q.* 18. *c.* 6. versantes Prælum Typographicum; non tamen Typorum Compositores, fossores autem, ferrarios, & similes, etiam die vno, vel altero, quo non

non laborant, excusat. Azor, &c. cum Dian. *p.* 1. *t.* 9. *Res.* 9. Similiter excusatur qui pedibus facit iter per magnam diei partem, vt ait Sanch. *in opusc. l.c.* Vid. Fil. *nu.* 119. Ratio horum omnium est; quia communiter horum vires non sufficiunt ad huiusmodi labores cum ieiunio.

Dixi *pedibus*: quia multi non excusant equites; longa tamen equitatio ad plures dies, vt docet Fil. *t.* 37. *c.* 6. meritò excusat. Vbi etiam concedit ob labores præcedētes, & subsequētes posse, aliquem excusari, si probabiliter debilitatus, vel debilitandus putetur, ita vt officio rité fungi nequeat. Vid. Bon. *d. vlt. q.* 4. *nu* 11. Ex eodem capite Doct. excusant coniugem, si debitum reddere non possit, quando ieiunat, vtì, & vxorem, quę ob maciem, non possit cum ieiunio se viro gratam præstare. Bon. *l. c.* Atque vniversim loquendo, nemo tenetur opus, ad quod obligatur, omittere ob præceptum ienunij, ait Caiet. Quód intelligo, nisi ista obligatio sit valdè levis, & rationabiliter postponenda obligationi ieiunij.

4. Est pietas, vel maius bonum. Vndè excusantur, qui cum ieiunio non possunt vacare operibus melioribus, v. g. Concionatores, Præceptores ordinarij, Confessarij, Cantores, & quotquot opera charitatis, & misericordiæ, tam corporalia, quàm spiritualia exercent, etiam ob mercedem, si ea cum ieiunio peragere non possunt. Fil. *to.* 2. *t.* 27. *p.* 2. *c.* 6. *nu.* 24. Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 28. Fern. Nav. Sylv. Fag. &c. Atque hi quidem omnes intelligunt, & ferè addunt quando eorum labores cum ieiunio non possunt consistere. Diana autem (absolutè loquendo) *p.* 1. *tr.* 9. *Res.* 9. Prædicatores, qui diebus quadragesimalibus (intelligo omnibus) concionantur, putat à ieiunio excusandos: quia inquit, summopere laborant: non item eos, qui Dominicis tantùm concionantur, nisi sint debiles. Sanch. tamē *in cons. p.* 2. *t.* 5. *c.* 1. *d.* 13. *nu.* 6. 7. & 8. & Trull. *l.* 3. *c.* 3. *d.* 7. putat à ieiunio quadragesimæ communiter & regulariter excusari eos, qui ter, vel quater in hebdomadâ concionantur cum fervore. De Lectoribus verò Dian. *l. c.* cum Fagund. *p.* 4. *l.* 1. *c.* 8. *num.* 19. censet, non omnes excusandos; sed eos tantùm, quorum labor est improbus; vel qui ita sunt debiles, vt satisfacere non possint. Idem ferè sentit. Sanch. licèt *loc. cit.* putet, Lectores eos qui quotidiè quatuor lectiones legunt, (vt in Societate faciunt Præceptores Grammaticæ.) satisfacere, si media quadragesima, sive ter in hebdomada ieiunent; eó quòd sit magnus labor, & paucis annis sic fatigantur, vt progredi non possint. Sic ille. Verùm præstat, vt superiores, ad tollendum scrupulum, cum talibus dispensent, (vt monet idem Sanch. *l.c.*) nam in omnibus istis regula certa, & vniversalis statui non potest alia, quàm quod lex Ecclesiæ non obliget, cum magna difficultate, vt notat Laym. *c.* 3. *nu.* 3.

5. Charitas, vel etiam, vrbanitas secundùm quosdam excusat etiam à veniali eum, qui die ieiunij rogatus ab amico, modicum cibi sumit. Med. Fag. Fil. Dian. *p.* 1. *t.* 9. *Res.* 29. vel qui ad excitandum infirmorum appetitum, comedit parum, etiam carnis. Nav. Sanch. Dian. *p.* 5. *t.* 5. *Res.* 32.

(***)

LIBER

Universidad de Deusto Biblioteca

LIBER IV.

DE PRÆCEPTIS PARTICVlaribus certo hominum statui proprijs.

CVm omnes fideles sicut præcepta Decalogi, ita etiam alia præcepta, quæ pertinent ad statum, & officium vniuscuiusque, teneantur scire sub peccato mortali; ita vt ipsa eorum ignorantia vincibilis, (licèt non sequatur transgressio) sit peccatum mortale Sylv. Sayr. Sanch. Bald. *to.* 2. *l.* 1. *d.* 9. *nu.* 8. & 9. hinc post præcepta omnibus communia, agendum de præceptis proprijs certorum statuum in particulari.

CAPVT I.

De statu Religioso.

DVBIVM I.

Quæ sit natura status Religiosi?

REsp. Status Religionis est fidelium, ad divinæ charitatis perfectionem tendentium, editis, votis, perpetuæ paupertatis, castitatis, & obedientiæ, stabilis in communi vivendi modus, ab Ecclesia approbatus.

Dico *ab Ecclesia*: quia etsi olim Episcopi Religiones approbare poterant, posteà tamen in Concilio Lateranensi, sub Innocentio III. statutum est, ne nova Religio inducatur, nisi approbata à Papa. Ratio est, quia cùm Religio sit communitas sacra, in qua debet esse spiritualis iurisdictio; hæc autem à Papa proveniat; decens est, vt talis communitas ab eodem approbetur. Lay. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 1. *Vnde resolvuntur hi casus.*

1. Ad essentiam Religionis non requiruntur vota solemnia. Ratio est, quia qui in Soc. Iesu vota simplicia edunt, sunt veri Religiosi, vt definivit Greg. XIII. in Bulla, *Ascendente Domino.* Laym. *l.c. nu.* 4.

2. Non sunt Religiosi, ij ordines militares, qui coniugalem castitatem tantùm vovent, sunt tamen verè Religiosi, milites Sancti Ioannis, & Teutonici, eorumque similes, cùm tria vota substantialia, habeant. Similiter ex fratribus, & sororibus tertiarijs, sive Ordinis S. Francisci, sive aliorum, tantùm sunt Religiosi, qui in Religione approbatâ, secundùm certam regulam, tria vota substantialia emittunt. Contrà autem ij non sunt, qui licèt tria ista emittant, & communiter, vel seorsim habitent, regulam tamen à Sede Apostolica approbatam non profitentur. Lay. *loc. cit.*

3. Religiosi non sunt, qui edito voto perpetuæ paupertatis, & castitatis, obedientiam vovent Confessario, aut Episcopo. Ratio est, quia tali voto non subijciuntur iurisdictioni spirituali, quæ à Deo medio eius Vicario, provenire debet. *Ibid. num.* 7.

4. Etsi Papa in votis solemnibus Religionis dispensare possit, vt quis desinat esse Religiosus; non potest dispensare tamen, vt quis manens Religiosus, substantialibus votis non teneatur; quia ad essentiam Religionis illa spectant. Layman. *loc. cit. num.* 8. ex Nav. &c.

5. Re-

5. Religiosus promotus ad Cardinalatum, vel Episcopatum, obstrictus manet votis essentialibus suæ Religionis; etsi quoad aliquos effectus paupertatis, & obedientia, exemptus censeatur. Deindé etsi iugo regulæ absolutus sit, quoad culpam, & pœnam: tamen ex obligatione moralis honestitatis, ea servare debet, quæ eum decent, & cum eius munere consistunt. Hinc quoad habitum sui Ordinis colorem deferre debet, etsi quoad figuram, Episcopis sæcularibus se conformare possit, vt Clemens VIII. concessit apud Sanch. 6. *mor. cap.* 6. Imò, si Episcopatum resignet, vel ob culpam deponatur; absque degradatione tamen; non tenetur ad regularem observantiam redire; quia retinet eminentiam Episcopalem, ob quam obedientiâ regulari exemptus fuit. *Ib.* ex S. Thom. Rodrig. Sanch. &c. Secùs est in Cardinali Religioso, qui non est Episcopus: hic enim relicto Cardinalatu, nihil retinet ex dignitate Cardinalitiâ; ideóque si Papa eius renunciationem acceptarit, tenetur redire ad obedientiam regularem sui Ordinis. Pal. de Lugo *Resp. mor. lib.* 5. *d.* 12.

6. Religiosus ad Parochiam promotus, cùm votis astrictus maneat, tenetur deferre habitum Religionis, Regulamque observare in omnibus; quæ cum suo munere consistere possunt. Idque non tantùm secundùm moralem honestatem, sed sub obligatione gravis culpæ; si ad eam Regula obliget. Ita Laym. *l.* 4. *t.* 5. *cap.* 1. *nu.* 11. & 12. Vbi addit, quòd etsi Parochus Religiosus in ijs, quæ ad regulam spectant subiectus maneat Superiori, iam tamen consuetudine multis locis observari, vt non tantùm in pertinentibus ad disciplinam Ecclesiasticam, sed etiam in plerisque alijs, ab obedientiâ Prælati eximatur, & Episcopo subjiciatur. Vid. Sylv. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 6. *nu.* 36.

DVBIVM II.

Quæ requirantur ad valorem professionis religiosæ?

REsp. Ad valorem eius, tres requiruntur conditiones.

1. Est qualitas, seu aptitudo voventis, scilicet, vt iuxta Trid. *sess.* 35. *cap.* 15. *de Regularibus*, decimum sextum ætatis annum expleverit, annumque integrum, cum religioso habitu steterit in probatione nullumque habeat impedimentum, quod per statuta à Pontifice confirmata, in isto Ordine substantiale esse censeatur, Azor. *t.* 1. *l.* 12. *c.* 2. *q.* 6. & 7. Rod. *t.* 2. *c.* 6.

2. Conditio, consensus, & acceptatio expressa, vel tacita Prælati Ordinis: per hanc enim Religioni incorporari debet. Idque ordinariè, non tantùm cum consilio, sed etiam cum consensu Capituli, aut certè maioris, aut principalioris partis, secundùm cuiuscumque Ordinis statuta. Navar. Less. *c.* 41. *d.* 7.

3. Vt professio sponte facta sit, non cogente gravi metu, qualis esset incarceratio, alimentorum subtractio, eò quòd in Professionem consentire noluerit. Itemque metus reverentialis, non quidem se solo, sed accedente precum, blanditiatum, & imperij, sæpiùs repetita importunitate, aut gravi offensione, aut diu continuata indignatione consanguineorum; adiunctis etiam minis de subsidijs negandis, si ex Religione

Universidad de Deusto Biblioteca

ne egrediatur: hæc enim, vel singula, vel certè simul iuncta, consideratâ conditione hominis rudis, timidi, &c. metum iustum incutere possunt, & Professionem irritare, vt docet Laym. cum alijs, *lib.* 4. *tr.* 5. *cap.* 5. Less. *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 7. *Vndè resolvuntur sequentes casus.*

1. Is, qui Professionem irritam edidit, ex defectu alicuius conditionis ex iam dictis, nisi eam postmodùm tacitè, vel expressè ratificaverit, egredi è Religione, & vxorem ducere potest: licèt ob evitationem scandali, causam egressus dicere debeat: & si ad forum externum causa deveniat, defectum Professionis probare; idque intra quinquennium à die Professionis; post illud enim non auditur iuxta Trid. *cap.* 19. *sess. eadem.* Quia præsumitur eam intereà ratificasse.

2. Quod si tamen sciret, illam iuris præsumptionem falsam esse, eò quòd vel ignorans impedimentum, vel metu gravi, aliâve iusta causa impeditus, reclamare intra quinquennium non potuerit; vel impedimẽtum sit essentiale, ac perpetuum, aut saltem vltra quinquennium duret, eo lapso potest reclamare, debetque audiri in iudicio, saltem extraordinario, vel integrum restitui, vt contra Bonac. *de claus. d.* 4 *quæst.* 2. *par.* 10. docent Navar. Sanch. *d.* 37. *num.* 22. Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *d.* 7. Azor. *lib.* 12. *cap.* 4. *quæst. vltim.* Dian. *p.* 3. *t.* 2. *Res.* 53. Barbosa in Trid. *sess.* 25. *cap.* 19. *num.* 8. vbi plures alios citat, & nisi aliud quid impediat, fugere potest, vt docet Laym. Qui addit, quod si fuga sine gravi scandalo, vel incommodo tentari non potest, monendus est à Confessario, vt Professionem tacitè ratificet: quod fiet, si Professorum habitum proprium deferat, actusque ijs proprios, exerceat cum intentione, quod Professus talis Ordinis esse velit. Vid. Aut. cit. & Dian. *p.* 8. *t.* 7. *Res.* 51. vbi ex Trid. *sess.* 25. *cap.* 19. probat Episcopum de nullitate Professionis, sine interventione Superioris regularis sententiam ferre non posse; & si faciat, fore nullam.

DVBIVM III.

Ad quid teneatur Religiosus vi suæ Professionis?

RESp. Religiosus vi suæ Professionis tenetur ad progrediendum aliquo modo in viâ perfectionis. Quia ex vi Professionis tenetur velle servare suum statum, qui est perfectionis, sive tendentium ad perfectionem (licèt secundùm se non sit præcepti, sed consilij); hoc autem est intrinsecè velle tendere ad perfectionem. S. Th. 2. 2. *q.* 186. *ar.* 1. & 2. & *q.* 184. *ar.* 5. Laym. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 1. *nu* 1. Suar. *de Rel. t.* 4. *l.* 1. *c.* 4. Bard. *de cons. d.* 7. *c.* 6. §. 5. *Vndè resolves.*

1. Religiosus non tenetur actu esse perfectus, sed tantùm studere perfectioni Bard. *&c. l. c.*

2. Tenetur tendere ad perfectionem. 1. Per media essentialia. 2. Per vota. 3. Per auxilia secundaria, non contemnendo ea. Laym. *l.c. c.* 9. *num.* 13. 4. Tenetur aliquibus medijs vti: & si omnia media abijciat, non est in statu salutis Suar. Laym. *loc. cit.* dicens: si nullum perfectionis studium adhibeat, sed omnia monita, & Regulas negligat, eó quòd sub mortali non obligent peccare mortaliter. 5. Tenetur ad aliqua opera bona supererogatoria; sive specialiter non præcepta, nec promissa; quia aliàs moraliter loquendo, non potest habere debitam intentionem salutis. Suar. *loc. cit.*

3. Tenetur tendere ad perfectionem, per media suæ Religionis (non per alia) hoc est, servando suas Regulas. Sanch. *l.* 6. *c.* 5. *nu.* 1. & 2. Hinc peccat. 1. Per contemptum Regulæ, hoc est, si nolit subijci. *Ibid. num.* 6. 2. Si tantùm velit servare, quæ sub mortali obligant; quia contemnit perfectionem. *Ibid. num.* 7. 3. Per actum directè contrarium, hoc est, nolendo perfectionem: quod esse mortale docet. Sanch. *nu.* 10. Pelliz. & Bard. *l.c.*

4. Si quis non tantùm intendat non esse sollicitus in observatione regulæ, sed etiam nunquam servare, etiam cum facilè possit, est mortale, vel proxima dispositio ad illud, vixque potest fieri sine contemptu formali. Suar. *l. c. num.* 24.

5. Si ex remissione animi, & sine vllo iusto titulo, per directam intentionem, velit aliquam Regulam non servare, erit saltem levis contemptus, & peccatum veniale. Suar. *l. c.*

6. Frequenter, & ex consuetudine violare Regulam, esse mortale, dicit Sanch. *lib.* 6. *mor. cap.* 4. *nu.* 18. & 20. Tum quia perturbat religiosam disciplinam: tum quia secundùm quosdam est contemptus interpretativus; vel saltem probabilissimum eius periculum: tenetur autem sub mortali ita vivere, vt non sit graviter perniciosus Religioni inducendo alios malo exemplo ad Regulæ laxitatem. Sanch. Laym. *lib.* 4. *t.* 5 *cap.* 9. tum quia constituit se in eo statu, vt tanquã incorrigibilis sit expellẽdus; tenetur autem quisque ratione votorum, quibus se Religioni addixit, ita se gerere, vt sit tolerabilis, & non mereatur expelli; at qui nullum conatum perfectionis adhibendo, Regulas sine discrimine trãsgreditur, reddit se intollerabilem, vt debeat expelli; aut si toleretur plurimùm nocet; ergo per accidens, & indirectè agit contra Professionem, peccatque mortaliter. Sanch. *c.* 4. *nu.* 18. *Vid. Aut. cit.*

7. Religiosus Societatis Iesu peccat mortaliter, si non adhibet diligentiam in cavendis defectibus, ob quos se dimittendum, vel eiiciendum prævidet; & licèt ita dimissus, sit liber in conscientia, si tamen sit dimissus ob fraudem, vel peccata in eum finem commissa, irrita est dimissio, vtpotè obtenta per dolum dantem ipsi causam (sicut in matrimonio, & cæteris contractibus) vndé subiacet pœnis apostatarum. Bon. *de claus. q.* 2. *p.* 12. §. 1.

8. Scholasticus Societatis Iesu, qui pravis moribus de industriâ dimissionem extorsit, vel falsis allegationibus impetravit, non est liber à votis. Less. *lib.* 2. *cap.* 40. *d.* 15. Sanch. *lib.* 6. *cap.* 9. *nu.* 99. Layman. *lib.* 5. *t.* 5. *cap.* 9. *nu.* 13.

DVBIVM IV.

Ad quid Religiosus obligetur vi votorum?

RESp. 1. Religiosus ex voto paupertatis obligatur, vt nihil habeat proprium. Nomine autem proprij intelliguntur bona temporalia pretio æstimabilia, quorum dominium, vel certè facultatem disponendi liberam, & independentem in perpetuum sibi abdicavit.

vit. Constat *ex cap. Non dicatis*, 12. *q.* 1. *c. Monachi.*

Dicitur 1. *Bona temporalia*: quia retinet Religiosus dominium bonorum spiritualium, honoris, famæ, & similium. Item ius eligendi, præsentandi, conferendi regulare beneficium, &c. S. Th. 2. 2. *q.* 186. *ar.* 7. Sanch. *l.* 7. *c.* 18. Less. *l.* 2. *c.* 4. *d.* 5. Lay. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 7.

Dicitur 2. *Dominium, vel facultatem disponendi*, propter Religiosos Societatis Iesu, qui post emissa vota retinent, & acquirere possunt dominium radicale bonorum temporalium, non tamen habent ius actuale, de ijs pro suo arbitrio disponendi, vel vtendi, in cuius abdicatione essentia religiosæ paupertatis consistit. Sanch. Layman. *loc. cit. num* 3.

Dicitur 3. *independenter*; quia Religiosus, etiam professus, potest habere peculium dependens, & revocabile ad nutum Superioris, quod nomine *proprij* non comprehenditur. Laym. *cap.* 7. *num.* 12. *Vndè sequentes casus resolvuntur.*

1. Non repugnat voto paupertatis, quòd Religiosi habeant bona in communi, etiam immobilia. Imò sine consensu Papæ, non possunt se obligare communitati, quod ea nunquam fint acquisituri; quia præiudicarent immunitati Ecclesiasticæ. Lugo. *Resp. mor. lib.* 3 *d* 8. Neque possunt fructus, seu reditus à donatore destinatos ad ea emenda, applicare ad vsus alios, v.g. solvenda debita, &c. *Ibid. d.* 10.

2. Non repugnat paupertati, si Religioso detur Villa, vel alius locus administrandus nomine Monasterij, idque in Monasterij commodm. Imò nec repugnat, si detur in commodum, vel incommodum ipsiusmet Religiosi, aliquod Ecclesiasticum Beneficium. Quo casu competit ei administratio reditusi, quos ad sui sustentationem, piasque causas applicare potest, iuxta Canonum concessionem: quod reliquum est, pertinet ad Ecclesiam, vel Beneficium, cui servivit: ac consequenter donationes de reditibus beneficij factæ ab eo in vsus non pios, invalidæ sunt, & contra iustitiam, neque accipientes possunt tutâ conscientiâ retinere. Suar. *tom.* 4. *de Relig. l.* 5. Molin. *d.* 276. *&c.* communiter. Ratio est, quia non habent dominium, dictorum redditum, Lugo. *de iust. t.* 1. *d.* 4. *s.* 1. Nihilominùs Vvading. apud Dian. *p.* 8. *t.* 6. *Res.* 133. probabile censet, quòd etsi illicitæ, validæ tamen sint istæ donationes: idemque multó magis de donationibus Episcoporum regularium censet cum eodem Dian. *l.c. Res.* 132. *&c.* contra Sanch. Suar. &c. Ad Monasterium verò omnia alia pertinent, quæ aliundé, quam ex Beneficio acquiruntur, nisi ex consuetudine cedant Ecclesiæ. Navar. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *c.* 10. *q.* 6. *&* 7. Molin. Laym. *l.c.* Vid. Trid. *sess.* 25. *c.* 2. *de Regul.*

3. Non tantùm iure antiquo, sed etiam post Tridentinum, probabile est, Religioso in Monasterio, vel iuxta illud manenti, annuatim assignari posse reditum, vt ex eo vivat suo commodo, & incommodo, revocabiliter tamen ad nutum Prælati. Similiter Monialibus victum præberi posse; ita vt ipsæ sibi labore manuum vestes comparent. Ita cõtra Azor, Less. & Mol. docent. Sanch. *l.* 7. *mor. cap.* 22. Tanner. Laym. *lib.* 4. *c.* 7. Qui addit, talem consuetudinem, vbi viget, non damnandam: probat tamen tolli debere, si commodè possit, monetque, non sine vrgentissima causa introducendam.

4. Peccat contra paupertatem Religiosus, si quid, seu domi, seu foris, etiam ex ijs, quæ ad victum, & vestitum pertinent, sine Superioris consensu expresso, tacito, vel præsumpto accipiat, retineat, absumat, permutet, alteri donet, vel accomodet. Ita Less. *l.* 2. *c.* 41. *d.* 8. *&* *d.* 9. *num.* 79. Sanch. 7. *mor. c.* 19. *num.* 53. *&* *c.* 21. *num.* 32. Suar. *tom.* 3. *de Rel. l.* 8. *cap.* 11. Laym. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 7. Azor. *to.* 1. *l.* 12. *c.* 12.

Dixi *sine consensu tacito*: quia si Prælatus sciat subditum aliquid accipere, retinere, vel expendere, & non prohibet, cùm facilé possit, tacitè consentire, & approbare videtur. Vndè Sanch. 6. *mor. c.* 19. ait, si in aliqua Religione consuetudo viget aliqua recipiendi, vel expendendi, sine licentiâ, id excusari per tacitam licentiam Prælati, qui id tolerando, consuetudinem rationabiliter declarat. Et si Prælatus subdito donet, vel donari permittat Imagines, Rosaria, &c. sciens non indigere ijs omnibus ad proprium vsum, tacitè facultatem concedere censetur, donandi alijs, vt notat Layman. Monet tamen Less. talem consensum non præsumendum, nisi in rebus parvis, & crebró occurrentibus.

Dixi 2. *vel præsumpto*: hic enim locum habet, cùm res vrget, Superiorque non est præsens. Ad hunc autem, vt vult Sanch. & Bonac. non sufficit, quod Superior libenter concederet, si peteres, (alioqui omnes donationes à Prælatis permitti solitæ, licerent sine veniâ; quod cederet in eversionem disciplinæ regularis) sed requiritur, vt ipse censeatur concedere, quamvis non petas, & nolit in ijs circunstantijs te petere. Addunt tamen Suarez, & Less. excusari à morsali, si præsumatur affectus Superioris, libenter rem concessuri, si rogaretur. Ratio est, quia tunc censetur rem habere ex voluntate Superioris, saltem virtuali, quæ in illo affectu latet; ideòque si Superior tantùm sit invitus, quoad modum, venialiter quidem peccari; non tamen contra paupertatem docent Suar. Sanch. Laym. *l.* 5. *t.* 5. *cap.* 7.

4. Contra votum paupertatis peccas, si quid ex rebus in vsum tuum concessis, in alium vsum expendas, aut culpabiliter amittas, vel destruas latâ culpâ. Ratio est, quia in ijs tantùm habes vsum facti, idque precario, quandiu Superiori videbitur, estque actus dominij, posse rem arbitratu suo destruere. Sanch. *cap.* 19. Layman. *num.* 6. Less. *num.* 79.

5. Item peccas, si quid abscondas, vt illud liberæ dispositioni Superioris subducas. Nec Procuratores, Oeconomi, Administratores, Prælati inferiores, quidquam possunt expendere, contra id, quod regula Ordinis, voluntas Superiorum, vel consuetudo postulat. Ratio est, quia non sunt domini bonorum communium, sed tantùm administratores. Layman. *num.* 8. ex S. Tho. *&c.*

6. Si Prælatus permittat subdito, vt bona, ex quacunque causâ, aut titulo provenientia, in vsus vanos, turpes, aut illicitos expendat, aut superflua, pretiosa, & statum suum de decentia, penes se habeat, peccat, & Prælatus, & subditus contra votum paupertatis; estque talis donatio, seu alienatio irrita, & restitutioni obnoxia. Navar.

Sylv. Valentia, Mol. *t.* 2. *d.* 276. Azor, Less. *d.* 9. Sanch. Laym. Quia Prælatus non potest dare veniam maiorem, quàm ipse habet: ipse autem cùm non sit dominus, non potest bona suo arbitrio, & inutiliter expendere; sed tantùm in Religionis necessitatem, & vtilitatem. Vide Cardinal. Lugo. *de iust. d.* 3. *sect.* 7. *nu.* 131.

Resp. 2. Religiosus voto castitatis obligatur, vt abstineat se ab omni voluntariâ delectatione venereâ, internâ; & externâ; proindèque si quis contra castitatem peccet, duo peccata admittit, luxuriæ, & sacrilegij. Less. & Layman. *c.* 8.

Resp. 3. Religiosus, ex voto obedientiæ obligatur ad omnia, quæ Superior præcipit, secundùm regulas, & constitutiones Ordinis, sive directè, & expressè, sive indirectè, & implicitè. Et quidem si præcipiat in virtute S. Obedientiæ, in nomine Domini Nostri Iesu-Christi, vel simili formâ, tenetur obedire sub mortali: quia intendit obligare quantùm potest: sub veniali autem, si aliâ formâ vtatur, vel sub nullo; quòd consuetudo in Societate Iesu approbat. Vid. S. Th. 2. 2. *q.* 104. Sylv. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 1. Less. *l.* 2. *c.* 41. *dub.* 9. Layman. *c.* 9.

Porrò quæ indirectè pertinent ad regulam Sylv. & quidam alij ampliant ad illa, quæ faciunt ad pleniorem eius observationem. Sanch. tamen arctat ad res valdè necessarias, sine quibus regula commodè servari nequit; alioqui enim Superior quasvis corporis macerationes præcipere posset: ordinantur enim ad pleniorem observationem regulæ. Lay. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 9. Less. *l.* 2. *c.* 4. *d.* 9. *Vndè resolvet.*

1. Non tenetur subditus obedire in ijs, quæ sunt vel contra regulam (nisi Superior in ea possit dispensare, & legitima causa dispensandi subsit) vel supra regulam, vt essent magnæ macerationes (nisi in pœnam, vel ad obligationem votorum necessariæ,) vel vt acceptet Episcopatum Dian. *p.* 6. *tr.* 8. *Res.* 33. & alij sex, vel infra regulam scilicet vana (nisi præcipiat ex causâ, quæ sit secundùm regulam, v.g. vt obedientia exerceatur,) nec refert, quod regulæ iubeant in omnibus obedire; id enim non de obligatione voti, sed obedientiæ perfectione intelligitur. Ita Suar. Sanch. 6. *mor. c.* 2. & Laym.

2. Si regula Ordinis sub peccato obligat, eius transgressio est contra votum, & sacrilega. Ratio est, quia talis regula non est minùs præceptativa, quàm vox Superioris: & subditus promittens observationem regulæ eo modo, quo ipsa intendit, se obligare censetur; proindèque Carthusianus v.g. carnes edens, vel Franciscanus feria sexta non ieiunans, & contra obedientiam, & contra temperantiam peccat. S. Thom. *in* 2. *d.* 44. *q.* 2. *ar.* 3. Valent. Sanch. 6. *m. c.* 1. & 4. Vasq. Rodr. Laym. *l. c. nu.* 6. E cob. &c.

3. Si regula sub peccato non obligat, transgressor illius non peccat contra votum obedientiæ. Ratio est, quia talis regula non continet proprié præceptum, sed tantùm est ordinatio, seu monitum, obligans tantùm ad pœnam, si imponatur. S. Th. Laym. *l. c.* &c. Hinc nec transgressio illius ex rationabili causa, & bono fine, seu ex motivo virtutis facta, v.g. si extra tempora loquatur cum socio, vt mœstum consoletur, est peccatum; erit tamen veniale, si ex negligen-

gligentiâ, torpore animi, aliove inordinato affectu fiat Laym. *l. c.* Quem vt plurimùm concurrere, adeòque ratò omni culpâ vacare, putant. Valent. Sanc. & Suar. Qui addunt, quòd si quis frequenter, & quasi per consuetudinem regulam transgrediatur, religiosam disciplinam graviter perturbet, eâque ex causâ, in periculo expulsionis se constituat, peccet mortaliter Laym. *lib.* 5. *t.* 5. *c.* 9. Sanch. *nu.* 18.

4. Etsi Capitulares novum statutum condere possint, quo ipsi, alijque postmodùm professionem edituri, obligentur; antè tamen Professi, qui in illud non consenserunt, eo non obligantur, si ad regulam Ordinis non directè, nec indirectè spectet. Laym. *l. c. nu.* 10. Nisi tamen statutum fiat in Capitulo Generali, vel saltem Provinciali (iuxta cuiusque Ordinis institutum) concurrente maiore parte suffragiorum; & non sit regulæ difforme. Vid. Esc. *de leg. Ex* 1. *c.* 2. *nu.* 15. Ratio est, quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, iuxta *reg.* 39. *in* 6. Addunt Lay. & Sanch. ex Sylv. & Azor. *t.* 1. *lib.* 13. *c.* 11. *q.* 19. Less. *lib.* 2. *c.* 41. *nu.* 22. nec Pontificem posse Religiosos cogere ad arctiorem vivendi rationem, quàm instituti prima forma postulat. Quia obligatio obediendi, etiam Pontifici, provenit ex voto, quod factum fuit secundùm proprium regulæ institutum. Si tamen regulæ reformatio necessarium medium esset ad Ordinis conservationem, ad eam Prælatus cum Capitulo, multóque magis Pontifex, illos cogere posset, quando ad hoc se implicitè quisque obligasse censetur. Sylv. Less. Sanch. Laym. *ll. cc.*

5. Etsi consuetum non sit, nec consultum, vt Prælati sub peccato præcipiant actus internos; probabile tamen est fieri posse, vt docent Laym. Suar. &c. Ratio est, quia verisimile est, quòd aliqui Religiosi ad id se obligare intendant, cùm se quasi holocaustum Deo tradant.

Quæres. An subditus teneatur obedire, si dubitet, vtrùm sit res licita, quam Prælatus iubet, vel iusta causa imperandi.

Resp. 1. Communiter teneri, quia tunc melior est conditio Superioris, qui est in possessione potestatis præcipiendi: in dubio autem nemo spoliandus est iure, quod habet. Nec dicas, subditum etiam esse in possessione libertatis; cùm habeat debitum parendi.

Resp. 2. Non teneri, si grave damnum obediendo timeat. Ratio est, quia in dubio favendum est reo, eique de cuius damno agitur. Etsi enim subditus non sit in possessione libertatis, est tamen in possessione iuris, quo potest se à periculosis rebus conservare. Less. Sanch. 6. *mor. c.* 4. alijque.

DVBIVM V.

Qui possint, vel teneantur ingredi Religionem?

Resp. 1. Omnes illi, & soli possunt ingredi Religionem: qui sunt sui iuris, nec alijs obstricti: qui verò alijs obstricti sunt, non possunt sine eorum consensu. Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *d.* 3.

Vndè 1. Non possunt ingredi Religionem impuberes, quia subsunt parentibus, vel tutoribus, quoad vitæ dispositionem. 2. Nec filij, si parentes sine illis se alere nequeant. Lay. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 4. *nu.* 1.

Universidad de Deusto Biblioteca

c.4. nu.1. 3. Nec servari sine consensu dominorum. 4. Nec qui decepit virginem, sub promissione matrimonij. 5. Nec is, qui non est solvendo creditoribus; modò in sæculo manendo, possit intra paucos annos solvere. D. Th. tamen Sylv. Fumus, *V. Religio*, & alij putant illum posse bona præsentia cedere creditoribus; quia persona hominis liberi non est pro pecunia obligata. 6. Nec Episcopus, sine consensu Papæ, cui iuramento se obstrinxit: præterquàm quòd sit obstrictus suæ Ecclesiæ, sicut maritus vxori. 7. Nec coniuges post matrimonium consummatum, nisi vir per vim consummasset, ante expletos 2. menses, qui eis à iure conceduntur; aut nisi alter coniugum commisisset adulterium: tunc enim innocens ingredi posset.

Resp. 2. Qui vovit Religionem, tenetur ingredi secundùm sequentes regulas.

1. Non tenetur, imò nec potest licitè ingredi Ordinem, in quo collapsa est disciplina regularis, idque ob periculum perversionis. Laym. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 6. *nu.* 5.

2. Qui vovit laxiorem, licitè ingreditur strictiorem, non tamen contrà; quia minùs præstaret, quàm promisit. Quòd si tamen profiteatur in laxiore, valida est professio, & liberatur à voto strictiorem ingrediendi. Ratio est, quia votum solemne, quo fit personæ traditio, & Religioni ius in personam acquiritur, derogat priori voto simplici, per quod nullum tale ius Religioni strictiori erat acquisitum Laym. *l. c.* ex S. Th. &c.

3. Is, qui vovit experiri Religionem strictiorem, potest id commutare in votum profitendi, & perseverandi in laxiore. Ratio est, quia hoc meliùs est. Laym. *loc. cit.* ex Sanch. &c.

4. Professo licentiam transeundi ad Ordinem laxiorem Episcopus, vel Prælatus Ordinis exemptus cum consensu Capituli dispensativè ex iustâ causâ dare potest. Lay. *l.c.* Less. *l.* 2. *c.* 41. *nu.* 103. Sanch. *6. mor. c.* 7.

5. Professus ad Ordinem strictiorem, petitâ, licèt non concessâ, Prælati sui licentiâ ex iusta causa transire potest. Quod addo, quia huiusmodi transitus, sine causa temerè fieri non debet. Quód si fiat, spectanda est austeritas circa silentium, & solitudinem: idque non tantúm secundùm institutum regulæ, sed etiam secundùm observationem præsentem. Probatur *ex c. Licèt. de Regularibus.* Vide Lay. Less. Sanch. *ll. cc.* *Ex dictis resolvuntur hi casus.*

1. Canonici regulares ad Monachos transire possunt, non contrà; cúm Religio Monachorum austerior sit. Lay. *loc. cit.*

2. Professus regulam strictiorem, si ea non servetur in suo Monasterio aliove eiusdem Ordinis, nec sit spes reformationis, potest transire ad laxiorem, in quo regula servetur; ita vt considerato præsenti statu, ducat vitam strictiorem. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 6. *nu.* 10. ex Sanch. Rod. &c.

DVBIVM VI.

Ad quid teneantur Religiosi eiecti, & fugitivi?

SVppono, Religiosum iustas ob causas è Religione expelli posse. 1. Si in gravi, vel pernicioso crimine existens, notorié

notorié incorrigibilis appareat; in quo tamen casu Moniales perpetuo potiùs carceri mancipandas, quàm eijciendas, putat Sanch. *l. 6. mor. c. 9.* 2. Si ob criminis infamiam, sine gravi Ordinis damno, toleari nequeat. 3. Si in admissione reticuerit impedimentum, vel essentiale, vel saltem admodùm grave, v.g. lepram, &c. vt docent Navar. Sà, *V. Religio, nu.* 34. Sanch. *6. mor. c.* 4. *nu.* 56. Ratio est, in re admodúm gravi decepit; ita vt fraus dederit causam admissioni. Vide Dian. *p. 9. t. 9. Res.* 57. vbi docet, quód licèt hactenùs ex communi sententiâ Sanch. Suar. Azor. Rodriq. &c. Religiosi propter delictum aliquod grave, etiam semel perpetratum potuerint expelli, iam tamẽ propter declarationem Vrban. VIII. editam anno 1624. per nulla privilegia possunt expelli è Religione, (exceptâ Societ Iesu.) nisi sint incorrigibiles: tales autem non censeantur, nisi vnius anni ieiunio, & pœnitentiâ in carcere sint probati.

Hoc supposito, resp. 1. Professus è Religione ob culpam eiectus, manet Religiosus, votisque adstrictus. Laym. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 13. ex communi. *Vnde resolvuntur hi casus.*

1. Eiectus, rerum, quas acquirit, vsum, & administrationem tantùm sibi vindicare potest, non autem dominium: neque illud acquiritur Monasterio, cuius non est membrum ampliùs, sed Ecclesiæ, in qua Beneficium habet; vel Papæ, si Beneficium non habet, & exemptus est. Quòd si non sit exemptus, Episcopo loci. Laym. *loc. cit.* ex Molin. & Less.

Dixi *eiectus*: quia fugitivos, & apostatas, ijs exceptis, quæ ex Beneficio Ecclesiastico accepta sunt, Monasterio acquirere verius est, si illud dominij in communi capax sit: sinminùs, Sedi Apostolicæ. Ratio est; quia Monasterium, instar servorum, eos vendicare, & reducere poterat Layman. *l. c.* ex Azor. Sylv. &c.

2. Eiectus per culpam, non omninó solutus est voto obedientiæ, etsi eius executio magnâ ex parte cesset: quia caret Superiore, à quo dirigatur. Debet tamen illud servare in præparatione animi, si recipiatur. Laym. *l.c.* ex Nav. & Less.

3. Idem à reliquis Monasticis observantijs, & regulis, vt à ieiunijs, vigiliis, delectu ciborum, & similibus liber est. Laym. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 13. Sà, *n.* 40. Navar. & alij contra Less. Sanch. &c. Ratio est, quia talium observatio non comitatur simpliciter professionem votorum substantialium, sed statum regularem, à quo ille est expulsus.

4. Etsi non sit improbabile, quód docent Nav. & Azor, probatque Rodr. eiectum tutò manere extra suum Ordinem, nec teneri receptionem petere, eó quòd iustæ sententiæ suæ eiectionis se conformare possit: contrarium tamen communius est, & probabilius. Ratio est, quia cùm sit obligatus votis, tenetur se qualificare, vt vota sua convenienter professioni exequi possit. Quæ ratio magis probat, si ordo ipsum revocet. Layman. *l.c. num.* 6. ex Sylv. Sanch. & Less.

5. Eiectus potest tutó in sæculo manere, si in Monasterio non recipiatur, nisi Religionem laxiorem inire malit: quia aliam non vovit, neque per ipsum (vt suppono) iam stat, quò minús in suâ recipiatur. Ita Rodr. Laym. &c. *l.c.* Vbi addit, Prælatos posse aliquem sub

Universidad de Deusto Biblioteca

sub conditione eijcere, vt vel aliam Religionem intret, vel ad suam revertatur, imò etiam Ordinarij locorum, eiectos ad hoc cogere possunt. Ratio est, quòd tales non sine periculo, & scandalo aliorum in sæculo vivunt. Vid. Lay. *l.c. nu.* 8. & 9.

Resp. 2. Prælati Ordinum fugitivos, & apostatas requirere tenentur, si absque gravi Ordinum damno possint, & non omninò incorrigibiles videantur. Ita Sanch. *l.c.* Ratio prioris partis est, quia iure divino, & naturali tenentur Prælati prospicere eorum saluti. Ratio posterioris est: quia si ob iustam causam possint eijci, ob eandem etiam postquàm malitiosè exiverunt, poterunt non recipi. Laym. *loc. cit. num.* 7. Sanch. &c.

Dixi *fugitivos*, & *apostatas*: quia per sententiam iustam eiectos, etsi se correxerint, necessariò recipiendos, negant Sanch. *l.c.* & Azor. *l.* 12. *c.* 19. affirmant Navar. Molin. *c.* 1. *d.* 140. Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *d.* 15. Vtrique probabiliter.

Quæres. An Professus in vno Monasterio possit cogi, vt se transferat ad aliud.

Resp. posse, si plura Monasteria faciant vnum corpus sub vno capite; secùs, si singula subsint suis superioribus, sub Episcopo, vel immediatè sub Papa. Ratio est, quia non vovit obedientiam, nisi in hoc Conventu. Laym. *loc. cit. numer.* 10. Vide etiam Sanch. *lib.* 7. *mor. cap.* 32.

CAPVT II.

De Statu Clericorum.

CLlerici generaliter dicuntur illi, qui sacris ordinibus, vel primâ saltem tonsurâ sunt initiati. Ad quorum statum cùm multa pertineant, de quibus alibi agendum, hîc agemus de Beneficijs Ecclesiasticis, Horis Canonicis, & alijs paucis.

DVBIVM I.

De Beneficijs Ecclesiasticis.

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum?

REsp. 1. Beneficium Ecclesiasticum est, ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, propter officium aliquod spirituale, authoritate Ecclesiæ constitutum. Ita Lay. *l.* 4. *t.* 2. *c.* 1. Less. *l.* 2. *cap.* 35. *d.* 1.

Dicitur. 1. *Ius perpetuum*: ad excludendam Vicariam, & Commendam temporalem, quæ non sunt Beneficia, de quibus Canones loquuntur.

Dicitur 2. *Propter officium*: quia in Beneficio duo iura á se mutuó separabilia distinguntur. 1. Est ius seu potestas exercendi muneris spiritualis, estque simpliciter spirituale. Alterum est ius percipiendi reditus Ecclesiasticos: quod etsi secundúm se sit temporale: quatenus tamen fundatur in officio spirituali, eique annexum est, spiritualitatem aliquam participat.

Dicitur 3. *Authoritate Ecclesiæ &c.* quia solius prælati est, officia in Ecclesia instituere, eisque proventus Ecclesiasticos annectere, ipsiusque est respicere, quot, & qualibus ministris Ecclesia egeat.

Resp.

Resp. 2. Beneficium dividitur 1. in Sæculare, quód pro sæcularibus, & Regulare, quòd pro regularibus est institutum. Vndé sine dispensatione, nec sæculare Regulari, nec contrà, conferri potest. Porrò omne Beneficium præsumitur esse sæculare, nisi probetur esse regulare, vel ex primâ sui institutione, vel per possessionem pacificā 40. annor. per eam enim ex sæculari fit regulare; & contra.

2. Beneficium aliud est Duplex, aliud Simplex, Duplex dicitur, quod est cum administratione, vt Papatus, Episcopatus, & omnia, quæ dicuntur dignitatis, hoc est, quæ habent præeminentiam, cum iurisdictione in foro externo, vt Præpositura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia, sive sæcularis, sive regularis, Prioratus claustralis. Item Personatus, qui est eminentia in Ecclesia, sine iurisdictione, v.g. locus honorificus in choro, in processionibus, suffragijs ferendis, vt Cantoria, & similes. Item Beneficia, quæ dicuntur officia, habentque administrationem rerum Ecclesiasticarum, sine iurisdictione, vt Custos, Thesaurarius, Primicerius, Archypresbyt. Denique Duplicia dicuntur, Beneficia curata; hæc enim omnia duplici onere, & curâ constricta censentur, cùm præter recitationem precum omnibus communem, habeant aliquam administrationem, & eminentiam. Simplicia dicuntur, quæ tantùm sunt instituta ad officia divina obeunda, neque administrationem, vel eminentiam singularem habent; vt Canonicatus sive sæculares, sive regulares, Capellaniæ. Vid. Lay. *loc. cit.* & Less. *lib.* 2. *c.* 34. *d.* 2.

ARTICVLVS II.

Quomodò acquirantur, & conferantur Beneficia?

REsp. 1. Beneficia Ecclesiastica vno ex tribus modis, communiter acquiruntur. 1. Per electionem, v.g. Canonicorum, vel etiam postulationem (quæ est electio eius, qui non erat de Capitulo, vel de iure non erat capax) & confirmationem Superioris si electum, vel postulatum idoneum esse intelligat. 2. Per præsentationem Patroni prę viam, & institutionem subsequutam, à Prælato Ecclesiæ factam, si præsentatus sit idoneus. Etsi veró Patronus prę sentato ius ad rem conferat, ita vt Beneficium alteri conferri nequeat; ius tamen in re, & collatio beneficij per institutionem datur. 3. Per collationem liberam, quando beneficium solo iure Prælati datur, nec Patronatûs iuri subest, Vndè etiam Beneficia ex modo conferendi, dividuntur in Electiva, Patronata, & Libera.

Resp. 2. In qualibet Diœcesi Episcopus est proprius collator Beneficiorum, nisi ex legitimâ præscriptione hoc ius alteri competat; supremus autem, & vniversalis collator omnium Beneficiorum non patronatorum, est Papa. Less. *l.* 2. *c.* 35. *d.* 10. Ratio prioris est, quia Episcopus in suâ Diœcesi est moderator sacrorum: ergo ipsius est Officia sacra conferre. Ratio posterioris est, quia Papa est supremus dispensator bonorum Ecclesiasticorum, & Ordinarius Ordinariorum. Potest autem Papa tribus modis Beneficia conferre. 1. Iure præventionis. 2. Iure concursûs. 3. Iure devolutionis, de quibus. Vid. Less. *l.c.* vbi

l.c. vbi notat, iure præventionis, & concursûs, ad vitandas lites rariùs Papam vti: imò per concordata Germaniæ inter Sedem Apostolicam, & Federicum Imperatorem, per constitutionem Nicolai V. quæ incipit *Ad sacra, &c.* alterni tantùm menses Papæ collationi reservantur, scilicet Ianuarius, Martius, &c. reliqui verò ordinarijs collatoribus relinquuntur. Imò si per tres menses, à die notæ vacationis, in loco beneficij nulla dispositio, vel gratia Papæ appareat, Ordinarius conferre potest. Similiter mortuo Papa, quandiu Sedes vacat. Less. *loc. cit.* Laym. *cap.* 20. Quòd si autem Pontifex, & Ordinarius eodem die idem Beneficium diversis contulerint, & neutrius collationis prioritas appareat; preferendus est, qui invenitur in possessione; quia pro eo ius præsumit. Si neuter est in possessione, præfertur provisus à Pontifice, ob dignitatem provisoris. Barb. & Bard. *d. 6. c.* 5. §. 10. *ex cap. Si à Sede.* Deniquè si vltima nocte mensis Episcopalis beneficium cœperit vacare, in dubio vtrum ante, an post mediam noctem, qua incipit mensis Papalis, si nemo sit in possessione, nec vlla provisio, præsumptio iuris est pro Ordinario. Gonzal. Barbos. Bard. *d. 6. c. 6.* §. 11.

Quæres. 1. Quid, & quotuplex sit ius Patronatûs.

Resp. 1. Esse potestatem præsentandi ad Beneficium Ecclesiasticum vacans. Resp. 2. Esse duplex, scilicet ius patronatûs Ecclesiastici, quod alicui competit, quia ex bonis Ecclesiasticis, & ius patronatûs laici, quod alicui competit, quia ex bonis patrimonialibus Ecclesiam fundavit, vel dotavit, vel erexit. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 13. *nn.* 2. & 4.

Quæres 2. Quando patronatus teneatur præsentare, Beneficio vacante? Resp. Si patronatus sit laicus teneri intra 4. menses. Si Ecclesiasticus, intra 6. intra quos nisi fiat præsentatio, Beneficium fit liberum, eiusque dispositio pro eâ vice devolvitur ad eum, cuius est instituere præsentatum.

Quæres 3. Quid faciendum, si multi præsententur? Resp. 1. Si patronus, qui antea præsentavit Petrum, præsentet postea Paulum, velitque hunc præferri, poterit Prælatus instituere quem maluerit, si patronatus sit laicus: quia tunc præsentatio secunda non facit irritam primam, nec contrà. Si tamen patronatus sit Ecclesiasticus, prior tempore erit potior iure, *ex cap. Cum authentic. de iure patronatus.* Resp. 2. Si ex duobus patronis, alter Petrum, alter Ioannem præsentet, potest collator conferre cui maluerit. Imó iuxta Sylv. Episcopus tertió conferre potest, eó quòd patroni non conveniant. Resp. 3. Si multi patroni inter se sint discordes, is instituendus; in quem plures conveniunt. V. Less. *loc. cit. d.* 8. Laym. *l. c.*

ARTICVLVS III.

Quæ intentio, & qualitates requirantur ad Beneficium accipiendum?

Resp. 1. Vt Beneficium aliquod validè, & licitè obtineatur, requiritur, vt sit persona capax, & habilis, hoc est, vt sit Clericus, non illegitimus (cum quo tamen Episcopus dispensare potest ad ordines minores; & Beneficium simplex,

plex, cui Ordo maior non est annexus) non irregularis, non excommunicatus, non improbus, aut facinorosus, vt habeat scientiam competentem ad munus Beneficio annexum, & ætatem legitimam, nisi dispensetur, scilicet pro Beneficio simplici annos 14. (sufficere tamen 14. inchoatum, docet Dian. *par.* 3. *tr.* 6. *Res.* 64. ex Azor, & alijs 5.) pro eo quod Subdiaconatum requirit, vigesimum primum, pro eo quod Diaconatum 22. pro eo quod Sacerdotium vigesimum quartum inchoatum. Colligitur ex Trid. *sess.* 22. 23. *&c.* In his tamen, & similibus casibus, multi excusantur, vel quia illud ius vbiquè non est receptum; vel quia bonâ fide per tres annos fuerunt in possessione, quæ veluti vsucapionem, & dominium parit. Ita Less. *dub.* 20.

Resp. 2. Qui recipit Beneficium quodcumque habens annexum Ordinem sacrum, tenetur habere voluntatem, saltem conditionatam, clericandi, & sacrum ordinem accipiendi intrà tempus â iure requisitum Laym. *c.* 14. Less. *lib.* 2. *c.* 34. *d.* 26. Ratio est, quia suscipiens officium, cui obligatio est annexa, omni modo se habilitare tenetur. Imò si curatum, seu parochiale est, habetque intentionem sacerdotium intra annum non suscipiendi, sed parochiam dimittendi, non tantùm mortaliter peccat, sed etiam ipso iure est privatus, & ad fructuum restitutionem tenetur, vt patet *ex c. Commissa,* §. 7. *de elect. in.* 6. Quòd si tamen, mutatâ voluntate, ante finem anni Sacerdos fiat, fructus retinere potest; imò, & Episcopus dispensare potest, vt Vicario substituto studijs per septennium vacet.

Dixi 1. *Habens annexum ordinem sacrum:* quia si is non sit annexus, & Beneficium sit simplex, licét illud acceptet animo fructus lucrandi, & deindé vxorem ducendi, non nisi venialiter peccat, si aliàs officio suo satisfaciat, vt docet Laym. *cap.* 17. Sanch. 7. *de matrim. d.* 45. Vasq; Ratio est, quia illa perversio ordinis non videtur gravis, nec vllo iure vetatur, ideóque ad nullam fructuum restitutionem tenetur. Vndè Garcia. *p.* 3. *cap.* 4. *num.* 42. talem ab omni culpa excusat.

Dixi 2. *Voluntatem saltem conditionatam:* quia si ex iustâ causâ postmodum status Clericalis minus illi convenire videatur, potest animum mutare, etiamsi Beneficium sit curatum (v.g. si primogenitus familiæ, aut frater vnicus sine liberis decedat) si opimum matrimonium ad conservationem familiæ nobilis, vel ad lites graves sopiendas necessarium, offeratur. Ratio est, quia non est mens Ecclesiæ; ita ad Ecclesiasticum statum obligare, vt hæc & similia bona impediantur, Layman. Less. *l.c.*

ARTICVLVS IV.

An liceat habere plura Beneficia?

Resp. Plura Beneficia possidere, non est res simpliciter intrinsecè mala, nec omninó indifferens, sed speciem mali præferens; imò ordinariè illicita, & naturali iuri repugnans, (si talia sint quorum vnum ad honestam sustentationem sufficiat) nisi iustâ causâ cohonestetur. Ita ferè Layman. *lib.* 4. *t.* 2. *cap.* 8. *nn.* 2. ex Div. Thom. Less. Azor. &c. comm.

comm. Quia vt docet Trid. *sess.* 24. pluralitas huiusmodi magnam inordinationem involvit, dum minuitur cultus divinus, Ecclesia operarijs, fundator piâ intentione, pauperes vtiliores Ecclesiæ futuri sustentatione privantur. Hinc beneficia distinguuntur in Incomparabilia primi generis, in quibus accepta pacifica possessione secundi, vacat prius; qualia sunt plura beneficia curata; item plures dignitates, personatus, duo Beneficia vniformia sub eodem tecto: & in Incompatibilia secundi generis, quæ etsi sine peccato citra dispensationem obtineri nequeant, primum tamen, altero obtento, non vacat: qualia sunt Beneficia reliqua residentiam postulantia, v.g. Canonicatus duo diversarum Ecclesiarum, in quibus recepta est constitutio Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* vt non liceat vltra tres menses Canonicis ab Ecclesia abesse. Vndé Laym. *cap.* 8. *num.* 6. docet Canonicatus in Cathedralibus Ecclesijs Germaniæ, quæ ex immemorabili consuetudine requirunt, tantùm residentiam medij anni, vel 3. mensium, inter compatibilia beneficia numerandos.

Dixi, *nisi iusta causa cohonestetur*: quia qui per dispensationem plura beneficia obtinuit, nisi iusta causa subsit, in conscientiâ non erit tutus, sed tenebitur alterum resignare, vt docet Less. *nu.* 124.

Porrò iustâ causâ dispensandi erit, evidens necessitas, & vtilitas Ecclesiæ, & quandoque etiam prærogativa, & merita personæ, v.g. insignis notabilitas, dignitas, scientia, authoritas, virtus, &c. modò caveatur, ne Beneficiorum coacervatio, facta etiam ob prærogativam personæ ad privatum tantùm, & non ad commune bonum referetur. Imò sine dispensatione plura beneficia, sequentibus casibus haberi possunt.

1. Si vtrumque adeò sit tenue, vt neutrum sufficiat ad sustentationem; modò vtrumque sit simplex, nec residentiam requirat.

2. Quando Parochia est annexa Canonicatui, eique accessoria; tunc enim vtrumque per modum vnius possidetur, ita tamen, vt teneatur Vicarium perpetuum in Ecclesiâ alere.

3. Quando beneficia legitimè sunt vnita.

4. Quando alius idoneus, & dignus non reperitur.

5. Quando vnum beneficium habetur in titulum, alterum in Commendam non perpetuam, sed ad aliquot mēses, donec de idoneo provideatur. Ita Reginald. ex Sylvest.

Quæres. An, & quomodo Clerici teneantur ad residentiam?

Resp. 1. Episcopos, Parocos, eòsque, qui curatum beneficium habent, iure divino teneri. Nec sufficit, si per alios administrent, nisi maius bonum vrgeat: quia contra rationem est vt hic officium, & fructus, alter onus habeat, Bon. *tr.* 1. *d.* 5. *de oblig. benef. p.* 1.

Resp. 2. Ita teneri ad residentiam, vt si Episcopi intra annum vltra tres, & parochi vltra duos menses absque legitimâ causâ per Episcopum cognitâ, & approbatâ, absint, mortaliter peccent, & fructus non faciant suos. Ita Trid. *sess.* 23. *de reform. c.* 1. Bon. *l. c.* Notat autem Dian. *p.* 9. *t.* 7. *R.* 53. ex Bord. supradicta etiam habere locum in superioribus, sivè Prælatis regularibus; ideòque eos teneri tempore pestis, etiam cum periculo, suis assistere.

Resp. 3. Qui in Ecclesijs Cathedralibus vel Collegiatis obtinent dignitates, Canonicatus, præbendas, vel portiones, si intra annum vltra 3. menses absint, primo anno mediâ parte fructuum secundo verò anno omnibus fructibus, quos illo anno lucrati sunt, privari debent. Quæ tamen pœna est sententiæ ferendæ, non latæ, vt constat ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 10.

Resp. 4. Causas à residentiâ excusantes esse. 1. Doctionem Theologiæ, vel Iuris Canonici: neque ad hoc licentiam Prælati aut Episcopi requiri; requiri autem ad doctiones litterarum humaniorum, & Philosophiæ, nisi contrarium habeat consuetudo. 2. Studium Theologię, vel iuris Canonici; id enim per 5. annos etiam excusat. 3. Obsequium Papæ, vel Episcopi, ad Ecclesiæ vtilitatem. 4. Licentiam legitimam ex quâvis aliâ iustâ causâ. 5. Honestam consuetudinem, vbi dispositio Concilij non est recepta. V. Bon. *l. c.*

Resp. 5. Qui absque iusta causa abest, peccat mortaliter, non tamen tenetur ad restitutionem fructuum, si officio satisfecerit, nisi ad eam condemnetur, vel nisi id aliquo iure sit expressum.

Resp. 6. Eos, qui ex legitimâ causa absunt, non lucrari distributiones, iuxta Trid. nisi tamen absint ad curanda negotia Ecclesiæ, ex commissione Capituli, vel omninò involuntariè, ob morbum, captivitatem, iniustam excommunicationem, &c. V. Less. *l.* 2. *c.* 34. *d.* 29.

ARTICVLVS V.

Quibus modis Beneficia amittantur?

Resp. 1. Beneficia quatuor modis amittuntur. 1. Per mortem beneficiati. 2. Ex dispositione iuris, idque vel propter alterius Beneficij incompossibilis consuetudinem, vel per professionem religiosam, vel per contractum matrimonij, vel per commissionem criminis (v.g. hæresis, schismatis, sodomiæ sæpiùs exercitæ) cui amissio Beneficij ipso facto est annexa, vt *V.* apud Less. *lib.* 2. *cap.* 34. *d.* 34. 3. Per sententiam iudicis. 4. Per liberam resignationem de qua.

Resp. 2. Resignatio est, spontanea proprij Beneficij dimissio, facta coram legitimo Superiore id acceptante. Estque duplex, scilicet Tacita, quæ fit ex iuris dispositione, vt dum quis Religionem profitetur: & Expressa, quæ rursus est duplex, scilicet Pura, quæ fit sine conditione, & pacto apposito, coram Ordinario, qui Beneficium cuilibet alteri conferre potest; & Conditionata; seu in favorem: eaque vel est Simplex in favorem, vt quando fit absque reservatione: vel est qualificata, quando scilicet fit reservato sibi iure regressus, vel pensione; vel fructibus aliquibus; quæ ob simoniam iuris humani, non nisi in Pontificis manibus fieri potest. Et quamvis verius sit, etiam resignationem simplicem in Pontificis manibus faciendam, cùm alioqui periculum, sit, ne Beneficiorum resignationes speciem quandam hæreditariæ successionis acquirant, quod iura Canonica detestantur: probabile tamen est, in manus Ordinarij fieri posset. Idque à fortiori verum est, si fiat sine modo obligatorio, quamvis additâ deprecatione, vt personæ certæ conferatur. Idque observari potest: vbi non est recepta Bulla Pij. V. quamlibet personæ successuræ designationem prohibens, quam citat Laym. *hic cap.* 17.

Porró

Porrò vt resignatio conditionata valida sit, requiritur. 1. Vt Beneficium sit resignantis, cùm resignatio sit iuris sui dimissio. 2. Vt fiat liberè. 3. Vt fiat in manibus eius, qui potest admittere, scilicet Pontificis, Ordinarij, Collatoris, vel institutoris, iuxta dicta. 4. Vt acceptetur à Prælato, in cuius, manibus sit: quia sine acceptatione ius suum resignans non perdit. 5. Vt conferatur illi, in cuius favorem cum clausulâ consuetâ, *non aliter, nec aliàs*, est resignatum. 6. Vt is, cui confertur, accepteta: aliàs enim resignans non perdit beneficium, propter clausulam, *non aliter*. 7. Requiritur consensus Patroni, vel electorum, provt beneficium est patronatûs, vel electivum. 8. Si resignans sit infirmus, vt à resignatione supervivat 20. dies: aliàs enim per obitum vacare censebitur. 9. Vt si resignatio fiat in curiâ Romanâ, intra 6. menses à supplicatione oblatâ computandos, in loco Beneficij publicetur: sin autem extra curiam, intra mensem: alioqui si contingat resignantem mori, antequam resignatarius accipiat possessionem, beneficium per obitum vacare censebitur. Less. & Laym. *c.* 17.

Resp. 3. Permutatio beneficiorum, quæ est quædam species conditionalis resignationis, fit, cùm duo beneficiati, vnum vel plura sua beneficia, Pontifici non reservata, in manus Ordinarij, alteriusve Episcopali auctoritate præditi, resignant, cum conditione, vt is postea vicissim alteri alterius beneficium conferat. Quod quandoque Episcopus instituere potest, si necessitas ita exigat; vocatis tamen ijs, quorum interest, scilicet Patrono, & Collatore inferiore. Ad hanc autem omnia requiruntur, quæ ad resignationem in favorem. V. Less. *c.* 31. *d.* 35. & 36. Laym. *c.* 17. Bon. *de simon. d.* 1. *q.* 4. §. 12.

Quæres 1. An licitæ sint permutationes coram Ordinarijs, in mensibus reservatis per concordata Germaniæ?

Resp. Affirmativè, quia per reservationem concordatorum, non censetur Pontifex voluisse conditionem Ordinariorum Germaniæ deteriorem facere, quàm Episcoporum extra Germaniam coram quibus id simpliciter licet.

Queres 2. An licitum sit permutare beneficia, compensatâ fructuum inæqualitate?

Resp. 1. Non licere, si beneficium copiosius, non separatis proventibus à titulo, permutetur cum tenui. Ratio est, quia excessus ille, eo ipso quo manet annexus titulo, est debitus titulo, ideóque pro eo nihil exigi potest, quin etiam exigatur pro titulo.

Resp. 2. Posse peti compensationem, ob huiusmodi permutationem à Pontifice, pro incommodo temporali, quod alter subit, spoliando se proventibus sui beneficij; ideóque talis compensatio non est pretium beneficij, aut proventuum annexorum, sed conditio, vt se indemnem servet, sine qua conditione nollet se spoliare.

Resp. 3. Iura proventuum posse separari à titulis, & primò nudos titulos; deinde alio contractûs iura proventuum, vtpote temporalia, permutari, compensato excessu opulentioris, idque authoritate solius Papę. V. Less. *l.c.* Bon. *l.c.* §. 12. *n.* 11.

Quæres 3. An licitè permutetur beneficium, hac lege, vt expensæ litis, vel Bullarum, refundantur per recipientem?

Respond. Videri permutationem simoniacam, si impensæ sint causa impulsiva permutationis, sine qua actus non fuerit futurus. Idem de simili resignatione affirmarem. V. Less. *l.c.* Bon. *l.c. n.* 9.

ARTICVLVS VI.

Quid, & quotuplex sit pensio?

Respond. Pensio est ius percipiendi fructus ex alieno beneficio. Estque triplex. 1. Temporalis, quæ datur propter ministerium temporale, v.g. Cantori, Æditiuo, Patrono, & Defensori Ecclesiæ. 2. Spiritualis, quæ fundatur in titulo merè spirituali, vt quæ datur Concionatori, Coadiutori Episcopi, Parocho, &c. 3. Media, quæ fundatur in statu spirituali, non tamen officio spirituali, vt quæ datur Clerico pauperi, vel Parocho seni ad sustentationem, vel quæ datur causâ resignationis, & litis componendæ. Duæ posteriores dicuntur Clericales, quia Clericis; prima Laïcalis, quia Laïcis tantùm datur.

Porrò circa pensiones Laym. *c.* 18. & Less. 34. docent hæc. 1. Etsi eam designare proprium sit Papæ: id tamen etiam Episcopum posse in causis specialibus, & necessarijs, v.g. propter paupertatem, & senium resignantis, vel litis compositionem, vel propter adæquandos fructus, in permutatione beneficiorum. 2. Debere esse moderatam; ita vt beneficiato relinquatur sufficiens sustentatio: talis autem plerumque censetur tertia pars fructuum. 3. Ad pensionem non requiri consensum patroni, vt quidam volunt quia id nullo iure statutum est. Neque vllum fit præiudicium per impositionem pensionis cùm is fructûs nõ percipiat ex beneficio, sed tantùm habeat ius instituendi, & præsentandi, quod ei non adimitur. 4. Pensionarius post constitutionem Pij V. vbi ea est recepta, tenetur recitare Officium B. V. nec facit fructus suos, si omittat. 5. Pensionem extingui morte Pensionarij, sicut vsus-fructus morte vsu-fructuarij. Potest tamen Papa facere perpetuam, ex plenitudine potestatis. De venditione, & redemptione pensionis. V. Lay. *cap.* 18. & Less. *lib.* 2. *cap.* 35. *dist.* 22. Bon. *loc. cit.* §. 33.

DVBIVM I.

De Horis Canonicis.

ARTICVLVS I.

Qui obligentur ad Horas?

Resp. 1. Clerici maiorum Ordinum etiam suspensi, excommunicati, degradati tenentur, tum iure Ecclesiastico, tum generali consuetudine Ecclesię.

Dixi, *maiorum ordinum*: quia minorum, non tantùm non ad horas, sed neque ad Psalmum Miserere tenentur, quem, vel simile quid, cùm Episcopus primam tonsuram conferens iniungit, non videtur obligare, nisi vt vel tantùm fiat aliquoties, vel per modum consilij. Less. *l.* 2. *c.* 37. *d.* 9. *Vnde resolvuntur hi Casus.*

1. Te-

1. Tenetur ad Horas, qui cum dispensatione Papæ duxit vxorem, nisi in hoc ipso sit dispensatum: quia dispensatio, vtpote odiosa, strictè est explicanda; & characterem retinet Bon. & Azor. *l.c. c.* 5. contra alios.

2. Clericus incipit obligari à puncto Subdiaconatûs suscepti, & quidem ad Horas respondentes horæ, quâ ordinatur. Bon. *tr. de Horis, q.* 1. *punct.* 5. ex communi.

Resp. 2. Omnes religiosi professi, ad chorum destinati vtiusque sexus, obligantur ad Horas; idque ex antiquâ receptâ consuetudine: quam tamen quidam, vt Aragonius, putant non obligare tam strictè: vt peccent mortaliter, si bis terve omittant; & de Monialibus dubitat Caiet. Medin. Armil. Dian. *tr.* 12. *R.* 17. imò eas (atque adeò omnes Religiosos sacris non initiatos) non teneri sub onere peccati, absolutè, sed nimis laxè, docet Petrus Marcha, apud Dian. *p.* 9. *tr.* 6. *Res.* 7. contra aliorum communem, & veram sententiam, quæ docet, teneri secundùm suas regulas, & consuetudines. Bon. *q.* 2. *p.* 2. *num.* 5. ex Azor, Less. Maldero. *Vndè resolves.*

1. Non tenentur ad Horas 1. Novitij 2. Conversi 3. Religiosi Soc. Iesu, Militares, Hospitalarij, & cæteri Choro non destinati, Trull. *l.* 1. *c.* 7. *d.* 12. §. 1. *n.* 5.

2. Is qui ex vna Religione transit in aliam, in qua non est hæc consuetudo, non tenetur, quia consuetudo non obligat, vbi non est recepta. Ita Suar. & Laym. idem dic de Religioso eiecto, vel qui dispensationem obtinuit perpetuó vivendi extra Monasterium; quia etsi maneat Religiosus, non tamen regularis. Ita probabiliter Sotus, Sanch. Bon. *d.* 1. *q.* 2. *p.* 2. *n.* 4. *&c.* contra Suar.

Resp. 3. Beneficiati, quotquot habent ius in re, & plenum dominium beneficij, si fructus percipiant, vel percepturi sint, tenentur ad Horas. Less. & Laym. *l.* 4. *t.* 2. *c.* 4. ex communi, & Concil. Lateranensi sub Leone X. Ratio est, quia beneficium datur propter officium. *Vndè resolves.*

1. Non tenentur ante acceptam possessionem, nec si sine suâ culpâ fructus nullos percipiant, nec percepturi sint. Lay. *l.* 4. *t.* 2. *c.* 5. *nu.* 3. quia non habent beneficium secundùm omnem effectum. Videntur tamen pro ratione fructuum teneri ad aliquoties legendum. Trull. *l.c.*

2. Tenetur is, qui etsi (sive sine, sive cum suâ culpâ) non recipiat omnes suos fructus, recipit tamen tantam partem, quæ sufficit ad sustẽtationem. Bon. *d.* 1. *q.* 6. *p.* 3.

3. Tenentur ij, qui primo, aut etiam secundo anno non percipiunt fructus, eó quòd assignentur fabricæ, vel prædecessori mortuo: quia etiam ipsi mortui fruentur eodem privilegio; & sic pro totâ vitâ satisfaciunt fabricæ. Bon. *p.* 4. *nu.* 22. Laym. *c.* 5. Suar. Reg. &c. Contraria tamen sententia non est improbabilis, & negat Less. cum Caiet. se talem damnaturum, eó quód vel resignare, vel mori antè possit, & sic non frui anno gratiæ. Layman. *l. c.* Pal. Trull. *d.* 13. §. 3.

4. Tenentur, & ij, qui habent beneficium tenue, octo v.g. vel decem aureorum; quia iura omnibus indistinctè obligationem Horarum imponunt, sicut ijs, qui sunt in maioribus ordinibus. Ita probabiliter Sylv. Azor. Suar. Palaus, Bon. *d.* 1. *q.* 2. *p.* 4. *nu.* 17. & com-

commun. contra Sotum. Less. Rodr. & Dian. *Res.* 9. Mald. qui dicunt, si habent beneficium tam tenue, vt tertiam partem mediocris sustentationis alicuius Clerici non adæquent, non teneri. Vide Dian. *l.c.* Escob. *tr.* 5. *Ex* 6. *cap.* 13. quorum sententiam non damno. Vid. Trull. *l.* 1. *c.* 7. *d.* 13. §. 3. vbi notat eum qui habet plura beneficia tenuia, ex quibus competentia habeat teneri ad Horas.

5. Non excusatur, qui primis annis parum recipit, eò quòd fructus expendat in substitutum: quia Horarum onus beneficio annexum est, & personale, cum quo sponté acceptatur. Bon. *l. c.* ex Azor. Vasq. Fill. &c.

6. Si filius à patre coactus ad statum Ecclesiasticum, percipiat ipse fructus, tenetur ad Horas; secús si percipiat pater: hic veró ad restitutionem obligatur. Laym. *c.* 5. *nu.* 2. ex Less. *l.* 2. *c.* 34. *dub.* 3.

7. Probabile est, eum qui non residet ex legitimâ licentiâ, vel dispensatione, ideóque fructus non recipit, non teneri ad Horas: quia obligatio hæc est propter sustentationem datam. Trull. *lib.* 1. *cap.* 7. *dist.* 13. §. 3. ex Sanch. &c.

8. Non tenentur qui habent præstimonia, (quæ solent dari adolescentibus, in subsidium studiorum) eò quòd non sint propriè dicta beneficia. Ita Med. Garcia, & Less. contra Nav. Sotum, & Rodr. rectè tamen monet Lay. *c* 5. *nu.* 6. considerandam rationem præstimoniorum. Si enim dentur in titulum perpetuum, & habeant annexum aliquod obsequium spirituale, quod per laicum expediri nequit, esse beneficia Ecclesiastica, proindéque obligare ad Horas: secùs, si consistant in solo temporali obsequio. Similiter non tenentur pensionarij, cùm pensiones non sint propriè dicta beneficia, *vt dubio præced.* videri potest. Quod limitat Escob. *t.* 5. *Ex* 6. *c.* 4. ex Palao, si fruantur pensione, ob sæcularia obsequia; secùs, si titulo clericali. Deniquè neque tenetur Coadiutor, si non administrat; quia obligatio tenet proprietarium. Pal. Escob. *l.c.* Vid. Laym. *c.* 5. *nu.* 9.

9. Etsi habens plura beneficia satisfaciat vnicâ recitatione Horarum, tenetur tamen tot facere commemorationes, quot sunt beneficia, seu patroni beneficiorum; quia par est omnium ratio. Bon. Trull. *l.c. num* 27.

ARTICVLVS II.

Quanta sit hæc obligatio?

Resp. 1. Est tanta, vt peccet mortaliter, quisquis habens hoc onus, Horas, vel notabilem earum partem omittit. Ita communiter omnes contra Angelum, *V. Horæ*, & Richardum, qui dicunt non esse mortale, nisi quis habeat consuetudinem omittendi: quam sententiam Less. non audet dicere probabilem, quòd sit contra torrentem Doctorum. Ratio est, quia violat præceptum in re gravi pertinente ad virtutem Religionis. *Ex dictis resolvuntur hi casus.*

1. Non est mortale, omittere vnum Psalmum, Lectionem, vel quid simile, vt habet communis contra Navar. Nec tertiam partẽ parvæ Horæ, contra Azor. & Mald. quia non censetur pars notabilis. Talem autem dicit Pal. *l.* 1. *p.* 5. esse

esse in Matutino, quod est æquale vni parvæ Horæ. Sanch. *in sum. t.* 1. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 8. dicit tres Lectiones cum responsorijs, in feriali officio esse materiam parvam. In parvis Horis, dicit Fern. Fill. & Laym. dimidium esse notabilem quantitatem. Vid. Escob. *l. c. c.* 13. *nu.* 107. vbi docet vnam parvam Horam non esse partem notabilem, respectu totius Officij, quod per modum vnius est præceptum. Verùm hoc meritò reijcitur ab alijs.

2. Est mortale, si omittas, vel vnam integram ex Horis, (quarum sunt septem, Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium) vel dimidiam etiam ex brevioribus (vt docet Fern. Regin. Fill. Suar. Laym. contra Bon. & Less.) vel ex Matutino 9. Lectiones cum responsorijs, vt Sanch. 1. *mor. c.* 18. aut partem æquivalentem Horæ vni minimæ, vt Suar. *de Rel. t.* 2. *l.* 4. *c.* 25. & Gavantus; vel vt alij, vnum Nocturnum. Vid. Bon. *d.* 1. *q.* 5. *p.* 1. Dian. *p.* 2. *t.* 12. *Res.* 26. & 41.

3. Sive omissio Horarum (abstrahendo à multiplicatione actuum voluntatis) sit vnum numero peccatum, vt vult Bonac. sive sint plura formaliter, vt docet Less. sive vnum multiplex, vt Suar. sive vnum pluribus æquivalens, vt Fill. loquitur; probabile tamen est, in Confessione explicandum, quot Horæ sint omissæ: eò quòd sit circunstantia tenens se ex parte obiecti, & constituens actum in ratione suâ individuali. Bon. *l. c. nu.* 9. Less. Suar. Fill.

Resp. 2. Tanta est obligatio, vt inducat ei onus restitutionis fructuum, pro ratâ omissionis Officij, qui titulo beneficij ad Horas tenetur, si elapsis sex mensibus post adeptam possessionem (ijs enim etsi graviter peccet omittendo, non tamen tenetur ad restitutionem) culpabiliter Officium non recitaverit. Patet ex Concil. Later. sub Leone X. Sed quia dubium fuit, vtrum hoc Concil. esset receptum, Pius V. Bullam edidit, quæ est apud Navar. *c.* 25. quâ hoc decretum confirmat, ac declarat sic, vt qui vno die totum Officium omiserit, teneatur restituere omnes fructus illi diei respondentes, v.g. qui accipit annuè 365. florenos, teneatur pro vno die restituere vnum florenum; qui autem omiserit Matutinum tantùm mediana partem fructuum vnius diei: qui reliquas Horas, etiam mediam partem; qui verò vnam ex illis, sextam partem. Eaque restitutio facienda est, vel fabricæ, vel pauperibus Laym. Fill. Bon. *d.* 1. *q.* 5. *p.* 2. *&c.* contra De la cruz, & Lopez apud Dian. *p.* 2. *t.* 12. *Res.* 34. qui dicunt, Beneficiatum si intra annum, per 8. vel 10. dies tantùm omittat, non teneri ad restitutionem, eò quòd sit servus liberalissimi Domini, qui multò minùs, quàm Domini temporales, ad pauca attendat. *Vndè resolves.*

1. Clerici maiorum ordinum, qui solo titulo ordinis, & quotquot alio titulo, quàm Beneficij, ad Horas tenentur; non obligatur ad dictam restitutionem: quia nullos percipiunt fructus, propter onus recitandi Officium. Bon. *l. c. p.* 2. *nu.* 3.

2. Nec ij obligantur, qui ex naturali oblivione, iusto impedimento, bonâ fide, invincibili ignorantiâ, aut aliter absque culpâ omiserunt. Ratio, est, quia in conscientiâ non debetur pœna, vbi non est culpa. Less. Suar. Bonacina. *num.* 4.

3. Val-

3. Valdè probabile est, quod qui alia onera habent, quàm precum, Pastores, Episcopi &c. omittentes Horas, possint retinere maiorem partem fructuum istius diei, ratione dictorum onerum; sufficiatque dare tertiam partem, vel quartam fructuum: eò quòd tantùm obligentur ad restitutionem fructuum, respondentium oneri Divini officij. Navar. Fil. Bon. *p.* 3. Dian. *p.* 2. *t.* 12. *Res.* 8. citans alios multos.

4. Si talis Pastor habeat tenues reditus ad sustentationem, videtur ad nihil obligandus; cùm ob alia onera illi debeatur sustentatio. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 5. Imò Dian. *p.* 2. *t.* 12. *Res.* 9. & Mald. *tr.* 10. *c.* 2. *dub.* 3. dicunt eum, qui habet Beneficium valdé tenue: v.g. cuius reditus tertiam partem mediocris sustentationis, non adæquent: non teneri, ob Horas aliquoties neglectas, ad restitutionem.

5. Restitutio hæc fieri potest, vel pauperibus amicis, vel alijs, vel ipsi etiã Beneficiato, si pauper est. Item impendi potest in fabricam domus, vel meliorandos agros beneficij: quia hæc nomine fabricæ etiam intelliguntur apud Suar. & Bon. deniquè aliquando compensari potest, offerendo suffragia pro defunctis, alijsque precibus, vt Vid. Bon. *l. c. p.* 4. & sic etiam per alium seu per officium, aut preces ab alio ad tuam intentionem recitatas, & à te defunctis applicatas, satisfieri posse docet. Quintan. *t.* 8. *s.* 6. Nec continuò damnandum qui ordinariè recitare solitus, semel v.g. vel bis in anno omisit, etsi nihil restituat, docent Sot. Med. Fil. *c.* 10. *nu.* 316. & 317.

6. Qui pecuniam, quam ob neglectas Horas tenetur restituere, sive erogare in vsus pios, impendit in alios, quàm vel in pauperes, vel fabricam beneficij; non satisfacit (secundùm ius commune, vbi Concilium Lateranense, vel Bulla Pij V. est recepta) obligationi suæ, nisi aliud ferat consuetudo vel statutum alicubi receptum; quia disertè præcipitur restitui pauperibus, vel fabricæ beneficij. Vid. Bon. *q.* 2. *p.* 2. & 4.

7. Posse aliquando Beneficiatum excusari à restitutione, (ob Horas neglectas) titulo pecuniæ expensæ (intellige post omissionem Horarum) etsi non isto intuitu, in pauperes, vel alios vsus pios, censet Dian. *p.* 3. *Res.* 57. ex Lay. *l.* 3. *sess.* 5. *t.* 2. *c.* 12. *num.* 9. esse probabile; tum quòd quidam Authores ita sentiant; tum quòd videatur esse virtualis intentio omnium dantium eleemosynas, satisfacere per illas omnibus obligationibus, quas suis peccatis contraxerunt: tum quòd leges Ecclesiasticæ benignè debeãt explicari. Addit Ioann. de Salas, *de leg. d.* 15. *sess.* 2. *num.* 27. Vasq. Si Canonicus glossam, seu corpus suã Canonicatus veré, & absolutè lucretur priusquàm omittat Officium, non teneri ad restitutionem, propter omissionem sequentem; eò quòd pœna non sit, vt fructus iam suos factos restituat, sed vt fructus non faciat suos, Sic ille apud Dian. *p.* 2. *t.* 12. *Res.* 8. *vt infrà ar.* 4. §. 6. *in fine.*

8. Vbi Bulla Pij V. non est recepta, potest videri probabile, Beneficiatum ad dictam restitutionem non obligari, vt habet Syl. *V. Clericus.*

(***)

Universidad de Deusto Biblioteca

ARTICVLVS III.

Quæ excusent à recitatione Horarum?

REsp. Hæc sequentia. 1. Infirmitas gravis, v.g. dolor notabilis capitis; ita vt sine incommodo, vel incremendo morbi legi non possint, Dixi *gravis*; quia levis, v.g. dolor stomachi, aut pectoris, vel etiam aliquando febris tertiana, aut quartana non excusat, cùm toto die non affligat. Ita Navar. Filliuc. Layman. Bonac. *d.* 1. *q.* 6. *p.* 1. Porrò taliter excusatus non tenetur, vt quidam volunt, audire alium legentem, nec alium substituere, vt habet Filliu. & Sà: *V. Horæ.* Si tamen commodè potest, & solet legere cum socio, tenetur, vt habet Less. & Bonac. Vid. Dian. *part.* 2. *tr.* 12. *Res.* 43.

2. Iustum impedimentum, v.g. metus proditionis, inter Hæreticos. Item gravis, vel repentina occupatio, vel opera charitatis maioris momenti, quàm Horę, quæ sine scandalo, vel gravi incommodo tuo, vel alterius omitti non possint. Quo modo etsi Concionatores, vel Confessarij aliquando excusari possint, idque ex benignâ Ecclesiæ intentione, vt docent. Sylv. Suar. & Laym. &c. tenentur tamen anticipare, si possint, v.g. si manè prævideas, te totâ die Confessionibus occupandum, quæ differri non possint. Ita ex Suar. & Azor, Bonac *l. c. p.* 2. *num.* 1. & 2. & *c.* communiter.

Ex hoc capite dicunt etiam aliqui, non teneri te repetere, quod neglexisti (nec recitando, nec audiendo) dum thurificando ad Magnificat, vel Benedictus vel libros necessarios circumferendo; vel Lectionem mox cantandam prævidendo, vel alia in Choro necessaria peragendo, occupatus fuisti. Quia Chorus totus pro eo, qui in re ad Officij celebritatem pertinente, occupatur, videtur supplere, & non tantùm suo, sed etiam aliorum ministrantium nomine, recitare: aut canere. Ita Layman. *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 7. Henr. Sylv. Azor, Sot. Molf. Naldus, Arag. Reg. citati à Dian. *p.* 2. *t.* 12. *Res.* 13. Idem de eo, qui Choro organis musicis, alternis versibus respondet, dicunt Navar. Sanch. Arag. & Rodr. apud Layman. *loc. cit.* scilicet eum non esse obligatum, vt etiã voce proferat: sed negat Escob. *t.* 5. *Ex* 6. V. Trull. *d.* 16.

3. Cæcitas, Bon. *p.* 2. *n.* 4. & *c.* communiter.

4. Carentia Breviarij inculpata. Quòd si tamen memoriter possis dicere vel totũm Officium, vel vnam Horam, teneris. Si verò tantùm scias Psalmos, vel Lectiones, vel Capitula, dicit, Fill. *tom.* 2. *tr.* 21. *c.* 9. *num.* 287. citans Navarr. & Suar. item Escob. *Ex* 6. *nu.* 149. probabile esse non teneri: quia Psalmi vt sic, non sunt Hora Canonica, ad quam tenetur Clericus. Idem dicit Garcia *de Benef. t.* 1. *p.* 2. *cap.* 1. *num.* 221. Mald. *in* 2. 2. *t.* 10. *cap.* 2. *d.* 5. & Ioan. Sancius *in select. d.* 15. *num.* 1. citati à Dian. eò quòd Lectiones, & Capitula sint pars (licèt minor) maximé principalis; ita vt absque illis non sit Officium Canonicum. Idem concedit Sanch. *lib.* 1. *cap.* 19. in Matutino Festi duplicis, vel semiduplicis. V. Bon. *p.* 2. *num.* 6. Dian. *p.* 2. *t.* 12. *Res.* 30. & 43. Verùm hæc probare non ausim, sed potiùs quod docet Bonac. *d.* 1. *q.* 6. *p.* 2. impeditum ex aliqua dictarum causarum, si possit dicare partem notabilem, ad id teneri; aliàs ad nihil. Deniqué si quis careret Breviario, quo vti solet, v.g. Romano, tenetur legere aliud, quod habere potest; quia per vtrumvis impletur substantia præcepti, Creus. Escob. Dian. *p.* 9. *t.* 9. *Res.* 25.

5. Dispensatio, quam sine causâ solus Papa dat validè: cum causâ Episcopi. Et sic Subdiaconum qui ex dispensatione Pontificiâ ducit vxorem, hoc ipso liberari ab onere Horarum, contra Bon. & Azor docet Sanch. *de matr. lib.* 8. *d.* 8. Dian. *p.* 8. *t.* 3. *Res.* 34.

ARTICVLVS IV.

Quomodo recitandæ sint Horæ?

REsp. In recitatione Horarum sequentes circunstantiæ sunt servandæ. 1. Vt recitentur iuxta præscriptum Breviari, Romani, iussu Pij V. editi, saltem publicè. Excipe Religiosos, qui habent peculiare Breviarium Ordinis, & Ecclesias, quæ 200. annis ante institutionem Breviarij per Pium V. peculiare habuerunt: eæ enim sine consensu Episcopi illud mutare non possunt Privatim tamen omnibus etiam regularibus probabile est licere ex consuetudine, vti Romano, vt docet Less. *cap.* 37. *d.* 12. Rodr. & *Sà: V. Horæ.* Bonac. *d.* 1. *q.* 3. *p.* 1. Adde, quod qui eo vtitur, ne quidem in Choro obligatur ad Psalmos Pœnitentiales, Graduales, Officium defũctorum (excepto die Animarum.) Officium tamen B. V. in Choro recitari debet, vbi est consuetudo. Ita Filliuc. & Bonac. ex Bulla Pij V. & Clementis VIII. Item tenetur ad Litanias diebus Rogationum; tum quia sunt pars Officij eo die; tum quia peculiaris de eo est constitutio. Ita Bonac. *loc. cit.* Ex Filliuc. Etsi contrarium probabile esse dicat Dian. *p.* 2. *t.* 12. *Res.* 42. ex Vasq; item Escob. *t.* 5. *Ex* 6. Quòd si ex inadvertentiâ, vel necessitate, v.g. quia Lectiones de Festo nullas habes, Officium mutes, ita vt dicas de Feriâ, quando erat dicendum de Sancto, vel contrà, nullum erit peccatum, nec obligatio repetendi, licèt consultum sit repetere, ea, quæ ad proprium Officium pertinent: si verò studio idem muter, aliud sentiendum videtur, cùm ratio non sit eadem: Quanquam quòd eo casu venialiter tantùm pecces, nec tenearis repetere, vel restituere quidquam, eò quòd substantia præcepti sit impleta, probabile esse censeat Escob. *t.* 5. *Ex.* 6. *c.* 5. Dian. *p.* 3. *t.* 12. *Res.* 3. Item Caiet. Sylv. Binsf. Azor, Val. Less. Filliuc. &c. citati à Bonac. *d.* 1. *q.* 1. *par.* 1. *nu.* 17. & Dian. *loc. cit.* contra alios multos, quos citat, & sequitur Barbo. Layverò. *lib.* 4. *t.* 1. *cap.* 5. *num* 4. cum Suar. limitat, nisi per fraudem, quasi multo longius, in multó brevius, v.g. paschale mutetur: (licét Caram. apud Dian. *p.* 7. *t.* 11. *Res.* 6. contra communem sentiat, etiam sic præceptum impleri, & venialiter tantùm peccari, aut idem pro libito toto anno dicatur; quia est gravis inordinato. Imò nullatenus audiendus Caramuel. post decretum Alexandri VII. Vid. Trull. *d.* 14. *num.* 11. vbi docet, eum qui per errorem legit hodié de Sancto, qui cras v.g. colitur posse cras legere de Sancto, qui hodiè celebratur, ne is hoc anno omittatur, imò

ita faciendum esse vult. Quintan. *t.* 8. *sing.* 10. Verùm contrarium rectiùs tenet Villalob. eó quòd præstet semel, quàm bis errare; idque multis benè confirmat Cardin. Lugo. *Resp. mor. lib.* 5. *d.* 8. Similiter eum qui per errorem, vel oblivionem in Festo duplici, vel semiduplici non recitavit de proprio, posse de eo legere primo die non impedito 9. Lectionum Offiio, docet idem Quintan. *t.* 8. *s.* 9. esse probabile. Verùm & hoc meritò reijcit Cardin. Lugo. *loc. cit.* & ipse Quintan contrariam sententiam agnoscit probabiliorem. Deniqué qui in aliquibus Horis erravit, (legendo, v.g. de Feriâ, quando erat de Festo, vel contrà) agnoscens errorem, non debet eum continuare, sed reliquas Horas legere iuxta Officium eo, die currens, vt in is saltem conformet se toti Ecclesiæ, vel Communitati, cuius est pars, & observet legem quantum potest. Card. Lugo. *loc. cit.*

2. Pronunciatio vocalis exterior; ea enim est de substantiâ præcepti. Et si quidem cum socio legis (quod rectè fit, & est conforme primæ institutioni Ecclesiæ, ac publico orandi ritui, estque licitum, etiamsi is ad eas non obligetur, nec interiùs attendat. Bonac. *q.* 3. *p.* 2. §. 1.) ea pronunciatio adhibenda est, vt ab eo exaudiri possis, eumque audire vicissim. Sà tamen *V. Hora*, putat satisfieri, etsi quædam non percipias, quæ â socio dicuntur; neque ideó aliquid scrupulosè repetendum esse: si veró solus legas ita legendas esse, vt audire te ipsum possis, docent Regin. & Suar. sed probabile est, id non requiri, cúm Ecclesia id non præcipiat, vt docent Azor. *p.* 1. *l.* 10. *cap.* 11. *q.* 4. Bonac. & Dian. *res.* 11. admiscique Fill. *tr.* 23. *c.* 3. *nu.* 117. pro scrupulosis. Si plures duobus recitent officium simul, non debet vnus vnum, alter alterum, tertius tertium versum recitare, sed alternatim facto duplici tantùm choro, sive plures sint ex vna parte, sive pauciores: quia sic habet vsus, & praxis Ecclesiæ: secùs est de lectionibus, quarum primus primam, secundus secundam, tertius tertiam recitat, (imó alicubi consuetudo permittit vt omnes ab vno recitentur) alijs audiétibus. Bon. *d.* 1. *q.* 5. *p.* 2. §. 1. ex Suar. Azor. & Laym. addens etiam satisfacere eum, qui lectiones, vel orationes, vel capitula, vel responsoria tantùm audit, & non recitat. V. Bon. *l. c.* Trull. *d.* 16. *num.* 17.

3. Pronunciatio integra, sine syncopâ, & abbreviatione verborum, & syllabarum, & absque præcipitantiâ. Bonac. *d.* 1. *q.* 3. *part.* 2. § 1. Ex hoc tamen defectu in publico faciliùs peccari potest mortaliter, ratione scandali, & severioris præcepti Ecclesiæ, quam in privato Azor. & Filliuc. *t.* 2. *lib.* 23. *cap.* 2. Escob. Dian. *p.* 2. *t.* 12. *R.* 32. vbi addit. 1. Eum, qui cum tali, qui vltimas syllabas abscindit, recitat officium, satisfacere suo officio, nec teneri repetere. 2. Quando in cantu, propter nimiam celeritatem, & abscissionem syllabarum, (vel alia de causa) audientes non possunt verba percipere, & attendere, ordinariè tantùm esse peccatum veniale, neque obligari ad iteratam recitationem officij; nisi adsit contemptus, vel grave scandalum, seu notabilis corruptio, & deformatio verborum in toto cantu. Vid. Dian. *loc cit.* Sylvest. & Trull. *d.* 15. vbi ex Navarr. Azor. Less. & Palao, negat satisfacere eos, qui cum socijs recitant ita festinanter, nondum expletis â socio versiculis, ipsi incipiant, quia pars, quæ anticipatur, non communicatur cum socio, qui eam audire nequit. Excusant autem ex Navar. Sà, & Suar. surdum, qui alios in choro canentes non intelligit, nec sequi potest.

4. Pronunciatio continuata vnius Horę; si autem interruptio notabili tempore, sine causâ fiat, erit tamen veniale tantùm, vt aiunt. Fernan. Laym. & Less. *d.* 10. quia singuli Psalmi, suam completam significationem habent. Si iustâ ex causâ fiat, nulla culpa erit, nec repetenda priora. Quod verùm est, etiamsi animo repetendi interrupisses: consilij tamen est, si interruptio longa esset, repetere ab initio psalmi vel nocturni; imò probabile est, nocturnos singulos separatim, saltem intra trium horarum spatium dici posse (quod certum videtur, si iusta causa concurrat) quia secundùm quosdam antiquitús ita fiebat, vt docet Fill. *t.* 23. *c.* 6. & Bon. *q.* 5. *p.* 3. Escob. &c. Addit Quintanad. *t.* 8. *s.* 3. lectiones sivè tres sint, sivè novem posse absque culpâ gravi, sine causâ, & cum hac absque vlla culpâ dividi à psalmodia eiusdem matutini. Divisio autem matutini à laudibus, non dic interruptionem officij; vndè privatim fieri potest sine causâ Dian. *p.* 5. *t.* 14. *res.* 48. ex Bon. Fill. Sanch. &c. Item. Trul. *l.* 1. *c.* 7. *d.* 11.

5. Ne invertatur ordo Horarum absque iustâ causâ: quòd si tamen fiat, erit tantùm veniale; quia ordo iste, saltem extra chorum, non est sub præcepto, nisi secundariò, & tanquam circunstantia minoris momenti. Quód si per inadvertentiam, vel ex iusta causa mutes, v.g. vt amico, vel ægro, qui tecum legere cupit, satisfacias, nullum erit peccatum: vel si in choro dicantur posteriores Horæ cúm tu nondum dixeris priores; vel si inter orandum advertas te aliquid omisisse, vel priorem horam, nondum dixisse: perges enim, & supplebis in fine. Similiter si causa, vel necessitas instet Horas dicendi, potes dicere Laudes, dilatis lectionibus, vel aliquo simili, quod ad manus non est. Vid. Bonac. *q.* 3. *p.* 4.

6. Vt, nisi iusta causa excuset, dicantur tempore præfixo, à iure, vel consuetudine: quæ nunc obtinuit: Vt Matutinum, & Laudes, absoluto Completorio in Ecclesia, horâ circiter quartâ, & secundum. Bonac. etiam tertia dicátur: & hieme quidem mediâ horâ ante solis occasum dici posse, ait Filliuc. ex communi sententia; cum etiam privilegium quibusdam concedatur; vt horâ ante occasum dicant. Quod tamen non est signum, id sine privilegio fieri non posse, quia talia sæpé dantur ad tollendos scrupulos, & dubia, quæ sequuntur ex varietate opinionum. Iuxta eandem sententiam non peccabit, ait Bonac. qui primam, tertiam, sextam, & nonam duabus, vel tribus horis post ortum solis dicit: tum quia est moderata, & consueta postpositio: tum quia tempus à iure præscriptum magnam laticudinem, teste consuetudine, habet: erit tamen veniale, Matutinum, sine causa, ad vesperum differre; vel ante prandium sine causa Vesperas, & completorium dicere; quia hæc est insueta inversio. In Quadragesima autem Vesperæ legi possunt privatim post prandium, cúm rubrica Breviarij feriâ IV. Cinerum non imponat præceptum. Nav. Sanch. Trull. *d.* 18. *num.* 6.

Dixi, *sine causa*: quia si iter, aliave causa vrgeat secundum Caiet. & alios, omnes

omnes Horæ manè dici possunt, vsque ad vesperas inclusivè. Denique ad vitandum mortale sufficit dici omnes à media nocte, vsque ad alteram mediam noctem; præterquàm quód Matutinum pridiè possit anticipari. Quòd si intra dictum tempus quis horas non dixerit, peccavit quidem, non tamen tenetur postmodùm dicere; quia sunt onus affixum diei; etsi supplendo possit, secundùm quosdam, restitutionem subterfugere, eò quòd rependat æquale. Molfes. 3. *t.* 2. Item Maior. Palaud. Ledesma, &c. apud Henriq. *lib.* 13. *cap.* 13. Bonac. *d.* 1. *q.* 5. *p.* 2. *num.* 5. vbi dicit, eam sententiam esse probabilem, citatque pro ea Suar. & Filliuc. sed malé, quia hi loquuntur tantum de primo medio anno, vel spectato solo iure naturæ, & secluso iure positivo. Expressé autem, eam sequitur. Quintan. *t.* 8. *s.* 6. vocatque veriorem contrariâ. Vide etiã Dian. *p.* 2. *t.* 12. *Res.* 24.

7. Vt devoté, & cum attentione interna, virtuali saltem, recitentur, sive ea ad Deum sit, sive ad sensum verborum, sive, vt ait Caiet. ad verba solum. Quam postremam sufficere, rectè, notat Less. supposito tamen animo orandi, & vacandi Deo. Vndé attentionem confusam saltem ad Deum; & ad verba includit, cúm alioqui attentio præcisé ad sola verba, nihil ab externa attentione differre videatur. Ita communiter contra Navar. & Sylv. & Con. qui nullam attentionem internam requirunt, sed tantùm externam, quæ excludat omnem actionem incompossibilem cum attentione interna, licet animo voluntariè interea distraharis. Quæ sententia, secundùm Laym. & Less. non est improbabilis; & vtilis, tum scrupulosis, tum confessarijs, ne beneficiatis sine attentione Horas recitantibus, imperent restitutionem fructuum, partim ob Doctorum authoritatem, partim quòd hoc præcepto tantùm materiales quædam præces, earumque externa pronunciato, (per quam, sicut per hymnos organo cantatos, à Deo aliquid Ecclesia potest impetrare) præcipi videantur; devotio veró tanquam finis præcepti extrinsecùs, ad eius substantiam non pertineat. Verùm nostra sententia est communior, & probabilior. Et probatur: sine attentione enim internâ, nulla est oratio; ergo hoc ipso, quod sub mortali ad orationem obligaris, sub mortali item ad aliquam attentionem ex prædictis obligaberis. Nec refert, quod Ecclesia non possit per se actus internos præcipere; potest enim eos præcipere, vt sunt necessarij ad actus externos debitè præstandos, vt sunt actus virtutis. Quo modo cum possit præcipere confessionem, potest etiam contritionem.

Dixi, *cum attentione interna, virtuali saltem*: etsi enim melior sit actualis, sufficit tamen virtualis; quam Bonac. & alij communiter dicunt manere ex actuali, quandiu non revocatur expressè, vel tacitè per distractionem voluntariam, vel actionem cum debita attentione incompossibilẽ. Vndè licèt involuntarié distraharis, virtualiter tamen attendis. 1. Si in genere intenderis officium dicere, modo consueto, vel animo laudandi Deum, vel satisfaciendi tuo muneri. 2. Si cum confusa aliqua apprehensione, & proposito, opus consuetum faciendi, ecites, V. Bon. *d.* 1. *q.* 3. *p.* 3. *Ex dictis resolves.*

1. Is qui dubitat ob evagationem mentis, an aliquid omiserit, si probabilem coniecturam habeat, se dixisse, vel quia proposuit initio attendere, vel quia se reperit in fine, v.g. Psalmi, præsumere potest, se dixisse, si ex libro, vel memoria, cæteroqui non errare solita, dixit; proindeque melius erit, si non repetat, ad vitandas anxias consuetudines, & scrupulos, & vt totum officium sine perturbatione decurratur. Ita Binsfeld. *c.* 11. *d.* 13. Laym. *c.* 5.

2. Qui sponte distractus nullam harum attentionem habuit, graviter, peccavit, teneturque secundùm sententiam communem, Horas repetere, nec fructus facit suos: quia non fecit opus præceptum; quod erat, vt devotè oraret. Sotus, Navar. Reg. Fern. Suar. Bon. & Trull. *l.* 1. *c.* 7. *d.* 17. vbi ex Nav. addit non excusari à mortali eum, qui recitationem Horarum ita differt, vel ita se componit, vt advertat se somno præoccupandum; v.g. si Completorium vesperi reservet dicendum in lecto, sciens se tunc somno solere obrui. Quidam tamen Doct. pauló ante citati negant, eó casu necessariam esse repetitionem; eò quód substantia operis sit impleta, absque circunstantia devotionis. Multóque magis probabiliùs ijdem negant, obligationem restitutionis; eò quòd ad illam tantùm teneantur, qui officium omiserunt, non qui distractè dixerunt. V. Bon. *l.c.* Less. Lay. & Dian. *t. de Horis, R.* 1. & 2. Escob. *t.* 5. *E.* 4. *c. vlt n.* 62.

3. Cum recitatione officij coniungere actiones quæ notabiliter non impediunt, (v.g. induendi, abluendi,) veniale est, si fiat sine causâ; aliàs nullum. Escob. *l.c. c.* 7. Qui veró advertenter occupat se aliqua re incompossibili cum attentione interna, v.g. inscriptione, lectione, &c. graviter peccat, & præcepto non satisfacit, atque adeò tenetur repetere, Nav. Suar. Bon. Trull. *loc. cit.*

DVBIVM III.

Quid Clerici possint circa dispositionem fructuum suorum Beneficiorum?

Resp. 1. Clerici Beneficiarij quoad eam partem bonorum Ecclesiasticorum, quæ necessaria est ad congruam sustentationem, & decentiam status, ita fiunt Domini, vt de ijs possint liberè disponere. Vbi rectè notat Navar. hanc congruitatem, & decentiam habere latitudinem, & suos gradus; proindeque, si infimum congruæ sustentationis pretium sint florenni 300. medium 400. summum 500. Clericus autem infimo vivat, de residuo liberé posse disponere. Ita commun. quia id acquisivit vt stipendium sustentationis; quasi mercedem operis præstiti.

Resp. 2. Probabilius etiam est contra Navar. & multos Canonistas, beneficiarios non regulares, secùs enim est de Regularibus, vt ait C. Lug. *t.* 1. *d.* 4. *s.* 1. *num.* 2. absolutè esse dominos omnium suorum proventuum, ideòque etsi in profanos vsus expendant, non teneri ad restitutionem. Est communior inter recentiores, apud Binsf. Mald. & Bon. *d.* 4. *p.* 1. ex S. Thom. Sot. Mol. &c. tum quia fructus faciunt suos, vt supponit. Trid. *sess.* 24. *c.* 12. tum quia alioqui non possent fructuum dominium in alios tranferre (extra pios vsus) omnesque eorum donationes, & contractus essent invalidi, & vt tales à iudice declarandi: & bona Ecclesiæ restituenda: quod cùm nunquam sit factum,

Præsumi non debet esse faciendum C. Lugo. *d.* 4. *n.* 1. Quo non obstante teneri eos ad bona Ecclesiastica, congruæ sustentationi superflua, expendere in pios vsus, tam est communis sententia, vt C. Lugo. *d.* 4. *nu.* 10. dicat, nimis singularem esse sententiam Petri Hurt. & Dian. dicentium, eos satisfacere, (si seclusis gravibus necessitatibus) erogent in communibus necessitatibus, quartam partem redituum Ecclesiasticorum, vel certè dimidium eius quod congruæ sustentationi superest, V. Car. Lugo. *l. c.* vbi plurimis pro se citatis. Auth. ostendit. Tol. Mol. & Ban. malè citari pro contraria sententia; imó ipsosmet Hurt. & Dian. in ea non persistisse; atque nulla vel authoritate, vel ratione fulciri, ac denique suam multis probat præsertim ex Trid. *sess.* 21. *c.* 5. *de ref.* ostenditque, istam obligationem nasci ex iure, non tantùm humano, sed etiam divino naturali. Vide etiam Bon. *loc.cit. p.* 2. Porró congrua sunstentatio Clerici censetur, quæ necessaria est, ad statûs, & familiæ sustentationem, secundùm conditionem statûs, gradûs, dignitatis, qualitatis, & regionis, in qua habitat. Bon. *l. c.* Mol. Lay. C. Lugo, &c. *Vndè resolvuntur hi Casus.*

1. Congrua sustentatio non est æqualis respectu omnium, quia plus requirit Episcopus, quàm Decanus: Decanus, quam Canonicus; Canonicus in Ecclesia principali, quàm Parochus; debilis, & tener, quàm robustus, & valens: & quod sufficit in vno loco, non sufficit in alio. Qua propter attendi debet ad vsum aliorum, timoratæ conscientiæ, in eodem gradu, &c. Nec obstat, quòd beneficiarius emerserit ex humili, quo minus possit statui suo convenientes sumptus facere, vt ex Molin. docet C. Lugo. *loc. cit.* V. Bon. *l. c. n.* 8.

2. Nomine congruæ sustentationis, etiam intelligitur debita hospitalitas, non tantùm in pauperes peregrinos (qui maximè commendantur Clericis à Trid.) sed etiam vrbanos C. Lugo *nu.* 66.

3. Debita, quæ Clericus contraxit pro sua sustentatione, vel ob piam causam, potest solvere ex reditibus Ecclesiasticis; non item, quæ contraxit ante beneficium obtentum, nisi sit pauper. *Ibid. n.* 67.

4. Potest Clericus ex bonis superfluis licitè in studijs alere suos consanguineos, si aliunde non habent, eò quod parentes vel nolint, vel non possint alere in studijs. *Ibid.* & Bonacina *p.* 2. *n.* 13.

5. Si habet sorores pauperes, vel filios spurios, ex fructibus beneficij dotare licet, si aliunde non potest: quia naturali iure debet illis alimenta, in quorum locum succedit dos. Molin. Binsf. &c. Cavendum tamen sub mortali, ne vel illas notabiliter supra statum exaltet: vel hos legitimis æquet: etsi nobilis plus possit dare, quàm infimæ sortis, V. Lay. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 4.

6. Si bona superflua expendat in vsus profanos, v.g. in venationes, canes, equos, parasitos, ludiones, luxum in amicos, cognatosque ditandos, &c. (quod intellige de quantitate notabili in genere prodigalitatis, quæ longè maior est, quam in genere furti) graviter peccat quidem, non tamen tenetur ad restitutionem, quia est dominus fructuum; & consequenter neque is, qui accepit. Ita contra Nav. &c. communiter Doct. alij ex Trid. *sess.* 31. *cap.* 1. Azor, *t.* 2. *l.* 7. *c.* 8. *q.* 2. V. Laym. *l.* 4. *t.* 2. *c.* 3. *nu.* 4. Bon. *d.* 4. *p.* 2. *n.* 9. & *p.* 4. *n.* 1. &c.

Quæres 1. Quæ teneantur in pios vsus expendere?

Resp. Ea omnia, quæ acceperunt, sive ab Ecclesia, sive ab alijs tanquam Procuratores cultus Divini; non autem illa, quæ vel in cultum Divinum oblata non sunt, vel iam ab Ecclesia in cultum Divinum sunt expensa C. Lugo. *d.* 4. Ratio est, quia priora habent annexam obligationem religionis, posteriora non; vel si habuerunt, ea iam est extincta, per expensionem in pios vsus *Vndè resolves.*

1. In profanos vsus expendi possunt à Clericis bona patrimonialia, eaque, quæ hæreditate, industriâ, donatione, aliove modo, vt Laici, acquirunt, vivendo interim ex beneficijs. Item quasi patrimonialia, hoc est, quæ acquirunt quidem vt Clerici, non tamen vt reditus beneficij, sed vt stipendia alicuius officij Clericalis, v. g. ratione Concionis, pro Missa, funere, Officio defunctorum, administratione Sacramentorum, anniversarijs, &c. Sanch. Card. Lugo. *l.c. nu.* 23. Bonacina *p.* 2. *nu.* 19.

2. Probabilius est, in profanos vsus posse expendi distributiones, sive præsentias (vt vocant) quæ Beneficiarijs ob præsentiam in Choro distribuuntur. Ita Sylv. Bon. C. Lugo. *nu.* 24. Bonacina. *p.* 2. *num.* 17. contra Sanch. &c.

3. Fructus qui dantur ob Capellaniam, vel Vicariam non collativam, sed ad nutum amovibilem, possunt expendi in vsus profanos; quia non sunt fructus beneficij, (hoc enim confertur per collationem Canonicam) sed bona quasi patrimonialia. Vid. Card. Lugo. *nu.* 28.

4. Probabiliter etiam Pensionarius licitè suam pensionem expendit in vsus profanos, quia eam Papa extrahit ex reditibus beneficij & dat alteri, qui id beneficium non habet. C. Lugo. *l.c.* contra Bon. &c. Secùs est de eo, qui beneficium habet in commendam; quia substituitur loco Beneficiarij. *Ibid.*

5. Partem, quam Clericus parcè vivendo, sibi servat ex congruæ sustentatione, licitè expendit in vsus profanos, quia expensa est iam antè in vsus pios. *Ibid.* & Bon. *d.* 4. *p.* 2. *nu.* 14. ex Molin.

Quæres 2. Quid intelligatur nomine vsus pij?

Resp. Qui vel ad cultum Divinum, vel misericordiam spiritualem, aut corporalem ordinatur: v.g. ad cultum Templorum, necessitatem pauperum, hoc est, eorum, qui non habent necessaria, sive ad naturam, sive ad statum servandum: item in vsum Religiosorum, in Capellanias, Missas, Suffragia pro defunctis, Hospitalia, &c. *Vndè resolvuntur sequentes casus.*

1. Si Clericus superflua expenderit in vsus profanos, v.g. emerit sibi bona immobilia, non potest hęc retinere; quia obligationi bonis ijs annexæ non satisfecit, & adhuc potest satisfacere, cùm bona empta pretio æquivalent. C. Lugo. *nu.* 43. Vid. Bon. *nu.* 20.

2. Qui in vsum profanum à Clerico bona accipit dono ex superfluis, potest excusari à peccato, si cum non induxit ad talem donationem, neque per

per eam Clericus redditur impotens ad superflua expendenda in vsus pios. Vid. C. Lugo. *nu.* 40. Quia Clericus ex patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus potest substituere.

3. Clerici quidem ex consuetudine multis locis receptâ licitè possunt testari de reditibus beneficiorum, non tamen nisi ad causas pias: etsi enim vbi consuetudo invaluit, etiam in vsus profanos validè testentur, peccant tamen mortaliter. Vid. Less. *l.* 2. *c.* 19. *d.* 4. Lay. *l. c.* Bon. *d.* 4. *p.* 3. *n.* 2. *&* 5. Trid. *sess.* 2. *c.* 1. *de ref.* & sequitur ex dictis. Nisi tamen fecerint cum facultate Papæ; quę licèt superveniat testamento iam condito, facit tamen illud convalescere. Sanc. Salas, Dian *p.* 8. *t.* 3. *Res.* 99. *vid. suprà l.* 3. *t.* 5. *cap.* 4.

DVBIVM IV.

Quis sit habitus Clericorum; quæ artes officia, actiones ijs prohibeantur?

RESP. 1. Clericos maioribus ordinibus initiatos; vel etiam minoribus si habeant beneficium, quoad habitum obligari ad ferendam tonsuram, & vestem Clericalem, quæ non debet esse virgata, in qua diversi coloris virgæ ducantur, nec partita, seu dissecta.

Resp. 2. Quoad artes, prohibetur macellariorum, tabernariorum, iaculatorum, quorum etiam ludis, vtl, & hastiludijs, prohibentur interesse. Item medicorum, aut chirurgorum, vbi opus est incisione, aut adustione; nisi vt habet Navar. erga pauperes, aut propinquos, aut in necessitate.

Resp. 3. Quoad officia, prohibetur (si sint Beneficiati, vel initiati sacris) officium Iudicis in causa sanguinis, Advocationem, Patronorum, Tabellionum, seu Notariorum in placitis sæcularibus. Quod addo, quia in specialibus quibusdam casibus hæc licent; v.g. advocare pro personis coniunctis, & miserabilibus. Ratio autem est, quia Clericus non debet se immiscere negotijs sæcularibus. Sayr. *lib.* 12. *cap.* 25. *nu.* 6. (qui tamen concedit instrumenta ab eo facta valere,) Bonac. *in præcep. d.* 10. *q.* 3. *p. vlt.* Laym. *l.* 2. *t.* 1. *c.* 8. *num.* 4. & notat consuetudine inductum esse, vt officio Cancellarij, Consiliarij, imó etiam Iudicis fungi possint in causis civilibus.

Resp. 4. Quoad actiones, prohibentur arma portare, nisi in itinere, tabernas intrare, venationi clamosæ vacare (quod addo; quia venatio sine strepitu, recreationis, causâ, permittitur) accipitres, vel falcones alere pro venatione, aleis, aut taxillis ludere, mercaturam, aut negotiationem lucri causa, (non tamen necessitatis) exercere, cohabitare mulieri, nisi sit mater, soror, amita, aut certé, talis, quacùm nullum periculum, aut scandalum inmineat. Less. *l.* 2. *c.* 5. *d.* 9. *n.* 40. Caiet. tamen *V. Clericus*, contra Angel. & Navar. docet, horum, & similium transgressionem non esse mortalem, si absit temeritas, contumacia, contemptus, & scandalum. Vid. Laym. *lib.* 5. *tr.* 8. *c.* 12. *num.* 2. *&* 3. Nec refert, ait, quod transgressor sit excommunicandus, quia pœna est sententiæ ferendę, quam nonnisi contumax post monitionem incurrit. Quod tamen vniversim Navar. putat esse laxius, maximè cùm Canones vtantur verbo, *Præcipio*. Vndè ait esse mortale, si habitum, vel tonsuram non gestent. Quod restrin-

stringit. Bon. *dis.* 8. *de Sacram. q.* 1. *p. vlt. num.* 8. si sint initiati maioribus ordinibus, aut habeant beneficium, & tonsuram, vel habitum longo tempore, absque iusta causa, non gestent, tunc enim peccare mortaliter; citatque pro se Reg. Nav. Henriq. Vasq. Negant tamen Sylv. & Layman. *l. c.* si non sit notabilis excessus supra loci consuetudinem. Negotiari verò esse mortale, concedit idem Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 17. & allij commun. Sed de hoc *vid. suprà l.* 3. *c.* 3. *dub.* 7. *de emptione, & venditione.*

CAPVT III.

De statu, & officio personarum sæcularium quarundam, præsertim iudicialium?

DVBIVM I.

Quæ requiruntur ad legitimum iudicium?

RESP. Hæc tria. Primum est, Iurisdictio, sine qua sententia nulla est, & peccatur mortaliter, vt ex D. Th. 2. 2. *q.* 60. habet communis. Quare peccat Iudex sæcularis, si personas, aut causas merè Ecclesiasticas, ad se trahat; vt, & Ecclesiasticus, si merè civiles: nisi fortè per accidens, ob defectum iustitiæ in foro sæculari, aut nisi sint causæ miserabilium personarum. Porrò, quæ causæ dicantur merè civiles; quæ Ecclesiasticæ, & quæ mixtæ, nosse oportet Iudices, & Iurisperitos, potestque videri apud Laym. *l.* 4. *c.* 2. Vid. Card. de Lugo. *d.* 37. *s.* 3.

Secundum. Rectus processus, v.g. vt citetur Reus, & audiatur, &c. Nisi fortè expediat aliquando, cùm delicta sunt atrocia, in flagranti crimine deprehensos subitó plectere, vel in criminibus exceptis, communem procedendi modum mutare: nam Iudici supremo (dummodò crimen sit publicum) aliquando licere sine citatione, defensione, & omni processu, Reum morti adiudicare, eó quòd factum notorium, & publicum, sit loco accusatorum, & testium, neque Reo ius defendendi se in iudicio relinquat, docent Navarr. *c.* 25. *nu.* 10. Less. Fill. Bon. *d.* 10. *in præcep. q.* 2. *p.* 2. *num.* 5. *vid.* etiam C. de Lugo. *d.* 37. *s.* 5. Trull. *l.* 8. *c.* 1. *d.* 13. Vbi tamen benè notandum, quod etsi talia crimina excipiantur à communi dispositione legis positivæ, & iuris communis, non tamen legis, seu iuris naturæ: ideóque graviter peccare iudicem, qui in tali processu, v.g. contra Sagas quidvis licere putat. *Vid. Cautionem criminalem cap.* 17. 18. 37. *& sequent.*

Tertium. Recta intentio, vt scilicet procedatur ex intentione iustitiæ. Vndè si Iudex procedat ex odio, aliove fine malo, v.g. ob inanem gloriam, peccabit, non quidem contra iustitiam; sed charitatem, aliamve virtutem mortaliter, aut venialiter, provt finis illius mortalis, aut venialis erit. Bonac. *d.* 10. *q.* 2. *p.* 3.

(***)

DV-

Universidad de Deusto Biblioteca

DVBIVM II.

De potestate, & officio Iudicis.

ARTICVLVS I.

Quid requiratur in Iudice?

REsp. 1. Præter tria dicta superiore dubio, requiritur scientia, quâ sciat suo munere rectè fungi. Ita commun. Doct. & Bon. *d.* 10. *q.* 2. *p.* 3. Ratio est, quia quilibet tenetur scire ea, quæ pertinent ad proprium officium & sine quorum cognitione munus suum, & officium exercere non potest. *Vndè resolvuntur sequentes casus.*

1. Petens, aut suscipiens officium Iudicis (idem est de Medico, & Chirurgo, vt *vid. infrà dub.*7.) quò indignus est; ita vt probabile sit, indè notabile damnum proximi secuturum, peccat mortaliter. Navar. *c.* 25. S. Anton. C. de Lugo. *dis.* 37. *num.* 1.

2. Iudex carens necessariâ scientiâ, non debet absolvi, nisi factâ renunciatione officij, vel nisi firmum habeat propositum renuntiandi. Ita S. Th. 2. 2. *q.* 76. *ar.* 2. Cai. Clavis Regia. *l.* 12. *c.* 13. *n.* 2. Reg. *d.* 25. *nu.* 675. Nav. *c.* 25. Farin. 3. *p. q.* 3. *ar.* 16. Ratio est, quia nullus potest officium, cuius munia obire non potest, retinere, præsertim cum damno, vel periculo proximi.

3. Si Iudex ex magnâ imperitiâ malè iudicet, tenetur ad interesse parti læsæ, & ad expensas litis; vt etiam, quotiescumque notabile damnum, sive in substantiâ litis, sive in superfluis expensis, propter eius culpabilem ignorantiam, partibus litigantibus accidit. Bon. C. Lugo. *locis citatis.*

4. Si Iudex agnoscat errorem à se (etsi sine gravi culpa) commissum in præiudicium litigantis, tenetur, si potest citra infamiam impedire errorem: v.g. monendo occultè partem læsam, vt sibi apellatione, vel aliter consulat. Quia id pertinet ad debitam muneris executionem. C. de Lug. *l.c. nu.* 3.

Resp. 2. Iudex tenetur causas iudicare, & celeriter expedire. Quia ex officio tenetur cuique tribuere suum. Quod non facit, si sententiam sine iusta causa differt. *Vndè resolvuntur sequentes casus.*

1. Iudex mortaliter peccat contra officium suum differendo valdè notabiliter causarum expeditionem, sine iusta causa Sylv. *V. Iudex q.* 12. Clavis Reg. *c.* 12. *n.* 8. Nav. *c.* 25. *nu.* 14. *&c.* cum Bon. *d.* 10. *q.* 2. *p.* 3.

2. In casu dicto, idem Iudex tenetur parti læsæ damna, & expensas, quæ ex iniquâ dilatione secutæ sunt, restituere: quia est earum iniusta causa. *Ib. Aut. l.c.*

3. Si Iudex in exequenda causa, & proferenda sententia negligens, aut iniquus sit, non tantùm parti læsæ, sed interdum etiam Fisco tenetur; v.g. si mulctam pecuniariam, quam ex consuetudine, vel lege communi debebat imponere reo, sine causa intermisit. Sanct. Thom. 2. 2. *q.* 67. *ar.* 4. *ad* 3. Sylv. *V. pœna; q.* 28. Salon. Laym. *l.* 3. *tom.* 2. *c.* 5. *nu.* 7. contra Azor.

(***)

ARTI-

ARTICVLVS II.

Quid Iudici servandum circa inquisitionem?

TRibus modis procedi potest contra criminosos. 1. Viâ accusationis, cùm est aliquis actor, qui spondet se obiecta probaturum. 2. Viâ denunciationis, cùm deferens crimen, non vult suscipere onus probandi. 3. Viâ inquisitionis, quæ triplex est. 1. Generalis, quando in genere quæritur an leges serventur. 2. Specialis, quando de certa persona, & certo crimine quæritur. 3. Mixta, quando vel sola persona, vel cirmen solum est speciale; vt si quæratur, quis Caium occiderit.

Resp. 1. Iudex sine vlla data occasione, ex solo officio suo, potest instituere inquisitionem generalem; in qua tamen eius potestas non extendit se ad occulta elicienda, de quibus nulla est fama. Ratio prioris est, quia id necessarium est Reip. nec cuiquam fit iniuria. Ac licèt quarundam scelera detegantur, id fit per accidens, præter intentionem: cui incommodo bonum commune prævalet. Ratio posterioris est, quia indè maxima sequerentur incommoda. Farin. Less. *l.* 2. *c.* 28. *d.* 13. *Vndè resolves.*

1. In hac inquisitione, subditus etiam rogatus sub iuramento, non tenetur, imò nec potest, prodere criminosum occultum Lay. *l.* 3. *t.* 6. *c.* 2.

2. Si talem revelet, peccat contra iustitiam (nisi fortè cederet non tam in pœnam, quàm certam eius, qui deliquit, emendationem, vel ad grave malum ab alijs avertendum) cùm enim crimen, vt ponitur, probari non possit, ac proindè ex eius revelatione non possit aliud sequi, quàm infamia, nullum habet ius revelandi. Laym. *Ibid. &. t* 3. *p.* 2. *cap.* 4.

3. Si in hac inquisitione, ex relatione duorum, vel trium, deprehendatur alicuius criminis author, potest per tales testes contra illum procedi, vt habet praxis communis. Laym. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 12.

Resp. 2. Quando crimen est manifestum, & ignoratur auctor, licet Iudici quærere in genere, quis fecerit non tamen in particulari, v.g. an Petrus fecerit; nisi infamia aliqua, aut indicia precesserint. Pars prior patet, tum ex praxi iudicum, tum ex incommodis contrarij. Ratio posterioris patebit ex sequentibus. Vid. Bonac. *d.* 10. *in* 8. *præceptum. q.* 2. *p.* 5.

Resp. 3. Vt Iudex faciat inquisitionem specialem, debet, saltem regulariter, præcedere infamia, vel quid æquipollens, quod iustam det causam. Ratio est; tum quia alioqui diffamaret sine causa; tum quia Iudex procedere debet ex scientia publica, quam non habet, nisi per accusationem, vel confessionem, Rei, vel evidentiam facti, vel per infamiam: ad quam non sufficiunt duo testes, qui iurent se vidisse crimen admitti, quia adhuc est occultum; sed requiritur vt rumor sit sparsus per maiorem partem Communitatis, id est Civitatis, viciniæ, vel Monasterij, neque à maledicis sit exortus; etsi hac in re tutum sit, sequi praxim communem bonorum virorum, & Rerumpub. vt habet Laym. *l. c.* & Less. *dub.* 15. *ar.* 19. ex alijs Bon. *l.c. Vndè resolves.*

1. An-

Universidad de Deusto Biblioteca

1. Antequam Iudex procedat ad inquisitionem specialem, v.g. infamiæ, ipsa infamia priùs examinari debet, & probari per testes saltem duos, qui nominent personas, à quibus id publicè audiverint Navar. Rub. *de Iud.* Trull. *lib.* 8. *cap.* 1. *d.* 17.

2. Iudex infamatum de vno crimine, v.g. adulterio, non potest interrogare de alio, de quo non est infamatus, v.g. furto; quia esset inquisitio specialis, sine prævia infamia. Salon, Caietan. Trull. *l.* 8. *cap.* 1. *d.* 18. nisi tamen crimina sint connexa, vel vnum sit circunstantia alterius. *Ibid.* & Sanch. 2. *p. cons. l.* 6. *c.* 3. *d.* 21.

Dixi in resp. *Regulariter*: quia ad specialem inquisitionem non requiritur infamia prævia in casibus certis, quos Vid. apud Less. *l.* 2. *c.* 29. *d.* 15. Bonac. *t.* 2. *d.* 10. *p.* 5. Sanch. 2. *p. cons. l.* 6. *c.* 3. *d.* 19. Trull. *l.c.*

ARTICVLVS III.

Quid liceat Iudici circa quæstiones, sive torturam?

RESp. 1. Ad torquendum Reum (si tamen torqueri potest) requiruntur alicuius gravis criminis ea saltem indicia, quæ faciant semiplenam probationem, idest, reddant rem plusquàm probabilem: qualia habentur, v.g. testis vnus omni exceptione maior, Rei confessio extra iudicium; item probabiliter etiam assertio duorum, vel trium criminis sociorum in criminibus exceptis; præterquam veneficij, (in quo, an ex sola denunciatione complicum, & quomodo procedere licear. Vid. Tann. *tom.* 3. *d.* 4. *de iust. dub.* 2. & 3. Laym. *lib.* 3. *t.* 6. *c.* 5.) item fama publica à viris honestis orta, ac per testes probata, cum alterius indicii adminiculo (nam fama sola non probat, sed habet se instar accusatoris) Layman. *lib.* 3. *tr.* 6. *cap.* 5. *num.* 9. ex varijs. Ratio responsi est, quia tortura instituta est, ad subsidium probationis, quando argumenta, & indicia sunt valdè afficacia, vt sic plena probatio eliciatur; nam confessio Rei (si eam ratificet extra torturam, maneatque in ea vsque ad sequentem diem) ex semiplena probatione facit plenam. Less. *l.* 2. *cap.* 29. *d.* 17. Delrio. *lib.* 5. *s.* 3. Laym. *loc. cit.*

Dixi in responsione. *si tamen torqueri potest*: quia quædam personæ prohibentur torqueri, nisi in criminibus exceptis: tales sunt viri in magna dignitate constituti, Officiales Principum, Vrbium Gubernatores, Nobiles Equestris Ordinis, Milites, Doctores, eorumque liberi: item impuberes, senes memoriâ vacillantes, prægnantes, & nondum confirmatæ à partu. Delrio. *s.* 9. Bonif. *cap.* 6. Card. de Lugo. *d.* 37. *s.* 14. *Vndè resolves.*

1. Peccat Iudex graviter, si non priùs omnia alia media mitiora detegendæ veritatis tentet, quàm ad torturam descendat.

2. Torturâ simpliciter abstinendum est, quando adest plena probatio criminis; quia ad hanc ordinatur tortura. Nav. Less. *l.c.*

3. Insufficiētia ad torturam indicia sunt, si cadaver occisi sanguinet, ad præsentiam alicuius; si Sagæ non possint lachrymari. Item illicita est probatio per aquas, &c. de quibus V. Delr. *l.* 5. Less. *nu.*

Less. *nu.* 176. Trull. *l.* 8. *c.* 1. *d.* 21.

4. Peccant Iudices, qui in causis criminalibus, aut notabilis infamiæ reum comprehensum, antequam habeant probationem contra ipsum, iuramento adstringunt, ad dicendam veritatem de omnibus pertinentibus ad casum, ob quem comprehensus est. Navarr. *cap.* 18. *num.* 41. & *cap.* 25. *num.* 36. Additque, idem esse, si (etsi sine iuramento) minis, terroribus, tormentorum offensione, hominem turbent, & implicent, vt sibi contradicens circunstantiam aliquam revelet, qua convincatur, & puniatur. Vid. Card. de Lugo *d.* 40. *num.* 1.

5. Si Iudex extorserit confessionem per iniuriam, v.g. si extorserit exemptos, sine sufficientibus indicijs, si dolo malo, mendacijs, fictâ impunitatis promissione induxit ad fatendum, vel aliter (sive quoad substantiam, sive quoad modum) notabiliter excesserit tortura, confessio nulla est, nec potest ex ea procedi; imò tenetur Iudex ad compensationem damnorum, vt docet Card. de Lugo. *d.* 37. *s.* 14. *n.* 157. V. Less. *c.* 19. *dub.* 18. Laym. *l.* 3. *t.* 6. *c.* 5. vbi etiam dolos bonos, quos Delrio suggerit Iudici, planè reijcit, V. Tan. *tom.* 3. *d.* 4. *q.* 2. *d.* 4. Trull. *l.c.*

6. Licèt Reus confessionem iniustè extortam postridiè ratificet, nihilominùs Iudex non potest procedere ad punitionem Rei, vel complicis occulti: quia cùm confessio fuerit irrita, consequenter etiam ratificatio ex eâ orta, ex *l. penult. ff. de quæst.* atque adeó etiam cognitio per illud medium parta, est iniusta. Navar. Salon, Less. Sayr. Trull. *loc. cit. d.* 10.

Resp. 2. Graviùs torqueri potest, contra quem graviora sunt indicia, non tamen ita, vt moraliter sit impossibile tormenta sustinere, habita ratione personarum. Vndè si hic excedatur, confessio extorta, erit involuntaria, & habenda pro nulla, etiamsi extra tormenta coram Iudice ratificetur, metu novæ torturæ. Lay. *c.* 15. *nu.* 11.

Resp. 3. Semel tortus, si nihil est fassus, iterùm torqueri non debet, nisi nova criminis indicia superveniant: quia per torturam priora clusit. Si verò crimen in tortura fassus, extra eam revocet coram Iudice, repeti tortura potest: tum quia indicia manent in suo vigore: tum ob incostantiam. Si verò tertiò tortus, ac confessus, tertiò retractet, absolvendus est, quia præsumendum est, vi tormentorum coactam fuisse confessionem, ideòque nullam. Less. *c.* 29. *d.* 17. Excipiunt quidam, si indicia sint gravissima, quæ violentam præsumptionem pariant, crimen malitiosè á Reo negari Laym. *loc. cit.* V. Card de Lugo. *d.* 37. *nu.* 156. Dian. *p* 3. *tr.* 6. *Res.* 16. & 23. Trull. *loc. cit. Vid. infrà hic dub.* 6. & 7. An, quando, & quomodó Iudex possit interrogare Reum de complicibus. Vid. Trull. *l.* 18. *c.* 1. *d.* 22.

ARTICVLVS IV.

Quid servandum Iudici circa sententiam, & pœnam?

RESp. 1. Iudex debet iudicare secundùm leges. Vndè inferior Iudex ordinariè non potest pœnam relaxare, vel minuere, etiamsi actor consentiat; nisi aliquando ad bonum Reipub. aliud necessa-

Universidad de Deusto Biblioteca

cessarium esse dictaret epikeia, vel nisi de privata tantùm iniuria actoris ageretur. Sanct. Thom. 2.2. *q* 65. *ar*. 5. Regin. *lib*. 25. *num*. 643. Bonac. &c. Trull. *lib*. 8. *c*. 1. *q*. 12.

Dixi *inferior*: quia supremus, ob iustam causam id potest: sine causa tamen graviter peccaret, secundùm Caiet. *V. Iudex*; quia animaret delinquentes, & concurreret ad peccatum. An autem liceat intercedere apud Iudicem pro liberatione Rei. Vid. Bon. *l. c.* & Trull. *l. c.*

Resp. 2. Si in aliqua causa fuit Advocatus, in eadem Iudex esse, & sententiam ferre non potest. *L. eos in princ. C. de appel. & præter de iurisdict.* quia iudicium eius habetur suspectum, propter affectum ad vnam partem, vt ex communi DD. docet Sanch. *l. Consil. cap. vn. dub*. 16. (additque *num*. 3. sententiam non fore validam: quod tamen alij negant, si sic Iudex ordinarius) Card. de Lugo *de iust. d*. 41. *sect*. 1. *num*. 4. Vide etiam Dian. *p*. 3. *tr*. 5. *misc. Res*. 56. vbi ex Corduba sentit talem Iudicem in conscientia non peccare, si sine affectu, secundùm leges, altera parte inscia iudicet.

Resp. 3. Quem Iudex privatà sententiâ scit esse nocentem, si iuridicè sit probatus innocens, non potest condemnare: quia iudicat vt persona publica, ideòque sequi debet scientiam publicam, ac procedere secundùm allegata, præsertim in favorem Rei. D. Th. 2.2. *q*. 67. Navar. *c*. 25. Caiet. Fill. Less. Bon. *d*. 10. *q*. 2. *p*. 2.

Resp. 4. Quem Iudex privatim scit esse innocentem, si iuridicè probatus sit nocens, tenetur omni modo liberare, si potest, v.g. impediendo accusationem, extrahendo iudicium, aperiendo carcerem (si sine maiore malo potest) remittendo causam ad Superiorem; & si sic nihil efficiat, probabiliter quidem plurimi Doctores tenent cum Sanct. Tho. *loc. cit.* ob rationem paulò antè datam, quod possit condemnare: verius tamen videtur contra ium, quod cum alijs docent. Less. *l*. 2. *cap*. 19. *d*. 10. Sà, *V. Iudex*, Petr. Navar. Filliuc. Bon. *d*. 10. *q*. 2. *p*. 2. *num*. 2. Tol. &c. Vid. Card. de Lug. *d*. 37. *s*. 14. quia directè occidere innocentem, est intrinsecè malum; ergo quomodocumque sciatur esse innocentem, erit peccatum. Less. *loc. cit.* In causis tamen civilibus, & criminalibus minoribus, vbi tantùm agitur de pœnis pecuniarijs, potest etiam Iudex, secundùm hos Authores, simpliciter procedere secundùm allegata, & probata: tum quia innocens per appellationem potest restitui in integrum; tum quia Respub. habet potestatem in bona suorum Civium, quando bonum publicum id requirit vt in hoc casu, ne forma publicorum iudiciorum cum populi scandalo evertatur. V. Lay. *c*. 2. *nu*. 8. Less. *d*. 10. Bon. *l*. 5. *n*. 4.

Quæres 1. Quid faciendum Iudici, cùm vtrinque sunt sententiæ probabiles in quæstione iuris, v.g. an ex testamento minùs solemni debeatur hereditas?

Resp. Debet ferre sententiam secundùm opinionem de iure probabiliorem, saltem si sit Iudex supremus. Neque tunc videtur tenendum, quod quidam docent, eum satisfacere conscientiæ, si causam adiudicet defendenti se probabiliter, licèt alter probabiliùs. Ratio est, quia Iudex est constitutus, vt secundùm merita causæ, & sententiam, quæ

quæ ei maximè videtur rationi consona, causam decidat; quia alioquin esset exceptor personarum.

Dixi, *si supremus sit*: quia si sententia aliqua communiter sit recepta in Tribunali superiore, Iudex inferior videtur secundùm eam posse iudicare, licèt minus probabilem: quia videt probabiliorem cum honoris sui præiudicio, revocandam in superiore Tribunali. Layman. *lib*. 1. *tr*. 1. *c*. 5. *§*. 3. *num* 16. ex Sylv. Vasq. &c. *vid.* tamen Card. de Lugo *d*. 37. *s*. 10.

Resp. 2. Si opiniones oppositæ æquè probabiles videantur, non licebit vni eorum adiudicare totum pro suo arbitrio, cùm vterque æquale ius habeat; sed suadebit compositionem; imò etiam imperabit in casu nimis intricato; (aliàs enim non licet) vel vni dimidium, & alteri alterum, dimidium iuris, aut rei, de qualis est, adiudicabit; memor interim axiomatis: quod; si partium iura sint obscura, potiùs favendum sit Reo, quàm actori. *Ibid.* Bonac. *de peccatis*, *d*. 2. *q*. 4. *p*. 9.

Quæres 2. Ad quid teneatur Iudex, qui sententiam iniustam tulit.

Resp. 1. Si dolo, vel (*vt dixi d*. 2. *ar*. 1.) magna imperitia id fecit, litem fecit suam, idest, damnum partis læsæ in se transtulit, cui tenetur restituere. Bon. *d*. 2. *q*. 2. *p*. 4. ex S. Tho. &c. *vid. supra d*. 2. *ar*. 1.

Resp. 2. Si alioqui dignus suo munere (tametsi id petens impetraverit, alijs dignioribus neglectis) per oblivionem, ea humana fragilitate erraverit, non obligatur in conscientia ad restitutionem ex propijs, cùm iniuriam formalem non intulerit, neque aliquid commodi ex tali sententia acceperit, vel potiùs (secundùm alios) cùm culpam Theologicam non commiserit: debet tamen revocare sententiam, si potest sine gravi incommodo. Laym. *lib*. 3. *t*. 6. *c*. 2. *nu*. 11.

Quæres 3. An sententia Iudicis iniusta obliget in foro conscientiæ?

Resp. Sententia iniusta ex natura rei, aut ex omissione ordinis iuris simpliciter necessarij, sive feratur per falsò allegata, & probata, sive ex Iudicis iniquitate, nullum habet robur in foro conscientiæ, manetque parti læsæ, tametsi non appeller, ius suum, licebitque, si absque scandalo possit recuperare bona. S. Thom. Sayr. Bonac. *d*. 10. *q*. 2. *p*. 4. Trull. *l*. 8. *c*. 1. *d*. 7. Ratio est, quia sententia eatenùs obligat in conscientia, quatenùs habet rationem iudicij, hoc est, vt est determinatio iuris & definitio iusti.

Dixi, *in foro conscientiæ*: quia in foro externo, vbi non tam veritas facti, quàm probatio iuridica spectatur, sententia prolata servanda est, ad evitanda scandala, & incommoda, neque elapso termino, (intra quem appellare licebat) actio ei conceditur, lege sic statuente, tum in pœnam pigritiæ, tum ob bonum publicum, vt litium sit finis. Trull. *lib*. 8. *cap*. 4. *d*. 7. ex Sayr. &c. *Vndè resolves*.

1. Is, cuius bona per sententiam manifestè iniustam adiudicata sunt alteri potest (nisi alter iustè præscripserit) per occultam compensationem ea recipere: quia recuperat ius suum. *Ibid.*

2. Qui sciens, per iniustam sententiam, malâ fide accepit bona, tenetur ea semper restituere, nec vnquam præscribere potest. Quia sunt aliena, & possessor malæ fidei nunquam præscribet, imò

Universidad de Deusto Biblioteca

imò tenetur expensas restituere, & compensare damna, etiamsi pars læsa non appellaverit, cùm non renunciet ideó iuri suo.

3. Qui bonâ fide rem postulat à Iudice, & bonâ fide accipit, intelligitque ante tempus præscriptionis finitum, fuisse sententiam iniustam, tenetur eam, non tamen expensas, restituere. Si verò possedit rem bonâ fide, tempore ad præscribendum necessario non tenetur restituere; quia legitimè præscripsit. Salon, Sayr. Trull. *l.c.*

Quæres 4. Quid liceat Iudici circa munera?

Resp. 1. Etsi à partibus munera liberalia accipiens, aliquando peccet, vel ob scandalum; vel ob periculum, pervertendi iustitiam; acceptorum tamen dominium comparat, spectato iure naturæ.

Resp. 2. Etsi lex positiva munerum acceptationem prohibeat, accipiens tamen non tenetur ad restitutionem ante sententiam Iudicis, nisi lex exprimat, quod non illicita tantùm, sed etiam invalida sit acceptio. Vid. Bonac. *in.* 8. *præcept. q.* 2. *p.* 8. Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 4. *nu.* 9. *&* 10.

Resp. 3. Si Iudex iniustè extorqueat munera, nolens facere quod iustum est, & debet, nisi ea dentur, tenetur restituere: vtì etiam, si quid datum sit ad redimendam vexationem v.g. ne iniustè faveat parti adversæ, ne causam nimis differat. Quanquam hoc casu interdum præsumi possit, datorem remittere obligationem restituendi. Laym. *l.c.* ex Gab. & Reb. &c.

(**)

DVBIVM III.

Quod sit officium Advocati?

SVppono secundùm omnes, in Advocato quatuor requiri, scilicet sciẽtiam convenientem, iustitiam causæ, fidelitatem, & pretium iustum: quod si taxatum est, non licet vltra hoc accipere: vbi non est taxatum, sufficit iustum naturale, vt Vid. apud Bon.

Resp. 1. Non potest sub gravi peccato suscipere causam, quam scit esse iniustam. Ex causis autem civilibus, in vtramque partem probabilibus, & dubijs, potest vtramvis, etiam minùs probabilem tueri; dummodò cliens de minore probabilitate moneatur. Vasq. Salas, Card. de Lug. Dian. *t.* 1. *p.* 2. *Res.* 4. Quia vtraque pars habet ius proferendi suas rationes in iudicio; ergo etiam Advocatus patrocinandi: neque semper est verius, quod videtur probabilius: & fortè aliud erit iudicium Iudicis. Bonac. *de pec. d.* 2. *q.* 4. *p.* 9. *& suprà lib.* 1. *cap.* 2. *d.* 2. *& in præcept. d.* 10 *q.* 3. *part.* 4.

Dixi *Civilibus*: quia in causa criminali dubia, non licet tueri partes actoris, qui in tali casu graviter peccat contra Reum; ergo etiam Advocatus. Fil. *l.* 40. *c.* 1. Neque quando actor contra possessorem agens scit se nihil posse evincere, sed rem mansuram semper dubiam: quia tunc iniustè vexatur possessor; pro quo tandem Iudex debebit iudicare, vt Vid. C. de Lugo *de iust. d.* 41. *nu.* 7. Sal. *in* 1. 2. *d.* 1. *s. vlt. nu.* 108.

Resp. 2. In causa criminali, potest Reum etiam sontem defendere, vt mortem, aliamve pœnam evadat: quia Reus non tenetur ad pœnam, nisi convictus; ergo

ergo potest per se, vel alium, eam avertere, donec convincatur. Bon. *d.* 10. *q.* 3. *p.* 4. *nu.* 7.

Resp. 3. Advocatus tenetur pauperibus in extrema, vel gravi necessitate, gratis patrocinari, sine notabili tamen suo incommodo. Ratio est, lex charitatis. Nav. Caiet. Less. Fill. Bon. *l.c. Vndè resolves.*

1. Advocatus, qui sciens patrocinatur causæ iniustæ, tenetur ad compensationem omnium damnorum indè consequentium. Vndè parti contrariæ restituere debet ex peccato commissionis; quia fuit illi causa positiva damni: similiterque si causam dubiam tueatur, eamque obtineat fraude: quia intercedit iniustitia, ratione partis adversæ: Clienti vero suo, tenetur restituere ex peccato ommissionis: quia ex officio tenebatur monere ignorantem causæ iniustitiam. Quod addo, quia si Clienti constabat causæ iniustitia, non tenetur illi restituere. Bon. *d.* 10. *q.* 3. *p.* 4. Less. *l.* 2. *t.* 3 *d.* 5. Fill. Laym. Tan. *q.* 4. *dub.* 6. *nu.* 127.

2. Similiter peccare, & ad restitutionem teneri, quando defendit articulum iustum causæ iniustæ, vt sic Adversarium vexet, impediat, differat, aut pervertat, docet Trull. *l.* 8. *c.* 5. *d.* 3. ex Caiet. Sayr. &c. Quia censetur defendere causam iniustam.

3. Quando causa nihil ferè habet probabilitatis, ita vt vix moraliter sit spes obtinendi, eó quòd apud Iudices semper reiiciatur, regulariter non licet suscipere: tum quia facit, vt Cliens sine fructu tempus, & pecuniam perdat: tum quia talis communiter non habetur probabilis. Lugo *de iust. d.* 41. Quando autem cliens habet bonum ius in causa possessionis, non tamen in proprietate, an liceat Advocato eum defendere in causa possessoria, (dum de proprietate non agitur, quidam affirmant, negant alij. Vid. Fagund. *in p.* 8. *c.* 47. *nu.* 13. Molin. *t.* 1. *tr.* 2. *d.* 81. C. Lugo. *l. c. num.* 10.

4. Advocatus, antequam patrocinium causæ suscipiat, tenetur examinare eius æquitatem, & probabilitatem, eamque Clienti indicare sincerè: si enim falsa promissione, vel inani spe victoriæ sumptibus involvat, tenetur ad restitutionem. Bon. *de pec. d.* 2. *q.* 4. *p.* 9. vti & si qualitatem ac statum causæ, seu periculum eius perdendæ indicare neglexerit, & cliens eo cognito litigaturus non fuisset. Quod si dubium sit, an eo casu litem prosecuturus fuisset, neque id vllâ diligentiâ cognosci possit, non teneri Advocatum ad damna resarcienda, docet Bardi. *d.* 4. *c.* 29. Quod melior sit conditio possidentis, dum de damno illato non constat.

5. Si Clientis causam minùs probabilem, dicat esse omninò iustam, tenetur de damno, si Cliens cognito causæ dubio, non fuisset litigaturus Bon. *loc. cit.*

6. Si in progressu causæ iniquitatem videat, tenetur mox monere Clientem, & suadere vt desistat; aliàs ad restitutionem damnorum obligabitur: quia cùm stipendio sit conductus, tenetur ex iustitia monere. Tan. *l. c.* Neque potest vel ipse, vel Iudex suadere compositionem cum damno partis: quia compositio non habet locum, nisi quando res est dubia. Si verò inducat ad transactionem, sine damno, deceptione, vi, & metu, non tenetur; quia nulli facit iniuriam. Valen. Azor, Less. Lay. Bon. *l.c.*

7. Non

7. Non potest absolvi, qui paratus est quasvis causas defendendas suscipere. Sayr. *l.* 12. *c.*23. *nu.*18.

8. Non licet cum Cliente convenire de pretio, post inchoatam litem, sed vel antè cœptam, vel post finitã, *ex cap. Infames*, 3. *q.* 7. quia postquàm sua instrumenta ostendit, cogetur quolibet pretio stare, ne prodatur. Nec licet pascisci de parte aliquota, v.g. dimidia, tertia, vel quarta litis, pro pretio, si victoria obtigerit, quia id graviter prohibetur. *L. Sumptus, ff. de pactis. L. Item, C. de proc. C. Arcentur*, 3. *q.*7. *L. Si qui. Cod. de post.* Ratio est, ne præbeatur occasio, perfas, & nefas, procurandi victoriam Hoc tamen casu non obligatur ad restitutionem, si iustum pretium non excedat, & dolus, ac fraus absit. Vid. Sylv. *V. Advocatus*, Navar. *c.* 15. Fill. Laym. Bon. Sanch. *l.* 5. *consil. c.* 7. *d.*9. *& l.* 37. & Card. de Lugo, *l.c.*

9. Peccat Advocatus. 1. Si cùm non sit idoneus officium Advocati exerceat, & patrocinetur. *L. Nemini ff. de Advoc.* S. Thom. 2.2. *q.* 71. estque peccatum ex genere suo mortale. 2. Si defendat causam iniustam secundùm dicta. *cap.* 1. 3. Si ob nimias dilationes, illicitas subornationes testium, &c. notabiliter officiat parti adversæ, habenti aliàs iustam causam, &c. Vid. Navarr. *c.* 25. Fill. *q.*3. 4. Si vtrique parti patrocinetur; quia repugnat, vt vtramque partem æquè defendat. Sylv. Sanch. *cons. p.* 2. *l.* 6. *c.* 7. *d.* 7. In diversis tamen causis secluso scandalo, non repugnat. 5. Si in eadem causa, in qua est Iudex, vel Assessor, agat Advocatum; quia duo officia contraria in eadem causa exercere non licet. Sylv. *Verb. Advoc. q.*2. 6. Si (tametsi defendat causam iustam) producat scripturas, vel testes falsos, aut instrumenta: non tamen peccat, si in causa manifestè iusta adversarium decipiat, dummodò nulla vtatur falsitate, v.g. allegando falsa, &c. S. Th. 2.2. *q.*71. *ar.*7. Sylv. Sanch. *cons. p.*2. *l.*6. *c.* 7. *d.*7. Trull. *l c.* 7. Si adducat leges falsas, vel abrogatas, vel doctrinam reprobatam: vel leges bonas in falsos sensus, sciens prudens detorqueat. 8. Si in gravamen alterius partis quærat dilationes ad rem non facientes. Vid. Fil. Trull. *l.c.* 9. Si accipiat mercedem iniustam Quando autem à lege pretium nullum taxatum est, censetur illud iustum, quod habetur tale iudicio prudentum, attentâ qualitate negotij, dignitate, scientiâ, & peritiâ Advocati, & labore quem impendit, ac demùm consuetudine approbatâ. Vid. Trull. *l.c d* 5. 10. Si contractum vsurarium, vel aliter iniquum suadeat, aut probet. 11. Si leges, statuta, & consuetudines patriæ ignoret, (vndè, si grave damnum clienti obveniat, tenetur compensare,) vel intelligere non studeat.

10. Peccat Advocatus contra iustitiam, si rationes, & fundamenta clientis, quem iustè defendit, vel secreta causæ detegat adversario, vt ex alijs probat Fag. *in p.* 8. *c.* 47. *nu.* 13. *vid. etiam* C. de Lugo, *l.c. nu.* 6. teneturque ad restitutionem, si eam ob causam cliens causam perdidit, victurus aliàs; quia fecit contra officium, nec adhibuit diligentiam ad causam obtinendam in favorem clientis. Azor, Fil. &c. *ll. cc.* Limitant tamen aliqui, nisi periculum sit, ne pars adversa grave damnum inique patiatur; quia aiunt, quilibet potest sine suo damno grave damnum alterius prohibere. Vid. Less. *p.* 2. *c.* 31. Azor, Regin. Fill. Laym.

Laym. *l.* 1. *t.* 1. *c.* 5. *nu.*18. Verùm hanc limitationem, cum S. Th. alij non admittunt, nisi fortè Reus capite plectendus esset, & accusator iniustè procederet: tunc enim, aiunt, Advocatus accusatoris deberet falsitatem prodere; si tamen spes esset profuturum, accusatore priùs monito, vt desistat. Vid. C. de Lugo, *l.c.*

11. Advocatus, si causarum expeditiones, cum præiudicio clientum, differat, postponat, vel plures acceptet, quàm expedire possit, peccat, ac tenetur ad restitutionem, vti, & omnium damnorum, que per eius imperitiam, malitiam, vel negligentiam, cliens aut actor incurrit; non tamen tenetur in omnibus causis adhibere eandem diligentiam, sed maiorem vel minorem pro causæ qualitate. Vide Bon. *in præc.* 8. *d.* 10. *q.*3. Less. *l.* 2. *cap.* 39. *d.* 9. Lay. *l.*1. *tom.* 1. *cap.* 5.

DVBIVM IV.

Quæ sit obligatio Referentis, Secretarij, Notarij, & Procuratoris?

RESp. Tenentur ij omnes iustè, fideliterque exercere suum officium, sive ex debito muneris tantùm, sive etiam ex iuramento. Item tenentur scire ea, quæ ad suum officium spectant, debitamque diligentiam adhibere, præstando omnia necessaria, terminos iustos petendo, & appellando, cùm fuerit necessarium. Bon. Escob. & commun. *Vndè resolvuntur sequentes Casus.*

1. Peccant si odio, vel amore, spe, vel timore, abutantur officijs suis; si secreta, servanda non servent; si partibus vel earum sollicitatoribus, alijsve tradant processus, vel scripturas originales, quas non debent; accipiant stipendium maius iusto, vel vltra pretium taxatum, si lites iniquas suadeant, &c.

2. Referens peccat. 1. si defectu studij, vel per incuriam, malè referat, vel aliquid substanciale prætermittat. 2. Si sit partialis, coneturque vnius partis iustitiam magis, quàm alterius explicare. 3. Si sententiam alterutri parti manifestet, priusquam evulgetur, vndè possint gravia incommoda sequi, v.g. Iudex recusari, &c. V. Escob.

3. Secretarius peccat. 1. Si iuramentum violet. 2. Si arcanum prodat. 3. Si sententiam nondum publicatam manifester. 4. Si processus, aut sententias non custodiat, vel partibus, sine præscripto Iudicis, ostendat. 5. Si testimonia non fideliter transcribat, sive exaggerando, vel imminuendo, sive immutando, aut invertendo. Escob.

4. Tabellio, sive Notarius publicus peccat. 1. Si sine sufficienti peritia (v.g. clausulas communes, &c. ignorans) suscipiat officium. 2. Si iuramentum violet. 3. Si in depositione testium, aliquid addat, vel detrahat, non levis momenti. 4. Si ministro transcriptori (erroribus periculo) examen committat. 5. Si protocolla, & acta negligenter custodiat, cum damno partium. 6. Si differat causarum expeditionem, vt pecuniam extorqueat. 7. Si testamentum scribat hominis rationis vsu destituti. 8. Si testes falsos admittat. 9. Si solemnitates necessarias, ex ignorantia culpabili, vel malitia, prætermittat. 10. Si testimonium aliquod necessarium, vnius rogatu, & alterius damno, non exhibeat. 11. Si conficiat instrumentum vsurarium,

Universidad de Deusto Biblioteca

rium, & falsum, præsertim in damnum tertij. 12. Si faciat, vt processus, & causæ veniant ad alios Iudices, vel Referentes, &c. quam ordo illius tribunalis postulat: quia multum interest habere hunc, vel illum Iudicem. Escob. vel Laym. *l.* 3. *t.* 6. *c.* 2. Bonac. *in præc. disp. vlt. p. v. t.* 13. Si secretum violet, v.g. aperiendo parti adversæ dicta testium, ante eorum publicationem; quod esse mortale contra iustitiam docet Trull. *l.* 8. *c.* 7. *n.* 3. ex Navar. *c.* 25. *n.* 52. 14. Si parti petenti instrumenta occultet, præsertim quæ continent legata. Navar. *l.c. nu.* 35. Sylv. *verb. Tabellio*, Trull. *l.c.* 15. Si acta occultet, vel parti petenti transumptum processûs neget. 16. Peccat graviter, si amisso instrumento antiquo publico, vel testamento, aliud simile confingat.

5. Procurator peccat. 1. Si litem procuret iniustam. 2. Si plures causas suscipiat, quàm possit expedire. 3. Si plus mercedis accipiat, quàm iustum. 4. Si suâ iniuriâ, negligentiâ, aliâve culpâ, causa sit, vt lis perdatur. 6. Si nomine partis iuret, sine particulari eius informatione, cum periculo peierandi. 7. Si culpabiliter tribunali non adsit futuri incommodi metu, &c. V. Escob. Laym. *l. c.* Bon. *q.* 3. *p.* 4. 8. Si partes adducat ad concordiam iniquam. 9. Si differat causam vel pervertat Iudicem, vel petat terminos impertinentes, aut dilationes superfluas. 10. Si falsos testes inducat. V. Sayr. *l.* 12. *c.* 14. Fill. *t.* 40. *cap.* 10. *num.* 294. Trull. *l.* 8. *capit.* 6. *dub.* 1.

(***)

DVBIVM V.

Quod sit officium Accusatoris?

RESP. Vt in accusatione servetur iustitia, cavenda sunt tria. Primum est, calumnia, id est, impositio falsi criminis, vel eius, quod sufficienter probari nequit. Et hæc inducit obligationem restituendi, & subeundi, vel pœnam talionis, vel aliam, arbitrio Iudicis. Secundum est, prævaricatio idest, collusio cum Reo, & simulata tantum accusatio. Quæ in criminalibus, si Reipub. damnum sequatur obligationem restitutionis inducit. Tertium est tergiversatio accusationis inchoatæ, absque iusta causa. Quod addo, quia cum causa, v.g. ob imperium Principis, vel Iudicis, quod intersit Reipub. talem personam non puniri vel infamari vel quòd in accusatione defectus substantialis sit commissus, potest desistere, imó tenetur, si in progressu causæ cognoscat se errasse, si incipiat dubitare de crimine, si videat se non posse probare, Fill. *t.* 40. *cap.* 7. *num.* 205.

Quæres. An, & quis teneatur alterum accusare?

Resp. 1. Privatum rarò ad id teneri: tum ex praxi timoratorum: tum quia aliàs tribunalia essent plena accusationibus, cum perturbatione Reipub.

Dixi 1. *Privatum*: quia si quis à Repub. stipendium ob hoc accipiat, v.g. fiscalis, &c. tenetur ex iustitia, & consequenter ad damna, ex omissione accusationis secuta. Fill. Bon. *in* 8 *præc. d.* 10. *q.* 3. *p.* 1.

Dixi 2. *Rarò*: quia si ita exigat bonum publicum, v.g. si proditio imminens, vel grave damnum vitæ nocentis, aliter averti non possit, & crimen facilè probari possit, tenetur etiam privatus accusare, vel saltem denunciare, idque tamen ex charitate tantùm, quę restitutionem non importat. Fill. Bon. *loc. cit.*

Resp. 2. Accusare prohibentur. 1. Excommunicati, proditores, infames: idque in pœnam criminis. 2. Filij, servi, suos parentes, vel dominos, ob reverentiam 3. Clerici, in causa sanguinis, ob indecentiam. Less. *lib.* 2. *cap.* 3. *d.* 3. Bon. *loc. cit.*

Resp. 3. Non teneris, imó nec debes etiam posito superioris præcepto, denunciare crimen. 1. Si delinquens emendatus est, sine periculo recidendi, & parti læsæ satisfactum; nec periculum imminet alijs: nec crimen est notorium: quia sine causâ, proximi infamia sequetur. *v. sup. l.* 2 *t.* 3. *c.* 2. *d.* 4. 2. Si crimen nosti sub secreto naturali, tanquam consultor, advocatus, &c. Nisi tamen is, qui secretum commisit, innocentem, vel rempub. iniustè vexaret, nec vellet desistere. C. de Lugo, *de iust. d.* 14. *num* 142. 3. Si inde immineat grave periculum honoris, vitæ, & rerum tuarum. 4. Si etiam probare cogereris, nec posses. Vid. Card. de Lugo *d.* 38. *s.* 2.

DVBIVM VI.

De Testibus.

SVppono, ad legitimam, & plenam in iudicio probationem, requiri duos testes, eosque debere. 1. Externo sensu percepisse id, de quo testantur. 2. De eodem facto, & crimine, cum ijsdem circunstantijs, deponere; alioqui erunt testes tantùm singulares; vt vocant, qui non faciunt plenam probationem. 3. Esse omni exceptione maiores, in quibus scilicet nulla desideretur conditio, quòminùs testari possint, iuxta versum vulgarem.

Conditio, sexus, ætas, discretio famæ:
Et fortuna, fides, in testibus illa requires.

HInc à testando reijciuntur. 1. Servi. 2. Mulieres. 3. Minores 20. annis in criminalibus; in civilibus, autem impuberes. 4. Inimici. 5. Sanguine iuncti, & domestici; exceptis quibusdam casibus, apud Less. *l.* 24. *c.* 3. *num.* 38. 6. Infames. 7. Periuri. 8. Socij criminis. 9. Personæ inopes, & viles. 10. Deliri, & semifatui: ex quibus tamen ij, qui solo iure positivo ad testandum sunt inhabiles; possunt admitti in criminibus exceptis. Quo supposito.

Quæritur 1. An, & quando teneatur quis testari. 2. Ad quid teneatur, qui non vult testari, aut qui falsa est testatus?

Resp. 1. Non tenetur quis testari, nisi vel ex charitate, cùm ita necessarium est, ad avertendum grande malum proximi, aut Reip. vel ex præcepto, cùm Iudex, seu Superior habens potestatem, ita legitime præcipit. In quo vltimo casu, si fugis, aut occultes te, antequam ad testandum citeris, non peccabis contra iustitiam; ideoque nec teneberis restituere, vt contra multos docent. Valent. & Less. Ratio est, quia tibi nondum est præceptum: si quod autem ius nascatur parti ex tuo testimonio, id ex præcepto oritur. Imó, etsi sit communis sententia, ad restitutionem teneri eum, qui à Iudice citatus fugit, vel testimonium fraude declinavit, cùm

Universidad de Deusto Biblioteca

sit efficax, & moralis, causa, vt Iudex sententiam ferat in alterius damnum: non tamen est improbabile, quod docent Mol. & Less. non teneri. Ratio est, quia citatio intimata non inducit obligationem iustitiæ, sed tantùm obedientiæ, proindeque non comparens, contumax tantùm est, & inobediens, non autem iniustus. Less. *l.* 2. *c.* 17. & 30. V. Bon. Lay. *ll. cc.*

Resp. 2. Etiam legitimè, & iuridicè interrogatus non teneris testari sequentibus casibus. 1. Si scias rem ex confessione. 2. Si accepisti sub secreto naturali, vt Consiliarius, Advocatus, Medicus, &c. modò tamen, non sit necessarium, ad magnum Reipublic. vel proximi malum avertendum: tunc enim licet secretum detegere; etiamsi iurasses te nulli dicturum; quia tale iuramentum non obligat, cùm iure naturæ tenearis ad contrarium. Vid. Laym. *cap.* 4. *num.* 9. 3. Si ex testimonio, tibi vel tuis, immineat notabile damnum; nisi tamen damnum publicum vel privatum alienum prævaleat, vt notat Cardin. de Lugo *de iustitia, disp.* 39. *num.* 10. Vndè communiter non teneris testari contra consanguineum. 4. Si à viris non sat fide dignis accepisti: tunc enim potes te habere, ac si nihil scires. 5. Si factum intellexisti per iniuriam, v.g. aperiendo litteras, cogendo alium ad revelationem, &c. Laym. *l.* 3. *t.* 6. *cap.* 4. *nu.* 5. Mol. *d.* 5. *num.* 5. 6. Si alter probabiliter in facto non peccaverit, vel propter ignorantiam, vel quia rem aliquam accepit in occultam compensationem debiti, ex quo tanquam de fure inquiratur. Ratio est, quia mens Iudicis est inquirere de delicto. Vid. Azor, 3. *p. t. vlt. cap.* 27. Filliu, Bonacina. *d.* 10. *q.* 3. *p.* 3. Layman. *loc. cit.*

Resp. 3. Qui sciens falsum testatus est; per quod alteri fuit efficax causa damni, tenetur ad impeditionem, vel reparationem omnium damnorum, quæ causantur. Item tenetur revocare cum pari suo damno, & periculo etiam vitæ, si Reus de ea periclitetur, & putetur revocando aliquid effecturus. Ita communiter. Ratio est, quia in damno æquali, potiùs habenda est ratio innocentis, *Vid. dub. seq.* 1.

Dixi. 1. *Sciens*; quia si ex ignorantiâ, inadvertentiâ, aut oblivione inculpabili, falsum est testatus, etsi teneatur impedire, si possit; non tamen ad restitutionem, etiamsi Reus damnetur. Ratio est, quia neque tenetur ex re accepta, neque delicto.

Dixi. 2. *causa efficax*: quia si à parte rei falsum illud testimonium nihil effecisset, v.g. quia per falsa testimonia aliorum, iam tota causa damni erat data, ita vt Iudex ex hoc testimonio nihil fuerit motus, ad nihil tenebitur, Less. *l.* 2. *c.* 30. & Lay. *l.* 3. *t.* 5. *c.* 8. & alij.

Testis peccat. 1. Si affirmet quod ignorat. 2. Si veritatem, quam debebat celare, aperiat. 3. Si se occultet, ne rogetur, casu quo tenetur testari. 4. Si Iudici iustè interroganti non obediat. 5. Si pretium pro dicenda veritate accipiat.

DVBIVM VII.

De Reo.

ARTICVLVS I.

An, & quomodo Reus teneatur fateri veritatem?

RESP. 1. Si non interrogatur legitimè, non tenetur fateri suum crimen, sed potest Iudicem, eludere, vel ambiguis verbis, vel etiam negando, cum aliqua restrictione, & in bono sensu, vt mendacium, absit. Ratio est, quia tunc Iudex non habet ius interrogandi, aut obligationem imponendi Reo: Ita Less. & Laym. *t.* 6. *l.* 3. *c.* 5. Bonac. *d.* 10. *q.* 3. *p.* 2. *Vndè resolves.*

1. Reus non tenetur fateri crimen suum 1. Si Iudex non sit legitimus. 2. Si à se ipso litis processum inchoet, sine prævià accusatione, saltem virtuali. 3. Si non præcessit semiplena probatio, nec infamia, nec manifesta criminis indicia extent. Ratio est, quia in his Iudex non interrogat legitimè, Azor, Less. Fill. Laym. Bonac. *ll. cc.* Card. de Lug. *d.* 40. *num.* 1.

2. Nec tenetur, si dubitet, an Iudex legitimè interroget; quia non tenetur parere cum gravi suo damno, nisi constet Superiorem posse præcipere. Ita Less. Filliuc. Laym. *loc. cit.* Sanch. *l.* 6. *cons. c.* 3. *d.* 31. Salar, C. de Lugo, &c. contra Sylvest. Bon. & alios.

3. Iudex tenetur Reo manifestare statum causæ, & quæ sint indicia, quo modo probetur delictum, &c. vt Reo constet, an legitimè interrogetur; quia non tenebitur respondere alioqui, & seipsum honore, alijsve bonis, quæ bonâ fide possidet, spoliare. Caiet. Navar. *c.* 25. *num.* 43. Card. de Lugo. *d.* 40. *nu.* 1.

4. Si Reum iuridicè quidem interroget Iudex, sed non nisi ex falsâ præsumptione delicti, v.g. an exierit ex tali domo, stricto ense, potest Reus (idem est de teste) licèt sciat semiplenè probatum esse, id negare, si exijt quidem non tamen facto delicto, sed ob aliam causam: quia si Iudex veritatem sciret, non posset interrogare. Ita cum S. Tho. *q.* 69. *ar.* 1. Sot. Fagund. *p.* 8. *c.* 34. Dian. *p.* 3. *t.* 5. *misc. R.* 66. C. de Lug. *dub* 40. *num.* 4.

Resp. 2. Etsi communior, & verior sententia sit Sanct. Thom. 2. 2. *q.* 69. Reum legitimè interrogatum à Iudice, teneri in conscientiâ apertè veritatem dicere, probabile tamen est etiam, quod ex Sylv. docent Sà, & Less. non teneri, saltem sub mortali, in causis capitalibus, & gravioribus, si sit spes evadendi, & nullum grave damnum Reipub. timeatur. Tan. *d.* 4. *q.* 4. *d.* 5. Card. de Lugo. *d.* 40. *nu.* 15. vbi dicit, esse sententiam valde probabilem, & in praxi tutam. Ratio est, quia lex humana communiter non obligat cum tanto periculo, v.g. mortis; tum quia inhumanum videtur, vt qui convinci non potest, teneatur præbere arma contra se, quibus occidatur, aut gravem pœnam, v.g. perpetui carceris, subeat, tum quia non videtur tam heroicus actus præcipi posse, Bonac. *in* 8. *præc. d.* 10. *quæst.* 3. *par.* 2. *num.* 17.

Dixi 1. *In capitalibus*; quia aliud est de causis, in quibus agitur de pœna Ecclesiastica, quæ est medicinalis.

Dixi 2. *Si spes sit evadendi*: quia absque eâ, cessat ratio celandi. *Vndè resolves.*

1. Non semper opus est (iuxta dicta *Res.* 2.) vt Confessarius Reum vrgeat ad crimen fatendum. Car. de Lug. *d.* 40. *num.* 20.

2. Post sententiam latam, Reus tenetur confiteri crimen, quod ante iniustè negavit quia finito iuditio finitur obligatio Rei. Laym. *loc. cit.* Imò probabile est, nec ante sententiam ad id teneri, etiamsi adhuc sit in potestate Iudicis,

dicis, donec iterum interrogetur. Cardin. de Lugo. *d.* 40. *num.* 17.

Resp. 3. Si quis ad evitanda tormenta gravia, mentitus, falsum sibi crimen imposuit, per quod sit morte plectendus, non videtur mortale. Ita contra Navar. & alios docent Angelus. Sylv. Less. *l.* 2. *cap.* 11. *d.* 7. Tan. *de iust. d.* 4. *q.* 4. *dub.* 5. Ratio est, quia non est mentitus perniciosé, cùm non teneatur tantis tormentis vitam conservare V. Car. de Lugo, *l.c. Vndè resolves.*

1. Talis non tenetur postea crimen revocare, quamvis antea periurio confirmasset, si prudenter metuit ne ad tormenta revocetur: quia etsi peieratione graviter peccarit, hoc iam transijt, & non retractando nemini facit iniuriam, ideóque sufficit, coram Deo pœnitere. V. Less. Tan. *l.c. & q.* 5. *d.* 4.

2. Si ex illa falsi criminis confessione grave damnum alijs sequeretur, v.g. bonum Reipub. aut fama Religionis, vel familiæ notabilititer læderetur, aut aliqui ideó in hæresim lapsuri essent, quævis potius tormenta perferenda, essent. Tan. *l.c. & q.* 5. *d.* 4.

3. Si Reus tormentis coactus, denunciavit alium innocentem, tenetur sub mortali, ante suam condemnationem; & si tunc non fecit, etiam, post sententiam damnationis, revocare: ad quod etiam à Confessario est obligandus. Ita ex communi. Tol. *lib.* 5. *cap.* 66. *num.* 7. Less. *cap. vlt. d.* 15. Tann. *d.* 4. *q.* 5. *dub.* 4. *num.* 103. Vbi subiungit. 1. Si quis tamen sequatur, ipsàque praxi servari advertat eam sententiam, quæ negat per revocationem in extremo vitæ factam tolli, vel infirmari denunciationem antè factam; vt docent Delrio. *lib.* 5. *sect.* 3. Valent. *d.* 6. *q.* 13. *p.* 4. is consequenter existimare poterit, denuntiantem in eo mortis articulo (saltem cum suo incommodo, & sub peccato mortali) obligatum non esse ad revocationem, quia esset inutilis. Ita Tan. *l.c.* Licèt ipse rectè censeat, fundamentum istius sententiæ minùs esse probabile.

2. Monet idem Tann. *num.* 105. cavendum esse Confessario, ne vel importunè sæpiùs Reo damnato inculcet, retractionem denuntiationis iniquè factę, vel retractationem factam, imprudenter, & cum scandalo evulget.

Quæres. An Reus teneatur revelare complices?

Resp. 1. Si omninó occulti sint, nec alijs indicijs, aut testimonijs convinci possint, non potest, nec tenetur: si tamen vi tormentorum coactus prodat, ordinariè non peccabit. Less. *l.c.* & Lay. *l.* 3. *t.* 5. *c.* 5.

Resp. 2. Si crimen sit exceptum, tenetur etiam non rogatus; ideòque, si nolit, secundùm Navar. non erit absolvendus.

ARTICVLVS II.

Quid liceat Reo circa fugam pœnæ?

REsp. Quando sententia est materialiter iniusta, lata tamen secundùm allegata, & probata, etsi in conscientia non obliget. Non potest Reus Iudici positivè resistere; tum ob scandalum tum quia tali casu Iudex habet ius sententiam exequendi, & ad id tenetur. Ita communiter. Less. Sanch. contra Vid. Bon. C. de Lugo, *d.* 4. *n.* 38.

Dixi,

Dixi, *positivè*: quia Reo, etiamsi verè Reus sit, licet ante, & post sententiam, (quoad mortem, vel pœnam morti æquivalentem, v.g. perpetuum carcerem) fugere. Ratio est, quia quilibet tam magnum ius habet ad vitæ suæ conservationem, vt nulla potestas humana obligare possit, ad eam non servandam si spes commoda ostendatur: nisi tamen bonum publicum aliud postulet. Less. *l.* 2. *cap.* 31. *d.* 5. *Vndè resolves.*

1. Regulariter Reo licet fugere, etiamsi custos carceris grave damnum inde passurus sit, (saltem nisi iuraverit se mansurum) quia vtitur suo iure, & nulli facit iniuriam. Fil. *t.* 40. *c.* 4. *n.* 274. Azor, Less. *d.* 5. *nu.* 31. nisi tamen charitas aliud suadeat, ob damnum custodis præponderans. V. Bon. *d.* 10. *q.* 3. *p.* 2. *n.* 13. Less. *l.c.*

2. Multò magis licet fugere, ne capiatur, vel etiam à ministro apprehendente, se excutere, non tamen illi vim inferre, vulnerando, percutiendo, &c. *Ibid.* & Regin. *lib.* 24. *num.* 4.

3. Licet etiam, saltem in foro conscientiæ custodes (præcisâ, vi, & iniuriâ) decipere, trahendo v.g. cibum, & potum vt sopiantur, vel procurando vt absint; item vincula, & carceres effringere: quia cùm finis est licitus; etiam media sunt licita. Et licet alij captivi per effractum parietem simul elabantur, non tenebitur de damno: quia tantùm est eius causa per accidens, cùm iure suo vtatur. Nec refert, quòd leges; & magistratus quidam, tales effractores graviter puniant: id enim fit, quód vel contrariam sententiam sequátur; vel ex præsumptione quód vim intulerint custodibus; vel quòd propter bonum Reipub. ea pœna statuta sit. Fill. *l.c.* Tan. *d.* 4. *q.* 4. *dub.* 5. ex alijs multis. V. C. de Lug. *d.* 40. *sess.* 4.

4. Illis, qui non sunt ministri iustitiæ, licet non solùm consilio iuvare Reum, vt fugiat, sed etiam suppeditatis instrumentis, v.g. funibus, limâ, &c. quia finem alteri licitum illi suadere, & ad eundem media proponere licet. Less. *l.c. d* 6. *n.* 30. Tan. *loc cit.* Sylv. Turr. Vasq.

5. Non tamen licet iuvare in effractione carceris, vt habet communis; tum quia executio ipsa effractionis soli Reo licita est, propter ius vitæ conservandæ; tum ne alioqui omnis securitas carceris pereat. Less. *l.c.* Bon. *d.* 10. *q.* 3. *p.* 1.

Quæres, An Reo liceat appellare?

Resp. Si sciat sententiam, esse iustam, & iustè processum esse, non licet (licet tamen supplicare) quia id esset Iudici calumniam imponere. Imò iniustè appellans tenetur de damno. Si veró putet sententiam iniquam esse, aut iniustè processum esse, aut si diversæ sint opiniones, potest appellare. V. Tan. *l.c. n.* 10. C. Lugo. *l.c. ar.* 14. Sanch.

DVBIVM VIII.

Quomodo Confessario agendum cum Reo?

REsp. Observanda sequentia. 1. Instruat eum, quòd quæ secum in foro conscientiæ agit, cum Iudicibus non communicantur; ideoque sive sit nocens sive innocens, id ei nec prodesse, nec obesse posse. Ratio est, quia aliàs multi conantur se falsò probare innocentes, vt à Confessario inventur: alij contra falsò se nocentes dicunt, quód timeant, ne Confessarius conferat cum

Iudi-

Iudicibus, ipsique revocentur ad torturam. Vndè expedit. 1. Vt non temeré evulget Confessarius accepta extra confessionem. 2. Vt ad confessionem sacramentalem Reum non admittat, nisi postquam in foro profano res sunt liquidæ: vix enim adigi poterit, vt omnia fateatur ob timorem, ne vel deferatur, vel cogatur eadem fateri Iudici: antè tamen de contritione agendum est. Delrio. *l. 6. c.* 1. *s.* 3. Tann. *d.* 4. *quæst.* 5. *dub.* 4.

2. Ne cogat importunis modis Reos, vt se tales fateantur, tùm quia verè quidam Rei non sunt, & victi illâ importunitate, ne moriantur incommunicati, vel à Confessario in extremis deferantur, confitentur sacrilegè; tum quia frustra est confessio, nisi fiat ex contritione, & verâ ad Deum conversione: de hac ergo laboret, & sequetur bona confessio, non autem contra. Tan. *l. c.*

3. Caveat, ne coram Reo censeat modum procedendi iudicialem proindeque communiter non admittat, querelas de iniuriâ factâ, cùm non sit Confessarij ea iudicare, sed ad pœnitentiam disponere.

4. Etsi quidam authores permittant Iudici vti dolis bonis ad crimen eliciendum, non tamen id licet Confessario, ne ministerium eius infametur.

5. Non licet secundùm Concil. Antioch. *Cap.* 33. *&* 34. *Non licet*: palam interesse tormentis, aut suggerere modum torquendi, nisi mitiorem. v. Tan. *d.* 4. *q. vlt. dub.* 5. *num.* 128.

6. Expedit habere cognita indicia, & probationes deprehensas in iudicio, ipsumque modum processûs, vt & prudentiùs possit in suo foro agere, & Iudicem, sicubi opus, prudenter admonere.

7. In confessione examinet. 1. An consortes criminis prodiderit (si secundum supra dicta tenebatur) & quidem si falsò alios infamarit, inducat ad revocationem, etiam cum periculo torturæ. v. Tan. *d.* 4. *q.* 5. *dub.* 4. *nu.* 103. & dicta *dub. superiore.* 2. Si Saga sit, quo tempore, qua occasione, in magiam sit lapsa; vt si postea neget, convinci possit in eodem foro. 3. In qualitatem superstitionis, an ex animo Christianæ fidei renuntiarit, dæmonem adoraverit, falsa de Deo, & æternitate senserit, rebus sacris abusa sit, hominibus nocuerit, præsertim coniunctis, vt marito, liberis; & an alios seduxerit. Item de peccatis carnalibus. Deniquè confessæ aperiat fraudes dæmonis, instruatque, quomodò ijs deinceps occurrendum, atque inter cætera suadeat fidei professionem, & frequentem Symboli repetitionem.

8. Sæpé non expedit post supplicium Iudici significare, Reum in extremis denuntiationes revocasse; tum quia Iudices id parvi faciunt (quàm rectè, Vide apud Layman. & Tan. *l. c.*) tum quia frangit sigillum Sacramentale, si non petità licentiâ, innocentiam denuntiati evulget, cùm eo ipso revelet peccatum denuntiantis. Quare si aliquando Iudicem monere expediat, rogandus est Reus, vt id extra confessionem, & coram testibus dicat, eo fine, vt Iudex moneatur.

9. Si alicuius innocentiam ex confessione colligeret, (quod etsi difficile, non tamen impossibile esse docet Tan. *d.* 4. *q.* 5. *dub.* 4. *nu.* 85.) id Iudici aperire, ac pro Reo intercedere, periculosum est; tum quia post publicatam Rei con-

confessionem ei non credetur; tum quia si plures audiat, hoc ipso aliorum nocentiam, de illis tacendo, videtur confirmare cum fractione sigilli: tum quia si Rei cognoscant eum pro innocentibus intercedere, occasionem arripient, eum callidè sua facinora celandi. Vid. Layman. *l.* 3, *t.* 6. *cap.* 5. Tann. *d.* 4. *q.* 5. *d.* 4. *nu.* 95.

10. Etsi pro Reis, etiam iustè damnatis, intercedere aliquando possit, maximè apud Magistratum supremum, iuxta scripturam, *Prover.* 24. *Erue eos, &c.* valdé tamen prudenter, & moderatè id faciendum: quia relaxatio potest esse illicita, Iudexque (non tamen Confessarius, nisi ea præviderit) fieri Reus malorum omnium, quæ ex liberatione sequuntur; imó & ipsi imputabuntur, cùm ex officio debuerit impedire. Vid. Bon. *in* 2. *præc. d.* 10. *q.* 2. *&* 3. Tan. *de iust. d.* 4. *q.* 5. *dub.* 4.

DVBIVM IX.

Quæ obligatio Medicorum, Pharmacopœorum, & Chirurgorum?

RESP. Tenentur ij in primis, quando tale officium petunt, vel suscipiunt, sub gravi obligatione, sufficientem habere scientiam, sive peritiam. Navar. *c.* 25. Anton. C. Lugo. *d.* 27. *nu.* 1. Deindé in curandis infirmis, servare sequentes regulas. 1. Ordinariè debent sequi opiniones Medicorum securas, & tutas. Ratio est periculum, & damnum proximi. Ita Bon. Layman. Sanch. 1. *mor. c.* 9. *nu.* 2. Quando certum aliquod est pharmacum, quod nimitùm certó infirmis profuturum est, tenentur illud adhibere, omisso eo, de quo dubitatur: quia aliàs imprudenter proximum in periculo relinquerent. 3. Si non sint certa pharmaca, debent adhibere probabiliora, & tutiora; tum quia alioqui salutem proximi in discrimen adducerent; tum quia tenentur fungi officio, quantum possunt, cum minimo proximi periculo, & damna. 4. Quando nulla est spes de salute infirmi, nec adest remedium nisi dubium, de quo scilicet dubitatur, num profuturum, an nociturum sit, possunt, imò debent illud adhibere. Ratio est, quia sic infirmi negotium vtiliter geritur; & si mors sequatur, ipsis non imputabitur, cùm aliàs spem vitæ non habeat. Layman. *l.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. Fill. *nu.* 152. Bon. *de pec. d.* 2. *q.* 4. *p.* 9. *Vndè resolves.*

1. Medicus peccat. 1. Si absque sufficienti peritia gravem morbum curare tentet. 2. Si occurrente gravi, & insolito morbo, speciali studio operam non impendat. 3. Si det pharmacum infirmo, quod probabiliùs creditur nociturum, quàm profuturum. 4. Si medicamenta inexplorata explorandi gratiâ adhibeat, præsertim, quando de ijs non est opinio probabilis, & habet medicamenta probabiliter vtilia. 5. Si non benè perspecta morbi naturâ, temeré adhibeat remedia obvia, vel periculosa, præsertim cum discrimine vitæ, vel gravis læsionis. 6. Si agnito ægroti periculo, opportunè non adsit, aut necessariam curationem negligat, aut Medicos alios adhiberi non permittat. 7. Si aliquid suadeat Dei honori, vel præcepto contrarium, v. g. incantationem, pollutionem, superstitionem, &c. 8. Si facilè, & sine necessitate, à ieiunio absolvat, carnium esum permittat. 9. Si ægrotan-

Universidad de Deusto Biblioteca

tantem pauperem in periculo constitutum contemnat. Vid. Bon. *l.c.* Nav. *c.* 15. Azor. 1. *p. l.* 2. *c.* 17. Escob. *l.* 2 *Ex* 3. *c.* 9.

2. Pharmacopola peccat. 1. *Si* rudis, & ignarus munus exerceat. 2. Sine arte, vel diligentiâ, medicamenta conficiat. 3. Melle in potionibus pro saccharo vtatur. 4. Si vnum medicamentum pro alio (nisi tamen esset æquè bonum, & non maioris pretij) contra Medici præscriptum cum gravis damni periculo porrigat. V. Salas *dub.* 34. 5. Si medicamenta ad non pariendum, vel ad fœtum expellendum vendat. 6. Si pharmaca vendat inutilia, &c. Vid. Escob. *l.c.*

4. Peccat Chirurgus. 1. Si sine scientiâ, & peritiâ sufficienti vulnera curare tentet, cum periculo erroris. 2. Si Medicum, quando gravitas vulneris exigit, non consulat. 3. Si lucri amore curationem protrahat. 4. Si mercedem iusto maiorem exigat. 5. *Si* abortus causâ venam aperiat, aliudve remedium adhibeat. Vid. Escob. *l.c.*

DVBIVM X.

Quæ obligationes Mercatorum, Opificum, & cæterorum sæcularium?

Resp. Eæ patent ex dictis de septimo præcepto: *ex quibus resolves.*

1. Mercator peccat. 1. Si venenum, vel alia prohibita vendat, cum suscipione pravi vsûs. 2. Si paratus sit quodcumque pretium, etiam iniustum, ab emptore accipere. 3. Rem cariùs quàm supremo pretio, vendat ob dilatam solutionem. 4. Mercium defectum gravem occultum non aperiat, pondus, & mensuram imminuat. 5. Si in emptorum iniuriam monopolium iniustum instituat, merces omnes vnius generis sibi comparet, immoderato quæstu pro libito vendendas. 6. Si merces ab eo, qui non novit, emat pretio minore, vel cariore vendat ignoranti. 7. Si merces veteres, & inutiles novis admisceat, & vendat eodem pretio vtrasque. 8. Si iusta tributa defraudet. 9. Si tempore debito cùm possit, non solvat creditoribus, cum gravi eorum damno. 10. Si mercibus solvat, quod pecuniâ debet, contra creditoris voluntatem. 11. Si diebus Festis publicè emat, vel vendat contra consuetudinem permissam. 12. Si iuret falsò, se tanto pretio merces comparasse. 13. Si contractum ineat quemcumque, dubitans de eius iustitiâ. 14. Si emat res furtivas, &c. Vid. Escob. *to.* 2. *Ex* 3. *c* 12.

2. Bibliopola peccat. 1. Si vendat libros prohibitos, vel lascivos. 2. Si librum defectu laborantem vendat pro integro, &c. Vid. Escob. *c.* 13.

3. Argentarius, sive aurifaber peccat. 1. Si æs pro auro, vel argento vendat. 2. Auro, vel argento plus æris misceat, quàm ars requirit, & emptoribus mixtionem non significet, neque minuat pretium. 3. *Si* ex rebus furtivis aliquid emat mala fide. 4. *Si* communem lapillum pro pretioso vendat, vel pretiosum pro vili emat, &c.

4. Sartor, *Sutor*, & cæteri opifices peccant. 1. *Si* iurent se tali die opus perfecturos, quod sciunt, (vel dubitant) non futurum. 2. *Si* plus materiæ exigant, quàm ad opus sit necessarium; aut partes alicuius momenti, quæ supersunt, retineant, sine voluntate Domini. 3. *Si* diem Festum sine gravi causa vio-

violent, per se, vel per suos famulos, &c. Vid. Escob. *l.* 1. *c.* 13.

LIBER V.

DE RATIONE COGNOSCENDI, & discernendi peccata?

CAPVT I.

De peccato in genere.

DVBIVM I.

Quid sit peccatum?

Respondeo. Est transgressio legis, sive, vt ait Tol. est voluntarius recessus à regula divina, per quam regulam intelligitur præceptum, tam naturale, & humanum, quàm Divinum: per recessum, intelligitur actus, (vel eius omissio) qui sit non tantùm voluntarius, sed etiam liber, cum aliqua actuali advertentia malitiæ, quod addo; quia vt docet Sanch. 1. *mor. c.* 16. cum Vasq. *d.* 2. *q.* 2. *p.* 3. *nu.* 3. *&* 12. *&c.* non sufficit ad actum peccaminosum libertas, & advertentia quævis virtualis, vel interpretativa, qua scilicet quis advertere poterat, & debebat; nec quæcunque actualis, qua scilicet intellectus rationes commodi, & incommodi in obiecto attendat: sed requiritur, vt advertat moralem malitiam obiecti, aut saltem de ea dubium, vel scrupulum concipiat. Ratio est, quia sine ista advertentia non est voluntarium, cùm non sit cognitum; quia quandiu talis cogitatio intellectui non occurrit, non est sufficiens principium deliberandi de malitia, ideóque nec libertas, ac proindè nec culpa; & censetur illa inadvertentia naturalis, & invincibilis, oblivio. Addit tamen Tan. *d.* 4. *de pec. d.* 5. *q.* 5. *dub.* 5. *num.* 106. non esse necesse, vt consideratio illa maneat, actu dum peccatum durat, sed satis esse, vt vel actu, vel virtute maneat; ita vt cum ea, vel actus, peccati fuerit inchoatus, vel saltem causa data; vt fit in ebrio, qui peccat, non vi præsentis, sed præteritæ deliberationis. Vid. Bald. *l.* 1. *d.* 36. Verùm Recentiores communiter docent, talem, v.g. ebrium, non peccare, formaliter, quando vsu rationis caret; sed malitiam eorum, quæ tunc fiunt, contraxisse antè, dum prævidens malum, quod commissurus erat, eius causam dedit; aiuntque, dum quis actu peccat, semper esse, ac manere advertentiam aliquam malitiæ tenuem, vel confusam, *vt vid. apud Schol.* nam in ordine ad praxim parum refert, vtrolibet modo loquaris.

Resp. 2. Ad peccatum requiruntur tres conditiones, vt patet ex prima responsione. 1. Vt sit voluntarium, idest, vt fiat à voluntate consentiente. 2. Vt sit liberum, idest, vt sit in potestate voluntatis facere, vel non. 3. Vt advertatur malitia. *Ex quibus resolves.*

1. Defectu primæ conditionis, nullus actus, qui neque est in, neque à voluntate, est peccatum, nisi voluntas eum acceptet: ideóque nec impedit communionem, sive is sit internus, vt cogitationes contra fidem, blasphemæ, obscœnæ, motus carnis, etiam vsque ad effusionem seminis; sive externus, ac violentus, v.g. stuprum virgini per vim illatum.

2. Defectu secundæ conditionis, subindè

subindè à peccato excusantur vehementissimi motus iræ, aut concupiscentiæ, quibus vsus rationis perturbatur, & libertas tollitur.

3. Defectu tertiæ non peccat, qui die ieiunij, de præcepto nihil cogitans, cœnat, vel carnes comedit, etsi advertat eas sibi delectabiles. Item qui lapidem proijcit per fenestram, non advertens periculum læsionis: vel qui contractum vsurarium celebrat, non advertens esse talem. Sanch. *l.* 1. *c.* 16. *nu.* 21. Regin. *l.* 15. *nu.* 75.

4. Damna, & eventus, (licèt alioqui frequentes) ex ebrietate secuti, & nullo modo prævisi, inculpabiles sunt: quia nec in se, nec in causis sunt liberi. Sunt verò culpabiles, si sint prævisi, nec diligentia sufficiens ex præscripto prudentiæ sit adhibita, ne sequerentur: ea verò adhibita, etsi posteà eveniant, culpâ vacant. Vtì etiam quandò iuxta loci, & temporis circunstantias non apparet periculum mali, ideòque nulla cautela est adhibita. Ita Vasq. 1. 2. *d.* 124. *c.* 2. Quibus conformiter Less. *lib.* 4. *c.* 3. docet, si negligentia, ebrietatem, aut eventus ex ea sequi solitos præcavendi, fuerit tantùm venialis, etiam mala, quæ prævideri poterant, tantùm venialia fore; quia cùm non in se, sed tantùm in causa sint libera, non possunt habere maiorem culpam, quàm ipsa causa.

DVBIVM II.

An, & quando desideria, & delectationes sint peccata?

PEr desiderium intelligitur voluntas, intentio, vel propositum efficax rei malæ: per delectationem verò, simplex amor, & complacentia obiecti cogitati, fruendo eius dulcedine absq; desiderio executionis: soletque dici morosa, non à mora temporis, cum momento possit, perfici; sed quod voluntas, post plenam advertentiam rationis ei immoretur.

ARTICVLVS I.

Quale peccatum sit desiderium malum?

REsp. 1. Desiderium absolutum, sive cogitatio cum voluntate consentiente absolutè in peccatum aliquando perpetrandum, aut in perpetrato complacente, habet eandem speciem, ac malitiam peccati mortalem, vel venialem, quam habet actus exterior, in quem fertur. Est communis, & constat *ex Matth.* 5. *Qui viderit, &c.* Ratio est, quia actus interior habet suam bonitatem, & malitiam ab actu externo, tanquam obiecto. Ita comm.

Resp. 2. Desiderium cum consensu conditionali, quo quis aliquid concupiscit sub tali conditione, quæ omnem malitiam obiecti auferat, non est peccatum saltem mortale: v.g. vellem prædari, si à Deo mihi permitteretur; si Iudex essem, malefactorem istum occiderem Valent. *to.* 2. *d.* 6. *q.* 4. *p.* 4. Sayr. Salas *in* 1. 2. *tr.* 13. *d.* 16. *sess.* 27. Vasq. *dub.* 116. *c.* 2. Si verò conditio malitiam non auferat est peccatum: v.g. si cogitares, si non esset infernus, mœcharer: si non essem Religiosus, fornicarer: si non haberem rationem mei status, vlciscerer; occiderem te. Item, si id mihi fecisses in ado-

in adolescentia, vel antequàm Religionem ingrederer, vindicassem (intellige, si dum hæc dicit, habeat affectum vindictæ sumendæ, si esset in tali statu: secùs enim est, si tantùm ostendat, quid facturus fuisset in alio statu.) Bon. *de matr. q.* 4. *p.* 8. *nu.* 9. Ratio responsionis est; quia etsi consensus conditionatus nihil ponat in rerum natura, ex parte obiecti voliti; in voluntate tamen ponit affectum committendi illud peccatum: præcisâ conditione non auferente malitiam; ac proindè talis erit culpa, qualis esset illud amare absque conditione. Caiet. *Sanch. l.* 1. *mor. c.* 2. Vasq. Laym. *l.* 1. *tr.* 3. *c.* 6. *nu.* 10. *Ex quibus resolvuntur hi casus.*

1. In omnibus, solo iure positivo prohibitis, licitum est desiderium cum conditione hac (si prohibitum non esset,) v.g. ederem carnes die Veneris, si Ecclesia non vetuisset. Ratio est, quia conditio omnem malitiam, quæ à sola prohibitione est, aufert. Azor. *l.* 4. *c.* 6. *q.* 10. Sanch. *l.* 1. *cap.* 2. Vasq. *d.* 116. *cap.* 2.

2. Idem valet in prohibitis quidem iure naturali, licitis tamen in aliquo casu, aut statu, si is pro conditione apponatur, v.g. occiderem Petrum, si Deus mandaret; suspenderem furem, si essem Iudex; ducerem vxorem, si liceret, si non essem Sacerdos, si essem liber à voto. Ratio est, quia hæc sub illo statu sunt licita. Rectè tamen monet Sà. *V. peccatum*, huiusmodi desideria esse periculosa, & vitanda, atque, vt ait Caiet. *Ibid.* esse fatuas, & diabolicas tentationes. *Ibid.* & Layman. *l.* 1. *t.* 3. *c.* 6. *num.* 10.

3. Etsi idem quidam, vt Caiet. Sal. & Vasq. vniversim affirment de omnibus iure naturæ, & simpliciter prohibitis, si conditio impossibilis apposita tollat rationem peccari ab obiecto; vt si dicas, si non esset peccatum fornicarer, eò quòd tunc consensus non videatur ferri in malum: probabilius tamen videtur, quod docent Azor. Sanch. & Layman. esse peccatum; eò quód sit intrinsecè malum, nec malitiâ suâ (quæ in consensum circa tale obiectum traheret, nisi Dei lex arceret) exui possit; ideòque voluntas feratur in malum. Quod tamen intellige, si efficaciter feratur: quia si tantùm sit significatio propensionis naturalis in illud obiectum, non est peccatum. Sanch. *l.* 3. *c.* 2. *nu.* 25. Laym. *l.* 1. *t.* 3. *cap.* 6. *n.* 11. Vid. Card. de Lugo. *d.* 16. *n.* 376.

4. Gaudere, & delectari de opere malo, sub conditione *si liceret* v.g. in prædictis desiderijs efficacibus illicitis, quando conditio est possibilis, etsi possit excusari à peccato, secundùm quosdam D.D. si fiat tantùm secundùm appetitum rationalem, sive voluntatem, (secluso omni alio periculo consensûs illiciti, & turpis motûs; qui tamen quia communiter, & connaturaliter sequitur, vix tutum videtur in praxi) non potest tamen excusari, si sit delectatio voluntaria appetitûs sensitivi, quæ propriè delectatio dicitur, fitque communiter cum aliqua alteratione corporis. Ratio discriminis est, quia voluntas potest ferri in obiectum abstractum à malitia: cùm sequatur intellectum, cuius est abstrahere; appetitus verò, quia sequitur imaginationem; non fertur in obiectum sub aliqua certa conditione statûs, vel temporis apprehensum, sed vt est in se; ideóque talis delectatio est de obiecto absolutè

malo V. Layman. & Bonacina. *de matr. q.* 4. *p.* 8.

ARTICVLVS II.

An delectatio morosa semper sit peccatum?

RESP. Si terminetur ad cogitatum opus malum secundùm se, est peccatum mortale, vel veniale, provt ipsum opus mortale, vel veniale est. Ita commun. ex D. Thom. 1. 2. *quæst.* 78. *art.* 8.

Dixi *secundùm se*: quia si delectatio sit tantùm de ipsa cogitatione, non autem de opere, non est peccatum; quia sicut cogitatio v.g. de rebus obscœnis, in ordine ad docendum, vel concionandum, &c. bona est; cognitio autem de iisdem rebus ex curiositate, est mala venialiter: ita consequenter delectatio de tali cogitatione tanquam obiecto, non est mala, sed quandoque bona, quandoque venialiter mala. Similiter nec peccatum erit, si delectatio versetur circa modum malè operandi, non circa ipsum opus malum: quo modo sine peccato sæpé nos delectant fabulæ, comœdiæ, bella, homicidia, fraudes, furta, lapsus hominis, v.g. ex equo, &c. non secundùm se, sed modus furandi, rapiendi, artificiosus, & industrius, modus cadendi inopinatus. Lay. *lib.* 1. *t.* 3. *c.* 6. *num.* 2. *Ex quibus resolves.*

1. Licitum est gaudere, & delectari morosè de effectu bono, secuto ex opere malo: quia tunc delectatio non est de obiecto malo.

2. Si talis effectus secutus sit ex opere secundùm se quidem malo, hic tamen, & nunc culpa vacante, vt v.g. quia factum est in somno, amentia ebrietate, inculpabili ignorantia, tunc etiam de ipso actu licere aliquando delectari, non quidem secundùm, se sed vt est causa talis boni effectus, docent Less. *l.* 4. *c.* 3. *nu.* 105. & 106. ex Vasq. 1. 2. *d.* 105. *cap.* 2. v.g. de solutione naturæ facta in somno. Ratio est, quia obiectum delectationis istius non est malum. Vid. Bonac. *de matr. d.* 4. *p.* 8. *nu.* 8. Sanch. *l.* 1. *mor. c.* 2. *n.* 18. Card. de Lugo. *de pœn. d.* 16. *nu.* 389. Imó addunt licere aliquando desiderare (affectu simplici, & inefficaci desiderio) vt tale quid fiat sine culpa; v.g. vt in somno eveniat naturæ solutio, ob finem bonum: dummodó desiderium non sit tam intensum, vt tale quid probabiliter causet; neque sit periculum consentiendi in talem voluptatem. Ratio est, aiunt, quia obiectum huius desiderij, aut gaudij non est malum. Vid. Less. & Bon. *l.c.*

3. Non est peccatum, saltem mortale, si coniuges delectentur appetitu tantùm rationali, de actu coniugij præterito, futuro, vel possibili, respectu compartis præsentis, vel absentis. Item si sponsus desideret copulam futuram, aut de ea delectetur; vel vidua de præterita. Ratio est, quia hi actus habent obiectum licitum.

Dixi *appetitu rationali*: quia si sponsus, aut vidua voluntarié consentiat in delectationem sensitivam, & carnalem, (quæ ex recordatione copulæ futuræ, aut præteritæ naturaliter oritur) mortaliter peccat, vt docent Less. *l.c. t.* 3. *c.* 6. Bon. Tan. Palaus, Vid. Dian. *t.* 5. *misc. Res.* 2. contra Med. &c. Quia veró ad supradictam voluntatis oblectationem sensitiva, & carnalis vt plurimùm, imò etiam periculum consensus in fornicationem, consequitur, oblectationem illam voluntatis in praxi vix locum habere, saltem in vidua, & sponsis; inter coniuges tamen, modò periculum pollutionis absit, etiam sensitivam, & veneream delectationem non esse mortale, docent. Fill. Bon. *de matr. q.* 4. Sanch. Less. *l.c. d.* 1. & Dian. *t.* 3. *mis. Res.* 36. Tum quia status matrimonij hæc excusat; vtì etiam tactus impudicos solius voluptatis causa institutos: tum quia hæc tendunt per se ad opus coniugale, licèt per accidens opus non exerceatur.

4. Delectatio morosa, de rebus solo iure positivo prohibitis, non est illicita; modó non fiat sub ratione prohibitionis: v.g. si Carthusianus, vel alius die ieiunij se oblectet de cogitato esu carnium, quia non est de opere malo, cúm lex tantùm vetet comestionem externam. Lay. *l.* 1. *t.* 3. *c.* 6. *n.* 9. Less. *l.* 4. *c.* 3. *d.* 14. *n.* 111. & *n.* 113.

5. Qui delectationem morosam mortalem confitetur, addere debet circunstantias operis, de quo fuit delectatio, v.g. in materia iræ, an fuerit de occidendo fratre, an alio, vno, an pluribus; in materia carnis, an de coniugata, moniali, consanguinea. Quod tamen limitat Azor, Sà, *V. Luxuria*, Salas *to.* 2. *tract.* 13. *d.* 16. *s.* 6. *num.* 59. &c. si delectatio feratur in obiectum apprehensum secundùm totam suam malitiam; non autem si tantùm secundùm partem, v.g. in fœminam, apprehensam vt non suam, non tamen vt alteri nuptam, vel vt monialem: tunc enim probabile esse ait, delectationes tales reduci ad speciem simplicis fornicationis. Ita etiam Filliuc. Less. Bonac. Dian. Palaus. Vid. Lug. *d.* 16. *num.* 363. Aliud. est de ipso opere externo, quod semper fertur in obiectum, secundùm totam suam malitiam, aut etiam de desiderio efficaci, quod fertur in opus externum secundùm se, & vt est à parte rei; ac proindè est eiusdem cum illo speciei, ideòque eius circunstantiæ semper fatendæ sunt. Vid. Aut. *cit.*

Resp. 2. Si quis sine causa, & necessitate actionem exerceat, ex qua intelligit, delectationem carnis naturaliter oriturum, (v.g. ex curiositate legit, vel audit turpia) tamen sine directa intentione, & sine periculo consensus, peccat venialiter; si verò iustam causam habeat, nihil peccat. *vide sup. in* 6. *præcept. l.* 3. *t.* 4. *c.* 2. *d.* 4.

Quæres. An voluntas delectationem carnalem positivé reprimere teneatur?

Resp. 1. Si voluntas plenè eam advertens negativé, & permissivé se habeat, ita vt nec approbet, nec repellat, dummodò id non permittat ex ipsius delectationis complacentia, nec periculum sit vlterioris consensus, probabile est, quod docent Caiet. & Sanch. 1. *mor. cap.* 12. non peccare mortaliter: tum quia non consentit in delectationem, tum quia moraliter est impossibile, omnes illos motus evitare: tum quia ex iusta causa illos licèt permittere, etiam secundùm adversarios.

Resp. 2. In praxi tamen veriùs videtur; quod docent Vasq. Azor. Less. Bec. 1. 2. *t.* 2. *q.* 5. *c.* 5. sine iusta causa eis non resistere, esse mortale: quia ferè semper voluntas est exposita periculo consensus, & contrarium credere, est nimia sui confidentia, & præsumptio-

Moderatè Laym. vtramque sententiam probabilem fatetur, & ait delectationem videri mortalem, nisi saltem actum simplicis displicentiæ circa illam elicias: & si efficaciter animum ad alia divertere negligis, cùm facilè possis, & speres te tali modo posse depellere. Vid. Laym. *l.* 1. *t.* 3. *c.* 6. *d.* 3.

DVBIVM III.

De Distinctione peccatorum.

ARTICVLVS I.

Quæ peccata distinguantur specie?

RESp. Peccata, quoad materiale, sive entitatem positivam, specie distinguntur ex obiectis formalibus, & circunstantijs speciem, variantibus, quatenus eæ obiecti formalis rationem habent. Quoad formale autem, proximè distinguuntur ab oppositis formis, sive rectitudine virtutis, qua privant; remorè autem, & fundamentaliter, ex obiectis. Ita Trid. *d.* 4. *de pec. d.* 1. *quæst.* 2. Ratio primæ partis est, quia omnes actus specie distinguntur ex obiectis; peccata autem quoad materiale, dicunt ipsos actus. Ratio secundæ partis est, quia privationes proximè distinguuntur specie á formis, quibus privant; sed peccata formaliter sunt privationes rectitudinum oppositarum: ergo. Ratio tertiæ partis est: quia rectitudo virtutis specificatur proximè ex obiecto; ergo privatio rectitudinis ex eodem remorè. *Ex quibus resolves.*

Peccata specie differunt, non tantùm quæ diversis virtutibus, sed etiam quæ eidem opponuntur extremé; vt prodigalitas, & avaritia: vel ratione diversæ difformitatis, id est, quæ adeó diversâ ratione, & malitiâ eiusdem virtutis materiam attingunt, vt quantum est, ex natura eiusdem peccati, non sit eadem facilitas moraliter loquendo, neque propensio vtrumque peccatum committendi; qualia sunt homicidium, furtum, adulterium, detractio.

ARTICVLVS II.

Quæ peccata distinguantur numero?

RESp. Numero distinguuntur duobus modis. 1. Ex diversis obiectis numero totalibus, non materialiter, & physicè tantúm, sed etiam formaliter, & moraliter distinctis. 2. Per interruptionem actuum moralem. Fil. *t.* 21. *c.* 8.

Dico, *moralem*: quia etsi ad distinctionem numericam physicè sufficiat quævis interruptio; in ordine tamen ad confessionem non multiplicantur, nisi moraliter multi sint: quia sicut in confessione actus moralis, ita etiam multiplicatio, & distinctio moralis attendi debet.

Porrò actus moraliter interrumpuntur, ita vt nec virtualiter, nec interpretativè manere censeantur. 1. Per contrariam voluntatem, & propositum. 2. Per cessationem ab actu, voluntariam, & liberam. 3. Per cessationem involuntariam, & naturalem, sive ea fiat per somnum, sivè per distractionem ad alia. Per somnum quidem, quia cùm in illo cesset vsus rationis, non continuatur actio

actio libera, & moralis: per distractionem veró, quia per illam prior cogitatio fit involutaria: ideóque si ad eam redeatur, fit voluntaria, & moraliter multiplicatur. Ita Vasq. &c. Quæ sententia, etsi in peccatis externis tenenda sit, in internis tamen non habet locum, secundùm Fill. *tr.* 21. *c.* 8. *nu.* 317. Ratio est, quia etsi per hanc interruptionem physicè actus multiplicetur, non tamen moraliter, quia hoc ipso quòd animus involuntariè distrahitur, remanet interpretativè prior voluntas, cùm non sit retractata aut aliter interrupta. *V. etiam* Bald. *d.* 21. *n.* 3. *Ex dictis resolves.*

1. Vnum numero peccatum committit, qui vno actu odij vel detractionis fertur in 10. homines; qui vno ictu duos occidit; qui vno actu vult omittere officium Horarium per mensem; ieiunium per quadragessimam. Quia etsi, hæc obiecta physicè sint plura, sunt tamen vnum moraliter, & formaliter, quatenus in vno actu hìc, & nunc coniunguntur. Ita Navar. Fill. Bonac. *d.* 2. *q.* 4. *p.* 1. contra Azor. Vasq. &c. qui satis probabiliter dicunt esse peccata distincta. Verùm sive 10. peccata dicas, odisse v.g. 10. homines, sive vnum parum refert, cùm vnum hoc illis decem æquivaleat, proindeque obiecti gravitas in confessione exprimenda sit, quippè quæ actum in suo esse individuali constituit, vt notat Fill. Bon. Suar. *de pœn. d.* 22. *s.* 5.

2. Actus voluntaris internus sæpius interruptus, & repetitus, licét physicè sit multiplex, moraliter tamen est vnum numero peccatum, in ordine ad confessionem, si consummetur in opere aliquo externo, per eum intento, & causato; aut etiam in pluribus actibus externis sibi invicem subordinatis ad eundem finem; hinc v.g. qui furatur bibliothecam per totam noctem, etsi sæpius voluntatem furandi renovet, vnum furtum: & qui ad occidendum alium pergens, sæpè voluntatem renovat, vnum homicidium committit. Ratio est, quia est vna actio externa, ab internis intenta & causata, in qua internæ omnes complentur; & moraliter vniuntur. Vid. Baldell. *d.* 21. *nu.* 4.

3. Actiones externæ, licèt numero distinctæ ad eundem tamen finem, & actum principalem relatæ, modo non habeant distinctam ab illo malitiam, non distinguntur ab ipso fine, & actu principali, moraliter loquendo, & in ordine ad confessionem: hinc oscula, tactus, verba impudica, &c. copulam carnalem præcedentia, imò etiam comitantia, & subsequentia, tanquam complementa, & appendices operis, vnum numero peccatum sunt, vt docent. Navar. *cap.* 6. *nu.* 17. Azor, *lib.* 4. *c.* 4. *q.* 6. Fill. &c. Ratio est, quia sunt vel initia, vel partes, vel complementa, & appendices operis, eiusdem actus humani, & obiecti, in quo omnia prædicta moraliter vniuntur.

Dixi, *complementa*: quia, si similes actus non sunt initia, vel partes copulæ subsecutæ, aut ex actu præterito, ex natura rei non consequantur, distinguntur numero; vt v.g. si quis de fornicatione glorietur: proindeque illi in confessione explicandi sunt separatim, non autem priores, vt docet Suar. *t.* 4. *de pœn. d.* 22. *s.* 1.

(***)

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT II.

De Peccatis in specie, mortali, & veniali.

DVBIVM I.

Quid sit peccatum mortale, & veniale?

RESp. 1. Mortale est, quod ob sui gravitatem, gratiam, & amicitiam cum Deo solvit, pœnamque æternam meretur. Dicitur *mortale*: quia spiritualis vitæ principium, gratiam scilicet habitualem, tollit, & mortem animæ affert.

Veniale est, quod ob suam levitatem gratiam, & amicitiam cum Deo non tollit, etsi fervorem charitatis minuat, & temporalem pœnam mereatur. Dicitur *veniale*: quia salvo vitæ spiritualis principio, scilicet gratia, languorem animæ facilè curabilem infert, veniamque facilè consequitur.

Resp. 2. Mortale peccatum duplex est: aliud est mortale ex genere suo: aliud ex accidente. Mortale ex genere suo est, quod per se lædit charitatem Dei vel proximi, quoad personam, res, aut iura, vel nos ipsos corrumpit graviter. Ita Azor, *lib.* 4. *cap.* 9. Sanch. *lib.* 1. *mor. cap.* 3. *Vndè resolves.*

1. Peccata contra bonum proprium commissa, vt plurimum sunt venialia ex genere suo, v.g. inutilis, & vana concupiscentia, vana oblectatio, prodigalitas, curiositas, superfluitas cultus, & vestitus, nugæ, ortum, excessus in cibo, potu, somno, risu, vsu coniugij, timore, tristitiâ, appetitu pecuniæ, laudis, &c.

2. Peccata, contra virtutes Theologicas, sunt mortalia ex genere suo; quia nocent bono alicui interno Dei, v.g. veracitati, misericordiæ, charitati. Item ferè omnia quæ fiunt contra Decalogum; quia quæ committuntur contra tria prima præcepta, nocent similiter Deitati, scientiæ, omnipotentiæ diviræ, eiusque bonori externo vel interno: quæ verò contra reliqua præcepta fiunt, nocent personæ, bono, aut iuri proximi.

3. Peccata illa septem, quæ dicuntur capitalia, non omnia sunt mortalia ex genere suo: quia non omnia graviter Deum, aut proximum lædunt, vel nos ipsos corrumpunt.

Resp. 3. Mortale ex accidente dicitur, cùm actus aliquis venialis, aut indifferens, fit per accidens mortalis, de quo infrà.

DVBIVM II.

Quibus ex causis peccatum ex genere suo mortale fiat per accidens veniale?

RESp. 1. Tria requiruntur ad peccatum mortale, quorum si vnum desit, fit veniale, quod aliàs ex se est mortale. 1. Ex parte intellectus, plena advertentia, & deliberatio. 2. Ex parte voluntatis, perfectus consensus. 3. Gravitas materiæ, saltem vt plurimùm. Ratio primæ, & secundæ partis est, quia spectata fragilitate humana, non videtur decere divinam bonitatem, æternis supplicijs punire hominem, absque plena consideratione, & consensu. Ratio tertiæ partis est, quia vbi materia parvi est momenti; ibi moraliter modica offensio esse reputatur vt plurimùm.

Resp. 2. Peccatum ex genere suo mortale, tribus ex causis fieri potest veniale, vt patet ex dictis. Prima est, si ex parte intellectus, non sit perfecta advertentia malitiæ, seu deliberatio. Signa autem imperfectę deliberationis sunt. 1. Si tenuiter, & quasi semidormiens, apprehendisti esse malum. 2. Si post, vbi meliùs consideras, iudicas te non fuisse facturum, si ita apprehendisses. 3. Si vehementissimâ passione; apprehensione, vel distractione laborasti, vel turbatus fuisti, ita vt ferè nesciveris quid ageres.

Secunda causa est ex parte voluntatis, si non sit perfectus consensus. Signa autem imperfecti consēsus sunt. 1. Si ita dispositus fueris, vt licèt facilè potueris exequi peccatum, non tamen sis executus. 2. Si quis dubitet num consenserit, præsertim si sit vir timoratus. 3. Si quis soleat esse ita affectus, vt malit mori, quàm expresè mortaliter peccare: quia talis non facilè consentit. 4. Si quis valdè timidè, & suspensè processisse se meminit. 5. Si semisomnis fuit, non plenè sui compos, &c. iudicetque se id non fuisse facturum, si plenè vigilasset. V. Sanch. *lib.* 1. *mor. c.* 10. Bald. *l.* 10. *d.* 8.

Tertia causa ex parte materiæ, si hæc sit parvi momenti. Quando autem talis sit, discernendum est morali iudicio prudentis, cui sequentes regulæ servient. 1. Vt de materiâ iudicetur, non tantùm ipsa secundùm se absolutè est consideranda, sed etiam respectivè ad finem intentum: ad quem si parum facit, levis est; gravis autem, si multum, vt docet Vasq. 1. 2. *d.* 158. 2. Attendendæ sunt circustantiæ quia sæpè fit, vt res ex se levis, attentis circunstantijs boni communis, vitandi, scandali, &c. fiat gravis. 3. An pars aliqua rei præceptæ sit gravis, ea spectanda est tum absolutè, & secundùm se, tum etiam in ordine ad totum. 4. In transgressionibus repetitis, si plures materiæ parvæ, vel secundùm effectus à se productos, moraliter coniungantur, fit materia gravis: quia tunc omnes moraliter reputantur pro vna. Contrà verò non censetur materia gravis, si parvæ materiæ, nec secundùm se, nec secundùm effectus relictos, inter se vniantur. *Ex dictis resolves.*

1. Peccas mortaliter, ita vt fiat materia gravis, si sæpè modicum furaris, & non restituis, iuxta dicta. *l.* 5. *t.* 5. *c.* 1. *d.* 3. *casu* 1. item si interruptim Psalmos aliquot ex eodem officio omittas: si eodem die ieiunij sæpius parum comedas, eodem festo sæpius parum labores.

2. Non peccas graviter, si diversis festis modicum labores; si quotidie in Quadragesimâ parum comedas. Quod verum est, etiamsi simul haberes propositum ita faciendi: quia cùm ista moraliter inter se non vniantur, singula sunt parva. V. Sanch. *l. c.*

3. Non peccat mortaliter qui diversis diebus violat votum, quotidie, aut singulis diebus modicum quid orandi, vel parvam eleemosynam dandi, si sit onus affixum diei: quia cum quotidie euiusque diei obligatio extinguatur, materiæ illæ non continuantur. Quod verum est, etsi proponat semper omittere, quia illud propositum non fertur in rem gravem. Imò, contra Sanch. id quidam verum putant, etsi quis 100. vota diversæ speciei, in materijs valde levibus,

vno die implenda haberet : quia materiæ illæ cùm sint independentes à se, non vniuntur. Si tamen similia vota non sint onus affixum diei, sed tantùm dies præfigatur vt terminus, vltra quem executio non differatur, erit peccatum mortale, postquam ad materiam notabilem perventum fuerit.

4. Probabile est, eum, qui ter, vel quater 1000. aureos in causas pias vovisset, non peccaturum mortaliter, si res non solveret, quia etsi talis pars absolutè in se spectata, sit notabilis, comparatione tamen totius, morali iudicio non valde videtur æstimanda. V. Laym. *l.* 1. *t.* 3. *c.* 5.

DVBIVM III.

Quibus modis peccatum ex genere suo veniale, aut actus indifferens, transeat per accidens in mortale?

QVinque modis id fieri communiter, docet Sanch. &c. 1. Ratione finis adiuncti. 2. Ratione finis vltimi. 3. Ratione contemptus. 4. Ratione scandali. 5. Ratione periculi. De singulis dicam breviter.

Resp. 1. Peccatum veniale transit in mortale ratione finis adiuncti; vt si quis leviter mentiatur, ad copulam carnalem extorquendam: quia cùm finis mortalis ametur, mortale est. Non tamen necessarium est in confessione exprimere illud mendacium, sed solum desiderium fornicationis: quia seclusâ malitiâ mortali finis, manet veniale.

Resp. 2. Transit item in mortale, ratione nimij affectûs in rem aliquam: vt si v.g. vltimum finem in ea constituas. Ad quod non sufficit valde intensè, & vehementer ferri in obiectum, sed requiritur, vt appreciativè illud ita æstimes saltem virtualiter, vt paratus sis eius causâ transgredi præceptum obligans sub mortali: vt si quis ita inordinatè afficiatur ad fabulas, lusum, personam, vt malit festo omittere sacrum, &c. quàm illis privari. Notat autem Bon. hunc affectum, non tantùm habitualem, sed actualem esse debere, vt peccatum contrahatur : quia non imputatur ad culpam id, ad quod committendum, habitu tantùm es paratus.

Resp. 3. Peccatum veniale, fit mortale, ratione contemptus absoluti, & formalis.

Dico autem *contemptum absolutum, & formalem*, quando nimirum ideò formaliter, & absolutè præceptum violatur; quia ipsi, aut superiori subijci renuis, quod est peccatum superbiæ consummatæ; vel quando ideò non vis obedire præcepto, quia præceptum est, & est peccatum inobedientiæ formalis: quorum vtrumque graviter pugnat cum charitate debita superiori. *Ex quibus resolves.*

1. Non est mortale, si velis quidem obedire, & subijci absolutè, nolis tamen hîc, & nunc in re modica; aut si authoritatem legis, vel præcipientis admittas, executionem tamen hîc, & nunc contemnas, Ratio est, quia non est contemptus absolutus, & simpliciter, sed tantùm secundùm quid.

2. Si præcisè ex indignatione, malitiâ, pravâ consuetudine, aliave causâ, præceptum violetur, & non ex contemptu potestatis superioris non est mortale; quia non est contemptus formalis, sed tantùm interpretativus.

3. Est

3. Est mortale, facere vel omittere aliquid, ex contemptu iustæ legis humanæ. Item, ex contemptu Dei præcipientis, vel etiam consulentis (quod præterea tacitam blasphemiam continet, quasi Deus inutilia præciperet, aut consuleret,) & deniquè facere aliquid ex contemptu Prælati vt sic, & vt à Deo authoritatem habentis, non tamen vt talis hominis, indocti, imprudentis, imperfecti: quia hoc posterius, non est contemnere absolutè, & simpliciter, sed tantùm secundùm quid. Vid. Sanch. 1. *mor. cap.* 5. Bonacina. *de peccat. d.* 2. *quæst.* 3. *p.* 5.

Resp. 4. Peccatum, vel opus indifferens habens mali speciem, transit per accidens in mortale, si ruina per illud proximo causanda, sit mortalis. Ratio est, quia tali operi superadditur aliquid graviter repugnans charitati. *v. dicta de scandalo*, & Filliuc. *t.* 21. *cap.* 6. *q.* 10. *n.* 212.

Resp. 5. Veniale, vel opus indifferens, transit in mortale, ratione periculi incidendi in mortale; quando quis sine sufficienti cautelâ, aut necessitate aliquid facit, per quod veniat in mortale, ac proximum periculum peccandi mortaliter : quia talis salutem animæ contemnit, cùm tam probabili eius periculo temerè se exponat. Vndè in confessione explicanda est species peccati, cuius periculo se obiecit, quia eodem genere peccati peccavit. Proximum autem periculum censetur, quod frequenter homines similis conditionis in peccatum mortale inducit.

(***)

CAPVT III.

De peccatis capitalibus in specie.

DVBIVM I.

Quid sit superbia, & quale peccatum?

REsp. 1. Superbia est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ : mortalis ex genere suo, si sit consummata, & perfecta, idest, si quis ita excellere appetat, vt Deo, Superioribus, eorumque legibus subijci nolit: Imperfecta tamen, qua quis subijci non renuens ijs, quibus debet, & in suo tantùm affectu sese magnificat, est tantùm veniale, vt docent Caiet. &c. *V. Superbia*; quia sine Dei, & aliorum despectu, plus iusto se efferre, non est gravis inordinatio: esset tamen gravis, si fieret cum notabili aliorum contemptu, complacendo in aliorum obiectione.

Resp. 2. Filiæ superbiæ sunt tres. 1. Est præsumptio quę est appetitus aggrediendi aliquid supra vires. Est communiter veniale tantùm : fit tamen mortale, si damnum Deo, aut proximo afferat: v.g. si præsumas iurisdictionem Ecclesiasticam, potestatem Ordinis sacri, Item officium Medici, Advocati, Confessarij, &c. sine debita peritiâ exercere. Lessius. *l.* 3. *cap.* 2. *d.* 3. *& suprà l.* 4. *t.* 3. *d.* 9.

2. Est ambicio, quæ est inordinatus appetitus dignitatis, & honoris non debiti, vel debito maioris; vt si ambias beneficium, vel officium, quo es indignus; vel illicito modo, & medio, v.g. per simo-

simoniam. Est per se peccatum veniale: fit autem mortale, vel ratione materiæ ex qua; vel ratione medij, per quod honor quæritur; vel ratione damni, quod proximo infertur. Deniquè si moderatè honor appetatur ob honestum finem erit actus magnanimitatis, vt docet Layman.

3. Est vana gloria, scilicet cupiditas inanis gloriæ; cuius finis est manifestatio inordinata propriæ excellentiæ, sive veræ, sive fictæ. Dicitur vana, quando quæritur ex re mala, falsa, aut ficta, aut quæ non est digna gloriâ, vel non tantâ, vt ex opibus, nugis, &c. aut apud eos, qui non benè de re iudicant, aut sine debito fine. Est peccatum per se veniale, mortale sæpé per accidens, vt dictum est de ambitione. Imò vt contra Angelum rectè docet Sylv. Navar. *c.* 17. *&c.* est tantùm veniale, res etiam sacras principaliter facere ob gloriam vanam, v.g. concionari. Porrò per vanam gloriam dupliciter peccatur, iuxta D. Th. 1. 2. *q.* 13. 1. Directè, idque vel per verba, estque iactantia, quæ est venialis per se, si sit de rebus bonis, v.g. ieiunio, oratione, &c, etsi per accidens sæpè ratione damni, si sit falsa, sit mortalis: vti etiam. 1. Si quid dicat contra gloriam Dei, vt *Ezech.* 28. *Deus ego sum.* 2. Si prorumpat in contumelias, v. g. Non sum sicut cæteri hominum adulter, &c. vt, & hic. 3. Ex fine malo. 4. Si cum notabili damno proximi fiat. 5. Si de re mortaliter mala; quia approbatio operis eandem cum illo speciem habet, (quæ proindè in confessione debet exprimi, saltem quando cum iactantia de peccato coniuncta fuit complacentia eiusdem, Quod addo; quia si absque ea fuit, Navar. Palaus, & Dian. *to.* 2. *tr.* 4. *Res.* 116. docent contra Sanch. Lopez, Rodr. &c. non necessariò explicari. Vid. Lug. *d.* 16. *nu.* 267.) vel per facta, quæ si vera sunt, & aliquid admirationis habent, dicitur inventio novitatum, hæc enim solet vulgus admirari, vt peregrinas vestes, opiniones, &c. mortale, si notabiliter corrumpat iuventutem, vel mores. Si veró facta falsa sint, est Hypocrisis; v.g. si quid boni aliquid faciat, vt videatur bonus, etsi non sit: quæ ex se venialis est, nisi sit cum iniuria, vel contemptu Dei, & proximi. 2. Indirectè, in quantum quis altero non vult esse minor. Quod fit quadrupliciter. 1. Per intellectum; & est pertinacia, qua quis nimis tenaciter adhæret suæ sententiæ; quæ est mortalis, si oppugnetur veritas magni momenti; vel si sit coniuncta cum periculo tertij, v.g. si Medicus cum periculo ægroti maneat in sententia. 2. Per voluntatem, & est discordia, qua peccatur mortaliter, quãdo est circa bonum Dei, vel proximi, in quo deberent esse concordes. 3. Per verba, & est contentio, quæ est mortalis, quando animo contradicendi altercaris circa veritatem pertinentem ad fidem, vel salutem animæ, aut corporis. 4. Per facta, dum quis non vult exequi quod debet, & est inobedientia. Vid. Baldell.

Resp. 3. His tribus superbiæ filiabus respondet pusillanimitas, qua quis nimiùm sibi diffidens detractat honores, gloriam, vel officium, quo dignus est: veniale est ex genere suo; fit mortale, si detrectes id, ad quod teneris sub mortali. Vid. Less. *l.* 3. *c.* 2. Layman. *l.* 3. *sect.* 5. *Ex dictis resolvuntur sequentes casus.*

1. Audiens laudem alterius, vel suam, de re mortaliter mala, peccat mortaliter, si approbet, suscipiat, admiretur vt laude dignum. Sanch. Baldell. *d.* 29 *l.* 3.

2. Vituperans alium ob vindictam non sumptam, aliudve grave malum, vel peccatum omissum, v.g. fornicationem peccat mortaliter; quia est species iactantiæ, & est cum approbatione peccati, & occasio committendi. *Ibid.*

3. Inducens in Civitatem novos habitus, & prævidens quòd suo exemplo moralem necessitatem imponat alijs vt sumptus faciant supra vires, & posteà non possint alere quos debent, vel creditoribus satisfacere, peccat graviter. Bald. *loc. cit.*

4. Exornare se nimiùm ex animi levitate, vel vanitate, per se tantùm est veniale. *Ibid.*

5. Simulare sanctitatem cum voluntate non habendi, mortale esse dicit Bald. *l.c.*

6. Simulare improbitatem est peccatum, (quia est mendacium, & quidem scandalosum, potestque esse mortale. Neque id fecerunt sancti, nisi faciendo id quod ex se est indifferens, & permittendo ab alijs accipi, vt signum improbitatis, cùm tamen nec ex natura sua, nec eorum intentione esset tale.

DVBIVM II.

Quid sit Avaritia?

Resp. 1. Est inordinatus appetitus temporalium. *Vndè* ex hoc, & regula suprà tradita, de peccato mortali. *resolves sequentes casus.*

1. Est ipsa ex genere suo venialis.

2. Cùm veró eó excrescit, vt eius causa divinas leges prævaricari non dubites, fit mortalis.

3. Prodigalitas, quæ opponitur avaritiæ, & consistit in defectu conservandi, & excessu erogandi, est ex genere suo venialis: levior quàm avaritia, quia minùs abit à virtute liberalitatis. Interim mortalis fit, si liberis, & vxori paupertatem creas; si impotentem te reddas ad solvenda debita; si profundas bona Ecclesiastica, pijs causis obnoxia. Vid. Less. *l.* 2. *c.* 47. *l.* 8.

Resp. 2. Filiæ avaritiæ sunt sequentes.

1. Obduratio cordis, (contra misericordiam) egenis, & pauperibus non compatiendo, eos obiurgando, debita duré nimis exigendo, quando creditor non est solvendo, &c. Hac aliquando peccari potest mortaliter, quando præceptum eleemosynæ, vel charitatis vrget; & tamen ex tali duritia non subvenitur. Nav. *c.* 27. Tol. *l.* 8. *c.* 26. *vide dicta de charitatem proximi.*

2. Inquietudo cordis, hoc est, vehemens, & inordinata applicatio mentis, ad acquirendas, vel conservandas divitias, cum inani, & vano timore ne non acquirantur, vel perdantur. Est mortalis, quando retrahit à spiritualibus, vel alijs, ad quæ ex præcepto gravi obligamur (v.g. auditione missæ) vel inducit superfluum timorem, & ex hoc diffidentiam erga Deum. Venialis, est, si sit de re bona, sed tempore, vel loco indebito; v.g. de familia, messe, vindemia, quando quis est in Templo, vel vacandum est Deo. S. Thom. 2. 2. *q.* 55. *ar.* 6. Regin. *l.* 23. *c.* 2. *q.* 3. Escob.

3. Violentia mortalis est, quando est iniusta, & circa materiam gravem.

4. Falla-

Universidad de Navarra Biblioteca

4. Fallacia, sive dolus in verbis potest esse mortalis, ratione, finis vel mediorum.

5. Fraus, sive dolus in facto, est mortalis ex genere suo, contingitque multiplicetur in contractibus, tam ratione materiæ (v.g. si ea vitium habet, vel non sit, qualis existimatur) quâ ratione pretij. Nav. *c.* 23. Tol. *l.* 8. *c.* 47. Escob.

6. Proditio, quæ est deceptio contra fidem datam, aut debitam in damnum illius, mortalis est ex genere suo. Contingit ferè triplicjter. 1. Circa personas; quomodò Iudas Christum, Dalila Samsonem, prodidit. 2. Circa res, vel immobiles (vt si miles manifestet hosti modum capiendi Arcem) vel mobiles, vt si pecuniam, vestem, &c. cuiuspiam absconditam prædoni ostendas. 3. Circa secretum, vel sibi commissum revelando, (quod est contra fidelitatem, & iustitiam, siquidem promissum fuit; quia est pactum onerosum, vt docet C. de Lugo. *l.* 14. *num.* 139. & quidem mortale, si prævidere possis indé secuturum notabile aliorum damnum, vel discordiam; aliàs veniale) vel alienas litteras aperiendo, & legendo. Quod postremum, si fiat ideò, vt sciat secreta alterius, est curiositas: & si sit in re gravi, per se est mortale: quod quia communiter ante apertionem nescitur communiter esse mortale, docent Tol. *l.* 8. *c.* 45. Bal. *l.* 3. *d.* 11. Nav. *c. pen d.* 6. *de pœn.* Mol. Laym. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 1. *c.* 4. (qui addit, eum qui dolosè alienas litteras aperit, & legit cum alterius iniuria, vel damno, crimen falsitatis committere.) Dixi *per se esse mortale*: quia per accidens potest esse veniale, vel nullum, si legitima authoritate iusta ex causa fiat. *Vndè resolvuntur casus seqq.*

1. Litteras alienas aperire, & legere, sæpè non est peccatum, si probabiliter scias, scriptas esse in tuum iniustum damnum, vel in iniuriam tuam cedere, quam intendas avertere; quia potes tibi consulere. Sic Princeps potest aperire litteras, non tantùm hostium, sed etiam aliorum, quæ tempore belli, ex locis finitimis hostium veniunt. Item ministri publici, quoties bono publico necessarium esse iudicant. Nav. *c.* 18. Reg. *l.* 24. *nu.* 60. Escob. Card. de Lugo *d.* 14. *nu.* 148.

2. Communiter etiam peccatum non est, si consensus expressus habeatur eius, à quo, vel ad quem mittuntur, (neque lex specialis veter. Card. de Lugo *l.c.*) vel tacitus saltem: vt si facias sub ratihabitione, confidens rationabiliter habitum iri ratum. Ita Escob. ex Nav. Regin. &c. *l.c.*

3. Superior Religiosus, litteras suorum subditorum, (dummodó non mittantur ad Superiorem maiorem, vel talem, quem statuta eximant, nec ab eo veniant) licité aperit, & legit: sive ex Religionis statuto, aut consuetudine: sive ex suspicione probabili, quod mali aliquid contineant. Vid. Escob. Peyrin. *de Reg. to.* 1. *q.* 2. *c.* 1. Dian. *p.* 3. *t.* 6. *Res.* 55.

4. Nec est peccatum, si necessè sit, vel expediat ad iniuriam alteri imminentem avertendam: dummodó non plus legatur, quàm ad eum finem necesse est. Card. de Lugo *loc. cit.*

5. Qui aperit, & legit, existimans non contineri res magni momenti, venialiter tantúm peccat. Card. de Lugo *loc. cit.*

6. Si litteras ab alio dilaceratas, & in publicum à Domino abiectas, recolligas,

ligas, & iunctis partibus leges, ex sola curiositate, peccatum veniale est, nullum autem (per se) si vt ex illa notitia tibi provideas: quia quod pro derelicto habetur, in vsum suum convertere licet. Bald. ex Sanct. Anton. & Rosel. Sylv. *V. emptio. q.* 17. Laym. *l.* 3. *s.* 5. *t.* 3. *p.* 1. *c.* 4. *nu.* 4. Dian. *t.* 2. *tr.* 6. *misc. Res.* 54. Rectè tamen notat Laym. *l.c.* talem ex charitate teneri, non manifestare secretum ijs contentum, si damnum indé cuiuspiam provenire possit; imó (addit) revelans eiusmodi secretum (cuius notitiam etiam iustè acquisivit) contra iustitiam peccabit, si intelligat, audientes eâ notitiâ vsuros, ad damnum iniusté inferendum V. Laym. *l.c.*

Dixi 1. *A Domino proiectas*: quia si vel ab alio proiectæ (Domino inscio) vel ab ipsomet casu perditæ fuerint, non licet legere.

Dixi 2. *in locum publicum*: quia si in ignem, vel fornacem v.g. proiectæ sint, vt comburantur, peccas, si extrahas, & legas. Vid. Cardinal. de Lugo. *d.* 13. *nu.* 150.

Dixi 3. *Per se*: quia fieri potest, vt ea contineantur, quorum lectio sit perniciosa.

7. Qui furtivé scripta alterius secreta ipso invito legit, peccat. Et 1. quidem peccato curiositatis; etsi faciat animo discendi, & sine suspicione damni. 2. Iniustitiæ; quia quisque habet ius secreti in suis scriptis, quæ alijs non vult esse communia. Navar. *cap.* 15. Mol. *t.* 5. *d.* 36. *num.* 3. Reg. *lib.* 24. *c.* 6. *nu.* 119. potestque aliquando esse mortale, si nimirùm fiat cum notabili damno; vel alter valdè cupiat esse secreta, gravissimeque sit laturus. Bald. *d.* 11. Vid. etiam Card. de Lugo *l.c.*

8. Quicumque secretum violat absque iusta causa cum alterius damno; vel qui litteras alterius iniusté aperit, ex quo damnum alteri sequitur, tenetur ad restitutionem. Bon. *de restit. q.* 1. *p.* 1. Trull. *l.* 7. *c.* 10. *d.* 32.

DVBIVM III.

Quid sit Luxuria?

Resp. Est appetitus inordinatus venereorum; quorum vsus cùm ex naturâ suâ institutus sit ad conservationem generis humani, quod est magnum bonum hominum, & externum Dei; proindè qui abutitur, lædit Deum, & homines. Est mortalis ex genere suo. *Vid suprà l.* 3. *t.* 4. *c.* 2. *& lib.* 5. *cap.* 1. *d.* 2.

Resp. 2. Filiæ luxuriæ, quæ eam plerumque sequuntur, sunt octo: quatuor ex parte intellectus; quatuor ex parte voluntatis.

1. Cæcitas mentis, cùm quis adeò est addictus turpitudini, vt de cælestibus non cogiter.

2. Præcipitatio, qua quis ex eadem causa sine consilio operatur.

3. Inconsideratio, quando in modo delinquit, inconsideratè agens, quæ statum, vel personam dedecent.

4. Inconstantia; quando quis ex eodem affectu voluptatum à pijs propositis mox deficit.

5. Amor sui talis enim homo ob voluptates, seipsum finem suarum actionum facit, non Deum.

6. Odium Dei; lascivus enim solet à rebus divinas abhorrere, imó ab ipso Deo, tanquam peccatorum vindice.

7. Affe-

Universidad de Deusto Biblioteca

7. Affectus præsentis sæculi; amor enim voluptatum carnalium, ita animum afficit, vt subindè etiam beatitudini æternæ paratus esset renuntiare, si præsentibus frui semper permitteretur.

8. Horror futuri sæculi; quando voluptatibus immersus, mortem inordinatè timet, & de ea nolens cogitare, vitam illicitis medijs propagare studet, &c.

Priores quatuor sunt mortales, quando finis vltimus in creatura ponitur: vel præceptum aliquod Dei graviter obligans, prætermittitur. Posteriores quatuor, si plenus sit voluntatis consensus, per se sunt mortales: ex in deliberatione, vel alia actuum imperfectione, sæpè veniales. Vid. Escob. & Bald. *ll. cc.*

DVBIVM IV.

Quid sit Invidia?

RESp. Est tristitia de alterius bono, provt illud est diminutivum propriæ excellentiæ: ita vt hæc directè sit contra charitatem; hæc enim gaudet de bono proximi, quod invidia destructum optat, vel non destructum dolet. *Vndè resolves.*

1. Est ex genere suo mortalis, & gravissima quidem, atque in Spiritum Sanctum, si sit de ipsa gratia, vel auxilio Dei.

2. Filiæ similiter ex genere suo mortales sunt, ac numerantur hæ: 1. Odium, *de quo suprà.* 2. Detractio, *de qua in præcept.* 8. 3. Gaudium in malis proximi. 4. Susurratio, quæ est oblocutio mala de proximo, ad tollendam amicitiam ipsius cum alijs, quam proindè susurro restituere tenetur, & iterùm reconciliare, non secùs ac detractor famam. *Vid. in præc.* 8.

3. Si tristitia sit de bono alterius, in quantùm ex eo tibi, vel alijs times nocumentum, v.g. inimicus tuus est evectus ad officium, vt tibi faciliùs possit nocere, non est invidia sed timor, qui per se non est peccatum, nisi sit inordinatus Lay. *l.* 3. *tr.* 3. *c.* 10.

4. Si tristitia sit ex eo, quòd nobis desit bonum, quod alter habet, ita tamen, vt illud alteri non discupiamus non est invidia, sed æmulatio, seu zelus; qui si est circa bonum honestum, est laudabilis; si autem circa temporalia, interdum est venialis; vt si bonum dolenti sit improportionatum, quale esset, sit rusticus doleret se non esse Regem. Laym. *l.* 3. *t.* 3. *c.* 10. *num.* 2.

5. Si tristitia est ex bono alterius, in quantum ille est indignus, non est invidia, sed indignatio, quæ non est peccatum: erit tamen, & quidem mortale, si vel Dei providentiam arguat, estque blasphemia, vel si ita afficiat, vt ducat, homines ad malum imitandum. Caiet. Lay. *l.c.*

6. Si doles, quod alter tibi æqualis, vel non multum inæqualis, in excellentia crescat, ita vt te fiat superior, & ipsum incrementum excellentiæ apprehendas, vt tibi malum, est propriè dicta invidia, invidus enim dicitur, quod non sit videns; quia bona alterius, sine tristitia videre non potest. Baldel. *d.* 29. *l.* 3. & sic peccare solent. 1. Ambitiosi, & qui ex re aliqua quærunt gloriam, quam cùm in eo ponant, vt in illa re sint soli, ac singulares, dolent, & tristantur, si alij

si alij accedant. 2. Pusillanimes, quibus cùm omnia videantur magna, quovis bono alterius putant minui suum: sic mulieres v.g. facilè apprehendunt, ac dolent se superari bono alterius, v.g. formositate. 3. Senes respectu iuvenum, & quicumque aliquid difficulter obtinuerunt, & quod alij facilè consequuntur. Bald. *l.c.*

7. Qui in adversis suis, vel ob aliorum prosperitatem, optat se non fuisse natum, vel se brutum animal factum, fuisse, vel diem esse maledictum, quo natus est, vel alterum primò vidit; aut coniugem accepit, si tantùm intendat maledicere irrationali creaturæ, v.g. diei (sive sit nativitatis, sive coniugij) qui tot mala culpæ, vel pœnæ protulit, videtur esse tantùm veniale (aliquando etiam nullum, vt Iobi) si autem deliberatè intendat optare malum homini, sive sibi, sive alteri, illo die natis; vel coniugatis, mortale est. Escob. & Marchant. *man. c.* 3.

DVBIVM V.

De Gula.

ARTICVLVS I.

Quid sit Gula?

RESp. Ea est inordinatus appetitus cibi, & potûs; opponiturque abstinentiæ, & committitur 5. modis. 1. Si edas ante tempus. 2. Si nimis exquisitè. 3. Si plus iusto. 4. Si voraciter. 5. Si nimis exquisitè præparata. Lay. *l.* 3. *sect.* 4. *nu.* 5. *Vndè resolves.*

1. Gula ex genere suo est peccatum tantùm veniale; quia nullus horum modorum repugnat præcisè charitati Dei, vel proximi.

2. Hinc probabile est, quod docent Navar. Tol. &c. & non repugnat Lay. secluso scandalo, & alijs, veniale tantùm esse, vsque ad vomitum se cibo, & potu implere: idque etiam, si quis vomat, vt iteratò possit bibere: quod tamen, *V. Comedere*, Sà, alijque multi putant mortale. *Vid.* Bald. Escob. *to.* 2. *Ex.* 2. *c.* 5.

3. Vix dubium est, licere esu, aut potu, aliterve creare vomitum, si is salubris esse iudicetur.

4. Mortalis interim censetur crapula ex accidente, & nimia inordinatione, in his casibus. 1. Si quis gulæ causa violet ieiunia Ecclesiæ. 2. Si quis ex gula notabiliter ineptus fiat ad functiones, ad quas sub mortali tenetur. 3. Si quis valdè graviter valetudini noceat, id advertens; secùs, si leviter tantùm; vt v.g. si febricitans haustu aquæ morbum augeat. 4. Si continuæ fiant comessationes, & compotationes, ita vt venter pro Deo habeatur. 5. Si quis bibat ad perfectam ebrietatem, de qua infrà. 6. Si quis ex mera gula vescatur carnibus, aut sanguine humano; tum quia id repugnat pietati defunctis debitæ; tum quia est contra instinctum naturæ abhorrentis. Excusandum autem erit, si fiat causa medicinæ, aliâve iusta causa, v.g. extremæ famis in obsidione; in qua tamen sic vitam conservare non teneberis. Sanch. 1. *mor. cap.* 8. Less. Layman. *lib.* 3. *s.* 4. Sà, Bonac. Bald. *lib.* 3. *cap.* 29. Sic etiam excusant quidam lictores illos, qui vt officium suum melius administrent, haustu sanguinis humani se animare dicuntur; præser-

Universidad de Deusto Biblioteca

præsertim cùm sanguis, secundùm multos animatus non fuerit. *Vid. Aut. citat.*

5. Ex genere quoque suo venialia sunt, quæ filiæ gulæ dicuntur; nimirùm ex parte animæ. 1. Hebetudo mentis, seu stupiditas nata ex crapula, v.g. vt non possit orare, &c. quæ fit mortalis, quando quis inordinatè bibendo, vel comedendo voluntariè, fit ineptus ad intelligenda, vel præstanda ea, quæ ad salutem illi sunt necessaria, vel adquæ ex officio, aut aliàs sub gravi peccato tenetur. Bald. *d.* 29 *lib.* 3. *num.* 15.

2. Inepta lætitia, per quam intelligitur non quævis inordinata, quæ omne peccatum sequitur; sed quæ movet ad cantiones obscœnas, actus turpes, saltus, vel choreas inhonestas, &c. fitque mortalis, quando est inductiva alterius ad consensum, vel delectationem mortalem, vel ad eam ordinatur. *Ibid.*

3. Multiloquium.

4. Scurrilitas, quæ ab inepta lætitia, & multiloquium differt, quod illa fit in appetitu, istud in verbis, hęc in verbis, & gestibus, dicitque semper aliquã inhonestatẽ, licèt (per se, & secluso scandalo) venialem, v.g. scurrilia dicere, vel canere, ventum emittere, &c. ex levitate ad risum excitandum: mortale tamen esset, si fieret causa delectationis venereæ. Baldell. *loc. cit.* Escob. *tom.* 2. *Ex* 2. *c.* 4.

Ex parte corporis, immunditia, vomitus, & seminis effusio. Quæ vltima si voluntaria sit, mortale est. Vid. Laym. *lib.* 3. *s.* 4. Less. *lib.* 3. *cap.* 3. Baldell. *l.* 2. *cap* 29.

(**)

ARTICVLVS II.

Quid sit Ebrietas?

RESp. Malitia ebrietatis plenæ & perfectæ, in eo consistit, quod quis sine iusta, & gravi causa, tantùm ob voluptatem, aut ingluviem, sciens, volens, privet se vsu rationis, non simpliciter (id quod fit in somno modo naturali instituto ab Authore naturæ, ad virium, & imaginis Dei conservationem) sed violenter, & modo innaturali, rationem perturbando, & Dei imaginem deturpando, in modum amentis bruti, & simul insuper privando se proxima potestate vtendi ratione ad omnem subitam necessitatem. Ita docent commun. DD. *Vndè resolves.*

1. Perfecta ebrietas, qua prædicto modo ratio planè sopitur, est ex genere suo mortale: quia censetur Deo iniuriosum, eius imaginem sic deturpare. Est communis. DD.

2. Non est peccatum, inebriare se ex præscripto Medicorum, si aliter sanitas recuperari non possit. Sylv. Cai. Layman.

3. Nec item est peccatum, si quis cogatur intento ense. V. Less. *l.* 4. *c.* 3. *d.* 4. *n.* 37. Azor, Reg. Bald.

4. Mortale est alium inebriare, vel provocare ad æquales haustus, cum intentione inebriandi, aut advertentia, secuturæ ebrietatis in se, aliove. Less. *loc. cit.*

5. Si iusta causa est, vt v.g. si grande malum non possit aliter impediri nisi author inebrietur, licet eum inducere ad ebrietatem, quæ saltem ipsi non sit voluntaria, vt scilicet præter intentionem, ideóque inculpabiliter inebrietur; v.g. vinum fortissimum, aut medicatum propinando, cuius vi ignorata decipiatur. Vndè sic posses inebriare eos, qui alioqui, essent proditurí Vrbem, vel te abducturi. Less. *l.c.* & Sanch. *lib.* 2. *de matr.* 11. An verò hoc casu liceat inducere ad ebrietatem ipsi voluntariam, dubium est Less. *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 4. *num.* 32. affirmat; quia, inquit, licet suadere, & inducere ad minus malum, vt impediatur maius. Laym. *lib.* 3. *s.* 4. *num.* 6. rectiùs negat; quia nullo casu licet inducere ad peccatum.

6. Si quis non prævidit periculum ebrietatis, & sic vino captus est, aut in auram exiens, vento turbatus est, nec hoc prævidit, vacat culpa. Vndè multi excusantur, qui prudenter sępè iudicant, adhuc se haustulum facere posse sine noxa: desinent tamen prudenter id iudicare, si contrariam de se experientiam habeant.

7. Si quis post potum discernere adhuc possit inter bonum, & malum, licèt nonnihil phantasia turbata sit, aut sequatur vomitus, lingua titubet, pedes vacillent oculi cernant duplicia, vel domus girari videatur, nondum plena est ebrietas; ideòque tantùm peccatum veniale, quamvis ex gravioribus, si deliberatè sit commissum. Vid. Layman. *loc. cit.*

8. Plena ebrietas notatur ex his signis, quæ dat Less. *dub.* 2. *n.* 30. & Reg. 1. Si quis non meminerit dictorum, factorum, quomodo, vel quando domum deductus. 2. Si commisit ea, quæ nunquam aliàs sana mente solet; v.g. si præter morem turpia sit locutus, turbarit domum, vxorem verberaverit, &c.

9. Mala in ebrietate commissa, si prævisa non sunt, aut sit adhibita cautio, culpâ vacant.

DVBIVM VI.

Quid sit Ira?

RESp. Est inordinatus appetitus vindictæ. Quæ inordinatio secundùm D. Th. dupliciter fieri potest. 1. Ex parte modi irascendi, vt v.g. si nimiùm interiùs exardescas, vel exteriùs per signa nimis patefacias. 2. Ex parte obiecti, vt si vindictam appetas planè iniustam ob causam, vel si iusto maiorem, v.g. optando inimico, mortem, quam non est meritus; vel exequendam propria authoritate; vel deniquè licét vindicta iusta sit, non tamen eam appetas vt iustam, sed vt satiativam animi tui malevoli. *Vndè resolves.*

1. Si ordinatè appetatur vindicta, non est peccatum iræ; vt cùm Superiores irascuntur culpis subditorum, eosque puniunt, seu vindicant.

2. Ita inordinata, primo modo anté dicto, est ex genere suo peccatum veniale; potest tamen fieri mortale ex accidente, vt si addatur blasphemia, maledictio, scandalum.

3. Ira inordinata secundo modo, est ex genere suo mortale: quia est directé contra charitatem. Baldell. *l.* 3. *d.* 21.

De filiabus iræ, quæ partim sunt ex corde, vt indignatio, & Tumor mentis; partim in ore, vt clamor, blasphemia, contumelia, maledicto; partim in opere, vt rixæ, pugnæ, seditiones, vulnera, diversimodè loquendum est, secundùm regulam suprà datam. Nam. 1. Indignatio,

Universidad de Deusto Biblioteca

tio, quæ est inordinatus affectus ex eo quod quis reputet se indignè à tali tractari, communiter est veniale: imò si ex iusto rationis iudicio procedat, nullum est. Posset tamen esse mortale, si crescere vsque ad deliberatum odium, & contemptum personæ gravem. 2. Tumor mentis, quo quis morosé excogitat diversas vias vindictæ, ijsque cogitationibus animum tumefacit, quale peccatum sit, iudicandum est ex qualitate vindictæ, quæ excogitatur. Vid. Tol. *l.* 8. *c.* 58. 3. Clamor, cùm iratus extollit vocem, multa inordinatè, & confusé effundens, est veniale communiter, nisi aliud addatur. 4. Blasphemia est mortale. *de qua suprà. l.* 3. *t.* 2. *c.* 1. 5. Contumelia, qua quis proximo malum aliquod objicit, cum intentione illum inhonorandi, est ex genere suo mortale.

Dixi; *animo inhonorandi*: quia animo corrigendi, humiliandi, aliâve ratione, potest superior verbum aliquod aliàs contumeliosum objicere: quomodò Christus vocabit Apostolos stultos; & Apostolus Galatas insensatos. In quo tamen peccari potest, si modus debitæ correctionis excedatur, vel subditus graviùs dehonoretur, quàm per delictum meruit. Vid. Bald. *d.* 34. *nu.* 16. Item vt docet Caiet. potest contumelia esse venialis tantùm, si sit parva tantùm: vel si sit tantùm materialis, sine intentione dehonorandi; modò non sequatur læsio notabilis honoris proximi. Et sic excusantur, saltem à mortali multi parentes, dum filios vocant asinos, &c. item mulieres, pueri, & infimæ sortis homines, convicijs se onerantes: quia cùm fides ijs non habeatur, non læditur graviter honor. Vid. Bon. *to.* 3. *q.* 2. *p.* 5. Deniquè si ioci causa, & per convenientem recreationem, leves defectus objiciantur, vrbanitas est, secundùm D. Th. 2. 2 *q.* 72 *ar.* 2. dummodò alter non contristetur, nec ad iram moveatur.

Contumelia etiam fit facto, tum indirectè, vt si imaginem, vel litteras alterius conculces, comburas: tum directè, vt si virum honestum fuste cædas, ad ianuam eius cornua, &c. apponas, vel repræsentes aliquid, quod honorem alterius lædat. Huc spectat subsannatio, illusio, & derisio, quando fit signis, vt naso rugato, labijs extensis, &c. intendendo proximi confusionem: quæ si sit gravis, vel saltem proximus eâ graviter contristetur; mortalia sunt. Bon. Mol. Bald. *l.* 3. *d.* 3. *&c.* ex S. Th. Circa quæ, notat: Quod qui per contumeliam læsit alterius honorem, teneatur hunc restituere, etiamsi fama non sit læsa. Hoc autem fieri potest, vel per honorificam, & amicam salutationem, vel invitationem ad mensam, vel petitionem veniæ (etiam subindé flexis genibus, & coram testibus) provt læsio fuit gravis. Vid. C. Lugo *d.* 15. *n.* 53. Adde, quod contumeliæ mortalis qualitatem in confessione explicare non sit necessarium, vt contra Fill. &c. docent Azor, Sà, Mol. C. de Lugo. *d.* 56. *de pœn. nu.* 269.

6. Maledictio, qua quis optat, vel imprecatur alteri malum, sub ratione mali, est ex genere suo mortale.

7. Rixæ, si modum non excedant, vtì, & leviculæ pugnæ, veniales sunt: secùs, si progrediantur ad seditiones, vulnera, cædes. Suntque hæc communiter peccata ex parte incipientis rixam: alter enim potest se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ.

DVBIVM

DVBIVM VII.

Quid sit Acedia?

RESp. Acedia, sive animi tædium potest ex D. Th. 2. 2. *q.* 35. *art.* 2. dupliciter vsurpari. 1. Generaliter, pro omni animi remissione in exercitio virtutum, eò quod labor aliquis sit adiunctus. 2. Particulariter, pro tristitia, & tædio de Divina amicitia, eò quod per virtutum exercitia laboriosa servari debeat, & sic amicitiam illam non curet. *Vndè resolvitur.*

1. Acedia accepta primo modo, tunc demùm est peccatum mortale, cùm ideò committitur opus vetitum sub mortali.

2. Acedia accepta secundo modo, ex se est mortale, quia repugnat charitati Dei.

Ex quo de filiabus acediæ quoque facilè iudicari potest, quæ sunt sequentes.

1. Malitia, qua quis odio habet bona spiritualia, & vellet ea non esse; aut quia ipsum pœnitet benè fecisse, vel implevisse id, quod tenebatur; aut quia contemnit Dei beneficium, v.g. desiderando non fuisse natum, aut non agnovisse Christum, &c. Est autem ex genere suo mortale.

2. Pusillanimitas, & desperatio de salute, quæ mortale quoque est.

3. Rancor, quo ij sunt fastidio, qui ad spiritualia inducunt.

4. Torpor, cùm bona fiunt, non cum debito fervore.

5. Evagatio mentis, qua quis in exercitio spiritualium evagatur circa illicita; sive per cogitationem, & dicitur curiositas; sive per locutionem, & dicitur verbositas; sive per inquietudinem; quæ communiter sunt venialia. V. D. Thom. *q.* 55. Layman. *l.* 2. *t.* 3. *cap.* 9. Tol. *l.* 8.

Culpabilis autem evagatio mortalis erit, quando notabilis est; & attentio requiritur ad implendum præceptum obligans sub mortali: v.g. in recitandis Horis Canonicis, celebranda, vel audienda Missa. Regin. Pal. *de char. t.* 6. *d.* 1. *p.* 3. Trull. *l.* 1. *c.* 6. *d.* 1. contra Tamb. *de exped. sacrif. l.* 2. *c.* 3. vbi docet, distractum esse voluntariè, & per notabile tempus inter sacrificandum extra Canonem esse tantùm veniale; licèt concedat, sub Canone, præsertim circa Consecrationem esse mortale propter gravem irreverentiam, & periculum erroris.

Dixi; *ad implendum præceptum*: nam in oratione, vel non præcepta, vel sub obligatione tantùm veniali, est peccatum veniale tantùm. S. Th. Navar. Suar. Less. *lib.* 2. *c.* 37. *d.* 11. imó nullum, si non tam intendat orare, quàm verba precum recitando, pio exercitio se occupare: quia non formaliter, sed materialiter tantùm orat: v.g. cùm quis manibus laborans, Psalmos, aliasve preces recitat, aut cantat, non animo orandi, sed cavendi cogitationes vanas, vel recreandi se. Sanch. *cons. p.* 2. *l.* 7. *c.* 2. *d.* 31. Trull. *l.* 1. *cap.* 7. *dub.* 10. *Vid. suprà l.* 4. *c.* 2. *d.* 2.

LIBER VI.

De Sacramentis.

HAbebit hic liber Tractatus sex. 1. Agetur de Sacramentis in genere.

2. De Baptismo, & Confirmatione. 3. De Eucharistitia. 4. De Pœnitentia. 5. De Extrema-Vnctione, & Ordine. 6. De matrimonio.

Universidad de Pamplona Biblioteca

TRACTATVS I.

De Sacramentis in genere.

CAPVT. I.

De natura Sacramenti novæ legis.

DVBIVM I.

Quid sit Sacramentum?

REspond. Est res sensibilis, quæ ex stabili institutione Christi vim habet sanctitatis sive gratię iustificantis efficiendæ, & per consequens significandæ. *Vndè resolves.*

1. Ad essentiam Sacramenti requiri tria. 1. Vt sit signum stabile. 2. Vt significet veram sanctitatem. 3. Vt eandem efficiat ex opere operato, idest, vsu suo, & applicatione, per propriam efficaciam, & non ex operantis, sive per actum aut dispositionem ministrantis, vel suscipientis: quæ etsi ad effectum Sacramenti requiratur, non tamen vt conditio sine qua non.

2. A definitione talis Sacramenti excludi. 1. Sacrificia tam novæ, quàm veteris legis, quia hæc non sunt instituta ad gratiam ex opere operato conferendam (etsi nihilominus sacrificium novæ legis sic eam impetret ei, pro quo offertur non vt Sacramentum, vsuo suo, & applicatione, sed per modum impetrationis) sed ad cultum Deo præstandum. Con. *d.* 60. *ar.* 22. 2. Figuras, & sacramenta veteris legis, v.g. circuncisionem, transitum maris rubri, agnum paschalem, varias item purificationes, & consecrationes sacerdotum; tum quia à Christo non sunt instituta; tum quia veram sanctitatem non efficiebant. Ac licèt Circuncisio aliquando sustulerit peccatum originale per veram gratiam, id fecit, vel ex opere operantis in adultis, vel non ex opere operato, simpliciter, & rigorosè; tum quia non continuit gratiam, vt causa physica, vel vt causa moralis; quia nondum erat exhibita passio Christi, & meritum, ex quo gratia pendebat; sed tantùm ex speciali privilegio: tum quia non contulit gratiam formaliter quà Circuncisio, & ex sua institutione, sed quatenus erat professio fidei: neque vi applicationis, & vsus sui: alioquin enim omni ponenti obicem, & quidem præter omne meritum contulisset, quod est falsum. V. Fill. *t.* 1. *c.* 1. & 5. *q.* 8. & *c.* 8 3. Ea quæ dicuntur sacramentalia, v.g. benedictio Abbatis, consecratio virginis: quia præcisè ex vso suo, & opere operato, gratiam non conferunt: vti nec actus virtutum; præterquam quòd hi sensibiles non sint. 4. Lotionem pedum Apostolorum, insufflationem Christi in Apostolos per quam Spiritum Sanctum illis dedit. Item verba Christi ad Magdalenam, & Paralyticum: *Remittuntur tibi peccata*: quia non fuerunt signa instituta stabiliter ad gratiam conferendam. 5. Martyrium, ob eandem causam: esto enim ex opere operato gratiam conferat, non tamen est specialiter ad hoc institutum. *v. Schol.*

DVBIVM

DVBIVM II.

Quid circa materiam, & formam Sacramentorum servandum?

SVppono, Sacramentum dupliciter sumi. 1. Per modum compositi physici, in quo res sensibiles, & actio, (v.g. in Baptismo, aqua, & ablutio: in Vnctione oleum, & vnctio,) dicitur materia. Et quidem oleum, & aqua materia remota; actio veró illa, materia proxima; verba autem, aut quod eorum loco ponitur, (vt in Matrimonio, signum consensus) dicuntur forma. 2. Per modum compositi artificialis, & tunc dicta materia, & forma, idest, res, & verba, simul habent se instar materiæ; significatio veró eorum, instar formæ. Hic quæritur de materia, & forma, priore sensu.

Resp. 1. Vt Sacramentum sit validum, debet inter materiam, & formam, v.g. inter effusionem aquæ, & pronuntiationem verborum, tanta esse coniunctio, vt secundùm moralem hominum ęstimationem, spectata naturâ cuiuscumque Sacramenti, vna alteram afficiat; hoc est, vt verba censeantur cadere in talem rem, & cum ea vnum totale signum constituere. V. Bon. *d.* 1. *q.* 2 *p.* 2. Suar. Con. &c. *Vndè resolves.*

1. In Baptismo, Confirmatione, Vnctione, & Ordine, requiritur talis coniunctio, vt dum minister verba pronunciat; moraliter censeatur etiam lavare, &c.

2. In Pœnitentia, absolutio satis diu potest differri, sicut in iudicijs, sententia post examen causæ.

3. In matrimonio, vnius consensus potest alterius consensum tandiu sequi, quandiu moraliter permanere censetur; sicut in alijs contractibus, V. Con. *hic ar.* 6.

Resp. 2. Vt valeat Sacramentum, non debet fieri substantialis, seu essentialis mutatio materiæ, vel formæ; accidentalis veró mutatio, etsi sæpé illicita fit, non tamen invalidum facit Sacramentum. Porrò sustantialis mutatio materiæ dicitur, quando secundùm communem vsum, & ęstimationem hominum, differt nomine, & re, ab ea quam Christus præscripsit. Accidentalis dicitur, quando cum eâ eundem retinet vsum, & nomen. Formæ mutatio essentialis est, quando non manet idem sensus: accidentalis, quando manet. Layman. *lib.* 5. *t.* 1. *cap.* 4. *ex communi Vndè resolves.*

1. Nullum est Sacramentum, si materia cruda consecretur, sive hæc differat specie substantiali à pane, sive non: quia communiter non censetur, aut dicitur panis. Item si aquæ artificiales adhibeãtur in Baptismo: quia non habent communem vsum, & nomen aquæ elementaris: estò physicè specie non discrepent. *v. infrà de Baptismo.*

2. Valet Sacramentum, etsi aqua Baptismi sit calida, &c. Item si panis Eucharisticus sit ater, fermentatus, &c.

3. Defectu formæ, Sacramentum est nullum. 1. Si litteræ aliquæ mutentur, variantes sensum: quod facilè fit in initialibus, v.g. *In nomine matris, filij, &c.* 2. Si magna fiat interruptio verborum, ita vt moraliter non videantur cohærere. 3. Si forma divisim pronuntietur, v.g. vnus dicat, *Ego te baptizo*; alter. *In nomine Patris, &c.* quia erunt duæ formæ imperfectæ; & sensus falsus. Fill. *l.* 1. *c.* 4. *q.* 5. V. Bon. *q.* 2. *p.* 1.

Universidad de Deusto Biblioteca

4. Forma valet, etsi non liceat. 1. Si omitas voces non essentiales, v. g. *Ego, & Amen*, in Baptismo: *Enim*, in forma Eucharistiæ. Bon. *d.* 4. *q.* 3. *p.* 1. *n.* 9. & 10. ex Suar. &c. 2. Si quid addas, v.g. *In nomine Patris, qui te creavit, &c.* 3. Si substituas synonima, v.g. *abluo*, pro *baptizo*. 4. Si tantùm transponas vt; *Hoc meum est corpus*: *Te ego baptizo*. 5. Si verba corrumpas ob præcipitantiam, balbutiem: v.g. *hoc est corpus meus*, vel *hic est enim calix meus*. 6. Si interruptio fiat parva, v.g. *Ego te baptizo*, interponat, *ista aqua est nimis frigida*, vel *Custos verte folium*. *In nomine Patris, &c.* Fill. *l.c.* V. Bon. *l.c.*

CAPVT II.

De Ministro Sacramentorum.

DVBIVM I.

Quid requiratur, vt Minister det validè Sacramentum?

RESP. Ad valorem Sacramenti in Ministro, non fides vel probitas, sed præter potestatem, (& iurisdictionem in quibusdam) requiritur intentio, seu voluntas, saltem virtualis, & absoluta vel huic æquivalens, faciendi non tantùm externum illum actum, sed Sacramentum, vel saltem id, quod facit Ecclesia: vel quod Christus instituit. Est communis ex Trid. *sess.* 7. *can.* 11. Ratio prioris partis est, quia Sacramenta operantur, non ex dispositione Ministri, sed virtute divina, secundùm institutionem, & meritum Christi. Ratio posterioris, quia ad confectionem Sacramenti, requiritur talis intentio, quæ actionem determinet ad esse Sacramentale, tollatque indifferentiam verborum & actionum: talis autem non est intentio solius actionis externæ, quæ ad alios fines, v.g. ad ludum potest referri.

Dixi 2. *saltem virtualis*, tum, quia non sufficit interpretativa, vel habitualis: (qualis etiam potest esse in ebrio, & dormiente) cùm actus ab ea procedens non sit humanus, & deliberatus, seu liber in se: tum, quia actualis, qua scilicet actu intendis, & vis hoc facere, etsi melior sit, & consulta, non tamen requiritur, cùm enim ea non sit in nostra potestate, & homo facilè distrahatur, nimis durum, & plenum scrupulis fuisset, si hanc Christus requisivisset. Virtualis autem dicitur, quæ ex actuali præcedente relicta, durat in aliqua actione, vi illius incepta, & continuata: vt si ex intentione baptizandi, vel celebrandi, vadas ad Ecclesiam, sacras vestes induas, ad altare vel baptisterium accedas, etsi interim plura alia cogites. Ratio est, quia hoc sufficit, vt actio illa sit humana, & moralis. Laym. *l.* 5. *t.* 1. *c.* 5. *Vndè resolves.*

1. Si Sacerdos habens fortè ante se panem recitet factum, & verba Christi, non ideò consecrat.

2. Impotens rationis, ebrius, vel somnians, non conficit Sacramentum, etiamsi ante ebrietatem, vel somnum id intenderit; quia non agit humano modo. Laym. *l.c.*

3. S. Athanasius in lusu puerili veré baptizavit: quia intendit facere, quòd viderat in templo fieri ab Episcopo.

4. Hæreticus validè baptizat, & contra-

contrahit matrimonium, etsi non credat hoc esse Sacramentum, rideat, & contemnat: imò etsi nolit facere, quod facit Ecclesia Romana, sed quod sua, falsò putans, non Ramanam, sed suam esse veram; etsi etiam per hoc nolit conferri gratiam. Ratio est, quia intentio generalis, qua vult quod Christus instituit, prævalet intentioni provenienti ex errore privato. Bonac. *q.* 3. *p.* 2. *n.* 9. Suar. Fill. &c.

5. Non debet repetere sub conditione consecrationem, qui in ipsa fuit distractus; vel qui minores hostias ad altare detulit, de quibus maiorem consecrans non explicitè cogitavit, nec detexit.

Dixi 2. *Absoluta*: quia conditionata suspendit effectum, quod (præterquam in matrimonio) fieri non potest. *Vndé resolves.*

1. Validum est Sacramentum, collatum sub conditione præteritâ; aut præsenti necessaria, vel contingente, si conditio verè sit impleta: v.g. absolvo te, si vis dimittere concubinam, si capax es: baptizo te, si non es baptizatus. Bon. *l. c. num.* 18.

2. Nullum est Sacramentum, datum sub conditione futura sive sit hæc contingens, vt absolvo te, si restitues, si dimittes concubinam, &c. sive necessaria, adiecta animo suspendendi Sacramentum, vt absolvo te, si cras sol orietur. Bon. *Ibid.* Suar. Con. &c.

3. Dubium est Sacramentum collatum sub conditione occulta, humano modo incognoscibili: v.g. baptizo, si es prædestinatus, si Deus videt te hoc anno moriturum.

4. Graviter peccat, qui administrat, Sacramentum (excepto Matrimonio) sub conditione, non solùm futura, (quod semper est mortale) sed etiam præsenti, aut præterita; sive in se si prorsus occulta, quod etiam est mortale: sive humano modo cognoscibilis, quod tamen nullum est, si fiat ex causa rationabili. Rarò veniale, sæpiùs mortale, si absque vlla causa. Ratio est, quia aut nullum facit Sacramentum, aut dubium, aut validum quidem, sed non sine negatione in re gravi. V. Bon. *l.c.* Suar. Con. &c. Schol.

DVBIVM II.

Quid requiratur in Ministro, vt licitè ministret?

RESP. 1. Præter ea, quæ ad valorem requiruntur, requiritur probitas, sive vt sit in gratia: tum quia Christo, cuius est minister, debet se conformare; tum quia sancta sanctè sunt tractanda: tum quia ad hoc quidem singulariter ordinantur, & gratia peculiari donantur, ac proinde hoc curare præ alijs sunt obligati. Ita Laym. *l.c.* & commun. *Vndè resolves.*

1. Peccat graviter, qui conficit Sacramenta, non habens sufficientem iurisdictionem, vel de ea rationabiliter dubitans, vel qui censurâ est prohibitus.

2. Non licet Sacerdoti administrare Sacramenta, cum attritione cognita: quia adhuc est extra statum gratiæ Bon. *q.* 3. *punct.* 2. §. 1.

3. Non tamen necessariò præmittit confessionem, (nisi velit celebrare) etsi sit consultius; quia de hoc nullum est præceptum: & ad delendum mortale sufficit contritio. Vasq. *d.* 136. *c.* 1. C. de Lugo. *d.* 8. *s.* 9.

Universidad de Deusto Biblioteca

4. Minister Sacramenti ad id ordinatus si conficiat, & ministret solemniter in mortali, v.g. si baptizet, vel celebret, peccat mortaliter toties, quoties: (quod etiam verum esse volunt. Sylv. Ledesm. & Bonac. Gran. *cont.* 3. *t.* 5. de Diacono, ex speciali commissione baptizanti) nisi fortè periculum sit in mora, nec possit tam citò confiteri, aut conteri: eo enim casu baptizare, vel etiam absolvere moribundum, in statu peccati, non esse irreverentiam, docet. C. de Lugo. *d.* 8. *sect.* 9. *nu.* 151.

Dixi 1. *ad id ordinatus*: etsi enim Laicus in necessitate baptizet, cum conscientia peccati mortalis, non peccare mortaliter docent Con. *l.c.* Fill. *t.* 1. *c.* 5. *q.* 10. ex Suar, &c.

Dixi 2. *solemniter*: nam si sine solemnitate baptizet, excusant à mortali, Suar. Con. Fill. *l.c.*

5. Alij, qui conficiunt, & ministrant, non peccant mortaliter, v.g, cùm Laici in necessitate baptizant, vel ministrant sibi invicem Matrimonium, in mortali. Ita contra Sylv. Vasq. & alios, docet Suar. cum alijs; qui tamen vult eos peccare mortaliter, quatenus hoc in mortali suscipiunt. Ita etiam. Fill. Fern. Sanch. Con. *q.* 64. *ar.* 6. *dub.* 1.

6. Qui ministrat (etsi non conficiat) Eucharistiam, in mortali, peccat mortaliter, vt habet communis, Suar. Filliuc. Laym. Bon. & aliorum, contra Vasq. cuius sententiam Dian. rectè notat esse probabilem, sive sit Sacerdos, sive Diaconus, vt, *p.* 3. *t.* 4. *R.* 195. Idem docet Card. de Lugo *d.* 8. *num.* 155. Et quidem aliqui putant, tot mortalia committi, quot communicantur: quod minùs videtur probabile, cùm moraliter non sit nisi vna distributio, & vna indigna administratio. Ita Tan. 2. 2. Henr. Filliuc. *num.* 87. contra Con. & Bonacina.

7. Etsi probabile sit, quod docent Sylv. Caiet. Filliuc. *tom.* 1. *t.* 1. *cap.* 6. *num.* 87. Navar. & Sà, *V. Ordo.* Diaconum, & Subdiaconum, si cum mortali in ordine suo ministrent, item Sacerdotem, & Episcopum; si Sacramentalia exerceant; nuptos, aquam benedicant; altaria, templa, vasa consecrent; concionentur; Eucharistiam de loco in locum transferant, peccare mortaliter: Contrarium tamen videtur verius, vt docent Suar. Vasq. Laym. Con. *q.* 64. *ar.* 6. *dub.* 1. Card. de Lugo *loc. cit.* Ratio est, quia hæ actiones non tendunt proximè ad sanctificationem animæ, ex opere operato, sicut actiones sacramentales.

8. Non videtur vera esse sententia, quæ docet esse mortale, tangere in mortali corporalia, calices, reliquias, &c. Sayr. Suar. Bonac. *d.* 1. *q.* 3. *p.* 2. Quòd si quis in mortali, (etiam laicus in necessitate) elevet de terra Eucharistiam, non videtur aliud agere, quàm si Christum in hac vita lapsum elevasset: secùs tamen, si quis id extra necessitatem temerè præsumat, exemplo Ozæ. Bonac. *d.* 1. *q.* 3. *p.* 2. *num.* 12.

Resp. 2. Requiritur præterea, vt exhibeat, ac curet, non tantùm quæ ad substantiam Sacramenti sunt necessaria, sed etiam quæ ad decorem sive ex natura rei, sive ex præcepto Ecclesiæ, spectant. Ratio prioris est, quia alioqui Sacramenta dehonestat, & tractat indignè. Ratio posterioris, quia Sacramenta sanctè sunt tractanda; & præcepta Ecclesiæ obligant in conscientia. *Vndè resolves.*

1. Peccat ministrans mortaliter. 1. Si vtatur materia, vel forma falsa, vel (extra necessitatem) dubia. Bonac. *d.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *num.* 32. 2. Si omittat intentionem requisitam. Quod si verò dubium oriatur, & non tantùm inanis scrupulus, (is enim reijci debet) an forma fuerit legitima; vel an legitimè, & integrè prolata, tunc, etsi speculativè probabile sit, formam esse legitimam; in praxi tamen iteranda erit sub conditione; quia tutius hìc eligendum est.

2. Peccat quoque, (graviter vel leviter pro gravitate materiæ) 1. Qui verba formæ corruptè, inarticulatè, indevotè pronuntiat. 2. Qui materiam, vel formam, vel cæremonias, contra Ecclesiæ morem, quamvis accidentaliter, sine causa mutat, vel omittit, Quod si fiat ex contemptu, est mortale: si ex negligentia, sæpe est mortale, quando ea magna est, & in re gravi, *V. infrà cap.* 4. *d.* 5.

3. Peccat graviter, qui ministrat Sacramentum publico peccatori, vel aliter indigno, nisi indignitas sciatur ex confessione, vel sit occulta indignitas, & ex negatione sequeretur infamia, vt patet ex praxi Ecclesiæ, & Christi, qui Iudæ Eucharistiam dedit. Graviùs peccaret, qui ne daret indigno, porrigeret ei hostiam non consecratam, etsi sic cum eo convenisset: aut qui non audens indignè celebrare, simularet Missam, elevans hostiam non consecratam: quia quantum est ex se, dat occasionem idololatriæ. V. Bon. *d.* 1. *q.* 6. *p.* 4. Suar. Con. &c. Scholast.

(***)

CAPVT III.

De suscipiente Sacramentum.

DVBIVM I.

Quæ dispositio requiratur ad valorem Sacramenti in suscipiente?

Resp. Ad valorem Sacramēti in adultis ratione vtentibus, intentio percipiendi sacramētum interpretativa saltem, requiritur, & sufficit (excipe Pœnitentiam, de qua infra.) Ita commun. Theologi omnes cum D. Thom. contra Caiet. qui putat in suscipiente nullam intentionem requiri, modò contrariam non habeat. Ratio responsionis est, quia sicut adultus non iustificatur sine proprio consensu; ita nec per Sacramentum initiatur & consecratur Deo, sine eodem consensu, si eius sit capax. Bon. *d.* 1. *q.* 6. *p.* 2.

Dixi, *adultis &c.* quia cum tantùm requirantur conditiones, iuxta subiecti capacitatem, parvuli autem, & perpetuò amentes non sint capaces propriæ intentionis; sufficit illis intentio Christi, & Ecclesiæ. Filliuc. *t.* 1. *c.* 8. *Vndè resolves.*

1. Parvuli; vti & perpetuò amentes; validè baptizantur, confirmantur communicantur, ordinantur, (quod vltimum nefas esset, priora autem olim permittebantur.) Bon. *loc. cit.*

2. Ægris ratione iam privatis, rectè datur Vnctio, non tantùm si ante petierint, sed etiam, si fuerint Catholici; neque constet esse in mortali: nam hoc ipso censentur interpretativè voluisse, & petijsse quod alij Christiani, etiamsi de ea nunquam audierint. C. de Lug. *de Sa-*

Universidad de Deusto Biblioteca

de Sacramentis in genere d. 9. n. 122. & c. commun.

3. Invalidum est Sacramentum. 1. Quod quis suscipit cum intentione neutrali, habens se negativè. 2. Quod suscipit fictè, idest, simulatè; non tamen quod fictè, idest, indispositè. 3. Quod per meram vim, animó repugnante, suscipitur. Bon. *l.c.*

4. Validum est Sacramentum. 1. Quod qui accipit, vult quod Christiani accipiunt: etsi non credat, aut non velit Sacramentum. 2. Quod quis per metum coactus suscipit; cùm metus non tollat voluntarium. Matrimonium tamen gravi metu, v.g. iniustæ mortis initum, censetur irritum, vt docent Sanch. *lib.* 4. *de matr. d.* 12. & 14. Cardin. de Lugo, *d.* 9. *num.* 133. Et qui ordines gravi metu coactus suscepit, etsi characterem habeat, non tamen tenetur ad continentiam, potestque secluso scandalo nubere, vt suo loco dicam.

DVBIVM II.

Quid requiratur, vt licitè, & cum fructu suscipiatur?

REsp. Ad effectum Baptismi, & Pœnitentiæ, requiritur, & sufficit, præter voluntatem sumendi Sacramentum, dispositio fidei, spei, & attritionis: non autem requiritur charitas, sive vt gratiam habeat: quia hæc Sacramenta dicuntur mortuorum, quód ipsa primam gratiam, seu vitam donent. Ad reliqua veró Sacramenta, quæ dicuntur vivorum, requiritur, vt sit in gratia; quia illa non primam, sed secundam tantùm gratiam, idest, augmentum tantùm gratiæ conferunt. Etsi subinde per accidens dent primam, cùm quis putat bonâ fide se carere mortali. Laym. *d.* 6. Bonac. *d.* 1. *q.* 6. *p.* 2. *Vndè resolves.*

1. Etsi æqualiter dispositi, æqualem; magis tamen dispositi, maiorem Sacramenti fructum, præter characterem, consequuntur: tum quia congruum est, Sacramenta ita instituta esse, vt vberior gratia detur pro dispositione subiecti; tùm quia non videtur is, qui vehementem attritionem ad Baptismum, vel Pœnitentiam affert, omni fructu carere.

2. Qui sumit hostiam, quam nescit esse consecratam, cùm instar alterius animalis, sine intentione sumendi, Sacramentum sumat, accipit quidem materialiter rem, quæ est Sacramentum, non tamen Sacramentaliter, & cum fructu. Idem docet Bonac. de eo, qui sumit Sacramentum ex causa famis; quod videtur intelligendum, si ex ea sola: neque enim videtur Sacerdos fructu Sacramenti privari, etsi sumpturus calicem, simul etiam levare sitim intenderet. Vide Bonac. *loc.cit. num.* 3.

CAPVT IV.

Quid sint Sacramentalia, & quid efficiant?

REsp. Cæremoniæ Ecclesiasticæ, quæ vulgò dicuntur Sacramentalia, sunt actus externi religionis, ad colendum Deum accomodati. Tales autem cõmuniter vocantur, oratio Dominica, aqua benedicta, esus eulogiarum olim in vsu, confessio generalis, eleemosyna: benedictio ab Episcopo, vel Abbate consecrato data, quæ ex antiqua traditione dicuntur remittere venialia, & continentur hoc versu.

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Ad quæ etiam revocantur, tunsio pectoris, vnctio in Regem, & similes; item multæ aliæ cæremoniæ & res etiam ipsæ sacræ, quæ in Ecclesia partim ab Apostolis traditæ, partim posteà institutæ sunt, vt Exorcismi, insufflationes, prima tonsura, benedictiones, & consecrationes variarum rerum, & personarum, calicum, &c. ipsæ etiam herbæ, lumina, vinum S. Ioannis, cerei agni, signum S. Crucis. Quæritur ergo, quam vim habeant, non ex opere operantis, cùm certum sit, sicuti per alia pia opera, sic etiam ijs nos mereri; sed ex opere operato.

Resp. 1. Non habent vim ex opere operato conferendi gratiam, aut remittendi peccata vi sua, & per se, sed tantùm quatenùs in nobis pium motum excitant. Ratio prioris est; tum quia nusquam promissio gratiæ, aut remissionis peccatorũ, ijs facta reperitur; tum quia peccatum etiam veniale non remittitur sine infusione gratiæ, quam conferendi, ea nullam per se habent vim. Ratio posterioris est, quia id accomodatum est Sacramentalium institutioni, & consecrationi, quæ fit per preces Ecclesiæ, quibus ipsa nobis tales motus precatur. Conin. *q.* 71. *ar.* 3. *Vndè resolves.*

1. Gratiæ prævenientes, & pij motus conferuntur per Sacramentalia, per modum impetrationis, quæ non omninò infallibilem effectum habent.

2. Peccat graviter, qui Sacramentalibus falsam materiam supponit, vt pro aqua lustrali facienda, vrinam.

3. Sacramentalia quoque operantur beneficia corporalia, v.g. sanitatem per modum impetrationis, ratione precum Ecclesiæ. Imò quædam etiam vim habere, v.g. fugandi dæmonem, per modum operis operati, ex singulari privilegio, docent Henriq. *lib.* 1. *cap.* 2. Sotus, & alij. Quia, inquiunt, etiam Ethnici, in quibus nec intercesserunt preces Ecclesiæ, nec meritum operantium, quandoque signo Crucis (quod quidam etiam putant de nomine Iesu) à dæmone liberati fuisse dicuntur: quod tamen alij eorum virtuti obiectivæ, quasi naturali adscribunt, de quo plura apud Scholasticos. Vid. Mœrat. *d.* 10. *s.* 1.

TRACTATVS II.

De Baptismo, & Confirmatione.

CAPVT I.

De Baptismo.

NOn agitur hic de Baptismo sanguinis, idest martyrio, nec de flaminis, seu spiritûs, id est, contritione, cum voto Baptismi, vel desiderio, quia non sunt Sacramenta, sed de Baptismo fluminis, qui definitur, ablutio corporis exterior, facta sub præscripta forma verborum.

DVBIVM I.

Quæ sit materia Baptismi?

REsp. Materia remota licita est, aqua consecrata, si haberi potest; valida est omnis, & sola aqua elementaris, quæ morali hominum æstimatione sit naturalis, & vsualis, qualis est putei, maris, paludis, pluviæ, item resoluta ex nive, grãdine, glacie, licét accidẽtaliter quoad calorem, saporem, & odorem, alterata sit, vt aqua sulphurea, lixivium, iusculum ita tenuiter carne decoctum, aut aqua alteri corpori ita modicè admixta, vt

Universidad de Deusto Biblioteca

ta, vt vsum communem, & æstimationem aquæ retineat. Ratio responsionis est, ex Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua.* Quam S. Thom. confirmat triplici congruentia. 1. Est maxima commoditas aquæ. 2. Eius facillimus vsus. 3. Aptitudo ad significandum effectum, qui est emundatio à peccato. *Vndè resolves.*

1. Inepta materia Baptismi est, saliva, lotium, lachrymæ, sudor, cerevisia, item aqua sic permixta, vt non ampliùs sit apta ablutioni, nec vocetur aqua, v.g. lutum, brodium, vinum lymphatum, item aquæ artificiales ex rosis, herbis, succisque expressæ, deniquè nix, grando, glacies non resoluta. Ratio est, quia morali hominum æstimatione non censentur aqua naturalis, & vsualis. Lay. *l.* 5. *t.* 2. *c.* 3. Bona. *d.* 2. *q.* 2. *p.* 3.

2. Quia de quibusdam tum ex dictis, tum alijs dubium est, v.g. de iusculo, & cerevisia valdè tenui, lixivio, (& secundùm Granad. *in* 3. *p. c.* 4. *tr.* 1. *d.* 3. *dub.* 2. aqua rosacea:) hinc in necessitate licet illis vti, etsi posteà Baptismus sub conditione sit repetendus. Vid. Escob. Laym. Bon. *ll. cc.*

3. Vti aquâ impura, vel non consecrata, cùm alia haberi potest, est grave peccatum, ob Sacramẽti irreverentiam. Bonac. *l.* 1. *c.* 1. *nu.* 7. Dian. *p.* 9 *t.* 6. *res* 33. & alij quinque, licèt Granad. & Quintanad. putent non esse mortale vti non benedictâ.

Resp. 2. Proxima materia Baptismi est ablutio. Quæ validé fit tribus modis, scilicet immersione, aspersione, infusione iuxta praxim diversarum Ecclesiarũ, quæ servãda est, ita vt morali hominum iudicio censeatur esse lotus. Ex præcepto tamen caput abluendũ est, quod praxis Ecclesiæ habet. Ratio est, quia quolibet horum modorum fieri potest ablutio. Et quidem trinam mersionem non esse necessariã, constat ex Concilio Toletano. Vbi tamen trina vel immersio, vel infusio vsitata est, sine gravi peccato extra necessitatem, non potest prætermitti, vt docet D. Th. etsi alij, secluso scandalo, & contemptu, dicant esse tantùm veniale. Lay. *l. c. nu.* 4. Bon. *l. c. Vndè resolves.*

1. Non veré baptizatur; cuius nulla pars immediatè tangitur, v.g. infans vtero, vel cista; vel adultus, cuius vestes tantùm sunt aspersæ Layman. Bon. *ll. cc.*

2. Non requiritur ad valorem, vt qui baptizatur, emergat ex aqua: quod tamen grave peccatum est, estò nihilominùs moriturus esset baptizandus. Lay. *c.* 3. *nu.* 5. vti etiam matrem nihilominùs moriturum, vel mortis ream, aperire, vt infans baptizetur. Laym. *l.* 5. *t.* 2. *c.* 3. *num.* 2. vbi vnicum casum excipit, si nimirum mater sit morte digna, & si supplicium differatur, infans certò sit moriturus ante nativitatem. Verùm rectè addit ex Suar. casum hunc vix moralem, & practicum esse. Vid. *l. c.*

3. Invalidus est Baptismus. 1. Si quis labatur in aquam, vel ab alio protrudatur, & tamen formam pronunciet.

2. Si formam pronuncians teneat puerum, & alter abluat, aut aquam effundat.

3. Si aqua è fonte prosiliente, aut stillicidio decidente, baptizandus ei se submittat. Ratio est, quia in his non tu, sed alter abluit. Bon. *punct.* 3.

4. Ob probabilem vtrinque sententiam, dubius est Baptismus, ideóque si ix

si in necessitate sit datus, repetendus sub conditione. 1. Si tantùm vna, vel altera gutta sit adhibita, v.g. si more aquę lustralis multitudo sit aspersa. Quod sine necessitate non licet, cùm ad ablutionem non videatur sufficere quicunque aquæ contactus, sed requiri successivus cum aliquo motu. Bon. *l. c. num.* 13. ex Suar. Con. &c. In casu tamen necessitatis sic baptizare concedit Mærat. *t.* 3. *d.* 2. *sess.* 4. Granadus *in* 3. *p. c.* 4. *tr.* 1. *d.* 4. *nu.* 12. 2. Si tantùm sit abluta pars minùs principalis, v.g. digitus, manus, vel pes: Nam si pars principalis, v.g. scapulæ, vel pectus, nemo dubitat. 3. Si tantùm crines sint tincti, licèt C. de Lugo. *resp. mor. lib.* 1. *d.* 1. hunc validum esse contendat. 4. Si infans tinctus sit involutus adhuc secundina sua, idest, pellicula corpori annatâ, in necessitate tamen, in prædictis casibus Baptismus debet conferri sub conditione. Hurtat. *de Bapt. d.* 1. *diff.* 12. Vide. Layman. *l. cit.*

5. Cùm terna vsurpatur effusio, aut immersio, ad nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, iuxta praxim Ecclesiæ cavendum, ne ter, sed semel tantùm pronuncietur forma. Quæ rectiùs ita profertur, vt ante tertiam ablutionem non finiatur; quia forma cum quacumque prima ablutione, Baptismum constituit. Reg. *l.* 27. *cap.* 3. Layman. *lib.* 5. *tr.* 1. *c.* 3.

DVBIVM II.

Quid sit forma Baptismi?

Resp. Forma necessaria Baptismi est hæc: *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.* A qua non differt illa Græcorum substantialiter: *Baptizetur*, vel vt Arcadius vult, *Baptizatur servus Christi, in nomine Patris, &c.* Porró quinque sunt, quæ significantur in prolatione formæ, iuxta quæ valor eius debet expendi. 1. Persona baptizãtis, saltem implicitè: quod in forma Græcorum non negligitur; cùm Tó, baptizetur, idem valeat, ac baptizetur, à me. 2. Actus baptizandi: quia alioqui forma non haberet connexionem cum materia, eamque non determinaret, cùm ablutio ad varios fines possit referri. 3. Persona baptizandi; quia vti ablutio, ita, & forma circa certam personam versari debet. 4. Vnitas divinę naturæ: quod fit per voces *In nomine.* 5. Trinitas personarum; idque explicitè, & distinctè vulgaribus vocabulis. Fill. *c.* 3. Lay. *c.* 4. Bon. *p.* 4. *Vndè resolves.*

1. Validé baptizat, licèt venialiter peccet, qui pro baptizo, dicit, abluo, mergo, &c. vel pro Te, vtitur communi nomine, Græcorum more, vel proprio; vel baptizo Petrum, vel qui honoris causa dicit: Baptizo dominationem vestram Laym. *c.* 4. *nu.* 9. Bon. *p.* 4. *nu.* 9. *& seq.*

2. Valet forma, etsi omittas, *Ego* & *Amen*: quia omnia significata per formam salvantur, secùs si omittas *Te*: quia non significatur persona baptizandi. *Ibid.*

3. Non valent hæ formæ: *Baptizo te, in nominibus Patris & Filij, &c.* quia multiplicatur natura seu essentia Divina. 2. *Baptizo te in Patre, & Filio, &c.* vel *cum per Patrem*: vel *in nomine Patris, per Filium, in Spiritu Sancto*: vel *in fide, virtute, maiestate Patris, &c.* (quam tamen alij dubiam esse volunt.) Ratio est, quia significatur diversitas essen-

Universidad de Navarra Biblioteca

essentiæ, aut certè vnitas nnn satis exprimitur. 3. *Baptizo te in nomine Dei, vel Sanctissimæ Trinitatis*, vel *in nomine Dei, vnius, & trini*: vel *in nomine trium Personarum*: vel *Patris, & Filij*, omissa Persona Spiritus Sancti. Ratio est, quia non exprimuntur distinctè tres Personæ. 4. *In nomine Domini Nostri Iesu Christi*; quâ tamen forma olim Apostolos vsos, sed ex speciali privilegio multi docent, alij negant, dicuntque eos baptizasse in nomine Christi, addendo illud nomini secundæ Personæ, non omisis nominibus aliarum Personarum Cùm ergo Nicolaus Papa dixit, eam formam valere, vel intellexit, si pro nomine Filij ponatur nomen Christi, vel in nomine Christi, pro vice Christi, intellexit vel locutus est, vt doctor privatus. *Vid. Aut. cit.*

4. Dubiæ sunt formæ, ob sententiam vtrinque probabilem auctorum. 1. *Baptizo te in nomine Patris, in nomine Filij, in nomine Spiritus Sancti*: vel *baptizo te in nomine Patris, baptizo te in nomine Filij, &c.* Ratio est, quia non exprimitur vnitas essentiæ. 2. *Baptizo in nomine genitoris, geniti, & spirati*: vel *in nomine omnipotentis, sapientis, & boni*; vel *in nomine ingeniti geniti, & doni*. Ratio est, quia Trinitas Personarum non explicatur vocibus, quibus à fidelibus omnibus debet, & potest apprehendi. 3. *Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Mariæ Virginis*: quia dubium est de intentione Ministri: qui si eo sensu voluit dicere *Mariæ*: quo *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* non valet, cùm sit contra sensum essentialem à Christo intentum: si verò tantùm voluit illam invocare, vt coadiutricem gratiæ impetrandæ, vel aliter, valet, cùm tantùm sit mutatio accidentalis. Fill. *t. c.3 nu.* 50. Vid. etiam. Laym. & Bon. *ll. cc.*

DVBIVM III.

De Ministro Baptismi.

ARTICVLVS I.

Quæ sit Minister Baptismi?

RESp. Validè ministrat omnis homo ratione vtens, cuiuscunque fidei, vel infidelitatis, status, aut sexus. Licitè, tanquam minister ordinarius, & ex officio Sacerdos habens iurisdictionem, aut commissionem: vel ex eius commissione Diaconus. In casu tamen extremæ necessitatis, omnis qui potest validé, etiam facit licitè, tenenturque vt proximo succurrat. Laym. *l.5. t.2. c.7. Vndè resolves.*

1. Non tantùm Diaconus, sed nec Parochus, aut Episcopus, absque commissione, extra suam Diœcesim, vel Parochiam, (vel intra eam alienos) licitè baptizat: ideòque etiam peccant parentes, qui sine licentia sui Prælati, alieno deferunt prolem baptizandam, cùm violent ius Parochi. Laym. *l.c.*

2. Diaconus non tantùm in extrema necessitate, sed etiam in alia notabili baptizare potest. Et quidem cum solemnitate, ex commissione Episcopi, vel Parochi, vt si v. g. ob multitudinem baptizandorum, aliudve grave impedimentum, id ipsi facere non possint. Layman. *l.c.*

3. Cùm in necessitate confertur Baptismus, servandus est ordo; itavt si adsit, & non detrectet Sacerdos, vel Diaconus, is reliquos præcedat. Sic etiã Cleri-

Clericus laicum, vir mulierem, fidelis infidelem, nisi forté inferior melius noverit modum, vt solent obstetrices (quæ proindè examinari, & approbari debent à Pastoribus) vel alia iusta causa sit, vt quia virum ad parientem ingredi non decet Quòd si laicus baptizet præsente Sacerdote, & secundùm quosdam, etiam præsente Diacono, censent esse mortale: quia id laico tantùm competit, ob defectum Sacerdotis, quia sine iniuria Ordinis, & Sacramenti, talem licentiam dare non potest. In reliquis, perversio illius ordinis est tantùm veniale, præterquàm si coram fideli hæreticus adhiberetur, quod volunt esse mortale. Laym. *c.7. nu.4.* Conin.

ARTICVLVS II.

An duo possint simul vnum baptizare?

RESp. 1. Si alter applicet materiam, alter formam, nullus erit Baptismus: quia dicens se abluere, cùm non abluat. Formam habet falsam, etiamsi vsurpet Græcorum *Baptizetur servus Christi*, vel quæ putatur illi æquivalere, *Baptizet te Christus*, subintelligitur enim *per me*; alioqui si excludatur persona Ministri, vt sensus sit, *Baptizet te Christus*, & *non Ego*, sive *non per me*; forma nulla est. In casu tamen necessitatis, posse sub cõditione ita Baptismum conferri, v.g. si mutus formã nesciens ablueret; cœcus autem formam pronũciaret, docet Hurt. *d.2. dif.6.* additque, debere talem, elapso periculo, iterum sub conditione baptizati. Vid. Esc. Fil. *c.4.* Dian. *p.5. tr.3. res.26.* ex Chapeauvil. Masil. &c. Bon. *d.2. q.2. p.4. nu.23.* Laym. *c.7.*

Resp. 2. Si plures Ministri singuli abluant, & formam pronuncient, graviter peccant contra ritum Ecclesiæ. De valore sic solet distingui. 1. Si quilibet intendit baptizare, dependẽter ab alio, vt causa particularis, invalidè baptizãt, sive singuli dicant; *Ego te baptizó*, sive, *Nos te baptizamus*: quia forma, cuius sensus censetur esse absoluté, & independenter baptizare, non cobaptizare, est falsa. 2. Si quisque per se intendat baptizare, independenter ab alio, validé baptizat: quia omnia requisita ponit. Vt patet à simili in Missa ordinationis, qua Sacerdotes noviter ordinati simul consecrant cum Episcopo, dummodó simul eodem instanti formam absolvant: si autem non simul absolvant, is tantùm consecrat, vel baptizat, qui priùs absolvit. Vid. Fil. *t.2. c.4. nu.71.* & Bon. *l. c. num.* 25. Laym. *c.7.*

DVBIVM IV.

Quod sit subiectum Baptismi?

RESp. 1. Subiectum capax Baptismi, est solus homo vivus, ab Adamo descendens, nondum baptizatus.

Resp. 2. Validè baptizantur infantes; item perpetuó amentes, qui nunquam vsi sunt ratione: quia censentur eiusdem conditionis cum infantibus. Si autem aliquando sint vsi ratione, non valet Baptismus; nisi ante amentiam petiverint. Vid. Bon. *d.2. q.1. p.6.* Laym. *c.6. Vndè resolves.*

1. Si puer inter baptizandum, nondum finita forma, moriatur, Baptismus est nullus.

2. Non valet Baptismus iteratus; ideóque vterque, tum baptizans, tum rebaptizatus peccant mortaliter, fiuntque irregulares, & in iure civili subiacent

Universidad de Deusto Biblioteca

cent pœnæ mortis. Quas tamen pœnas non videtur incurrere is, qui etsi sine iusta causa rebaptizat sub conditione: quia intelliguntur de Baptismo absolutè dato, quando moraliter constat, priorem Baptismum fuisse validum. Vid. Lamy. *cap.5.* Bon. *punct.5.*

3. Nondum perfectè natus, est baptizandus, si sit periculum, dummodó pars aliqua possit ablui: quia est homo vivus, nec certé constat esse incapacem.

4. *Si* dubium sit, an infans vivat, baptizandus est sub conditione.

5. Validè baptizatur, quem Minister putat esse alium, aut licèt sit puella, quam putat esse puerum: quia intendit baptizare præsentem. Aliud est in Matrimonio; quia intendit contrahere cum illa, quam putat. Bon. *p.4. nu.26.*

6. Validè, etsi extra necessitatem, illicitè, plures simul baptizantur, hac forma: *Ego vos baptizo, &c,* Bon. *p.* 4.

7. Monstrum, quod capite, & pectore formam hominis refert, est baptizandum; secùs, si bestialem refert. Quòd si veró caput tantùm sit ferinum, putat esse baptizandum Comitolus. Navar. tamen, & alij volunt differendum, donec certiùs cognoscatur, nisi periculum mortis immineret: tunc sub conditione baptizandum esse. Quòd si habeat membra hominis geminata, & dubitetur, num t vnus homo, an duo, duplex Baptismus conferendus est, vnus absolutè, alter sub conditione, in ea parte, qua membra apparent imperfectiora. Vid. Laym. *l.5. tr.2. cap.3.* Bon. *p.6.* & Rituale Romanum. *tit de Baptismo.*

Resp. 3. Extra mortis periculum, validè, non tamen licitè, baptizantur Ethnicorum infantes, invitis parentibus. Ratio est, quia vel auferuntur parentibus, & fit illis iniuria; vel relinquuntur, & fit iniuria *Sacramento*, quod exponitur irreverentiæ. Quód si tamen possint Christianè educari (ad quod tunc obligaveris) licebit in is casibus. 1. *Si* parentes sint tua mancipia; tunc enim tui potiùs sunt, quàm illorum. 2. *Si* parentes aliquando fuerint baptizari, vel vterque, vel saltem alteruter: quia tunc Ecclesia ius in eos habet. 3. Si alter parẽtum petat, tunc enim iusta voluntas iniustæ alterius præferenda est, in favorem prolis, & fidei. 4. *Si* infans sit in periculo mortis. 5. *Si* rationis iam compos puer petat: quia in negotio religionis, est sui iuris. In dubio autem de vsu rationis, sufficit esse 7. annorum. Vid. Layman. *l.c.* Fill. *t.2. c.6.* Bon. *p.6. num.12.*

Quæres. An Baptismus aliquando repeti possit, & quâ forma?

Resp. Cùm temerè rebaptizare sit mortale ex obiecto; quia est in genere sacrilegij, dum conaris ministrare *Sacramentum* incapaci, hinc ad hoc, vt non liceat baptizare, non requiritur certitudo de Baptismo, sed sufficit, si pro eo sint coniecturæ; vt v.g. quod quis natus, & educatus sit inter fideles, nec pro contraria parte rationes alicuius momenti occurrant; leve enim, vel metaphysicum dubium non sufficit, sed requiritur grave, & morale, vel saltem rationabile. In quo, inclinandum esse in favorem baptizandi, rectè monet, Layman. *c.* 3. ex *Suar.* & alijs *Vndè resolves.*

1. Sub conditione baptizandi sunt. 1. Qui cum materia, & forma, aut intentione dubia (secundùm supra dicta) sunt baptizati. 2. Infantes expositi, & reperti sine scheda testante de Baptismo; secùs si cum ea. Ita communiter. Quintanad.

tanad. tamen *t.* 1. *s.16.* & 14. contendit etiam hos esse rebaptizandos. 3. Baptizati ab obstetricibus veneficis; præsertim si fassæ, vel convictæ fuerint, aliquando non rectè baptizasse. Laym. *c.5. num.3.*

2. Infantes ab obstetricibus, vel parentibus, vel cognatis, &c. ob necessitatem baptizatos, promiscuè omnes sub conditione rebaptizare, (quando obstetrices bonæ, & bené instructæ censentur,) non licet; quia de valore Baptismi prudenter, & rationabiliter dubitari non potest. Suar. Laym. *l.5. t.2. c.5.* qui tamen contrariam consuetudinem quorundam Parochorum damnare non audet, eò quod experientia didicerint, obstetrices non rarò fuisse deceptas à diabolo, ideòque revera periculum aliquod sit animæ, ob quod irreverentia cesset: additque eam consuetudinem approbatam fuisse à Pastorali Romano edito Antuerpiæ 1607. eamque sententiam tenet Sylvest. apud Dian. *p.5. t.13. res.86.* & ipse Dian. *p. 9. t.6. res.* 35. cum alijs 2. censet eam probabilem, habereque locum in omnibus baptizatis ab hæreticis, licèt sint adulti; quod C. de Lugo *res. mor. l.1. d.2.* rectè limitat ad illas circunstantias, in quibus prudenter dubitari possit de defectu materiæ, formæ, vel intentionis. Deniqué etiam Quintanad. *t.1. s.6.* docet, infantes supradictos ferè omnes rebaptizari posse sub conditione.

3. Peccat graviter Minister. 1. Qui non rebaptizat eum, de quo rationabile dubium iuris, vel facti maner, num validè sit baptizatus: quia tenetur proximum liberare probabili periculo gravis mali, cùm facilè potest. Layman. *loc.cit.* Quintanad. *loc.cit.* 2. Si non diligenter inquirat in talis Baptismi valorem, nisi de hoc aliundè constet. Quintanad. *t.1. s.6.* & 7.

4. Non est rebaptizandus, de cuius Baptismo habetur testimonium vnius oculati testis, licét fœminæ; dummodò non sit suspecta, nec aliud obstet. Lay. *l.c.*

5. Qui veré, & rationabiliter dubitat de suo Baptismo, tenetur petere Baptismum, & Parochus ei conferre Quintanad. *l. c. s.* 13. & 19. & intereà abstinere ab vsu aliorum Sacramentorum.

Resp. 2. Baptismus sub conditione, hac forma conferendus est: *Si baptizatus es, non te baptizo: si nondum es baptizatus, Ego te baptizo, in nomine, &c.* Ac licèt sufficiat, sola mente conditionem apponere, si ex omissione non timeatur scandalum; tutius tamen est exprimere verba saltem ista: *Si non es baptizatus, &c.* Vid. Tol. *lib.* 2. *cap.* 19. Lay. *loc. cit.* Suar. *d.* 31. Filliuc. *tom.* 2. *cap.* 4. *q.* 9. Patrinus autem in hoc Baptismo necessarius non est, nec adhibendus. Quintanad. *l.c. s.* 18.

DVBIVM V.

De Cæremonijs Baptismi.

ARTICVLVS I.

Quæ servanda circa cæremonias baptizandi?

Resp. Cæremoniæ Baptismi petendæ sunt ex Agenda cuiusque Ecclesiæ. Vniversim tamen circa eas servanda sequentia. 1. Baptismum extra necessitatem absque peccato non posse conferri, nisi in aqua consecrata. Quæ cùm

Universidad de Deusto Biblioteca

deest, habetur formula brevis in quibusdam Agendis, ex tempore aliam consecrandi, pro casu necessitatis. Quòd si etiam hac formulâ careas, adhiberi potest aqua communis benedicta. 2. Baptismum solemnem non conferendum, nisi in Templo, & loco ad id deputato, nisi filijs Regum, & Principum; quibus adde filios Catholicorum, in locis hæreticis: interim quoad hoc in Magnatibus, & Nobilibus connivetur in multis locis. Layman. *cap.* 8. *num.* 8. 3. Infantes ex consuetudine deferendos ad Baptismum, circa diem octavum; nisi priùs sit necesse, vel nisi sit gravis causa dilationis (v.g. quia patrini sunt expectandi) in qua tamen non licet communiter, extra necessitatem, privatim baptizare, & posteà adhibere solemnitates, sed p æstat expectare aliquandiu. Lay. *c.* 6. *nu.* 8.

4. Baptizanti non licet adhibere cæremonias aliquas, omissis alijs. Quia vel fiet in Baptismo solemni, quod prohibet Trid. *s.*6. *c.*3.; vel privato; sed in hoc prohibet Clementina vnica, illas adhibere, nisi sit filius Regis, aut Principis. De patrino tamen vsus habet, vt & tunc adhiberi possit, etsi non sit necesse. Et multi putant, adhibitum non contrahere cognationem spiritualem, nec verè, patrinum effici, vt Sanc. Rodrig. contra Laym. & Suar. quorum tamen sententia videtur probabilior.

5. Cùm in necessitate, vel aliam ob causam, (nam ob gravem causam, v. g. iustum timorem infamiæ, aliquando licitè fit) baptismus sine cæremonijs est collatus, eâ cessante, illæ solemniter in Templis sunt supplendæ. Quod tamen non est moris in hæreticis conversis, ne plebs putet, nos eorum Baptismum improbare. Laym. *c.* 8. *nu.* 10. Imó in alijs omittere, secluso contemptu, esse tantùm veniale, docet Posseu *de off Cur cap.*6.*n.*23. Qui autem tenent more patrini infantem, dum cæremoniæ supplentur, non contrahere cum eo cognationem spiritualem, Dian. *p.*3. *t.*4. *res.*260. ex Pontio dicit esse probabile.

6. Si Baptismus collatus deprehendatur fuisse invalidus, non idcò repetendæ sunt cæremoniæ.

ARTICVLVS II.

Qui Patrini, & quod eorum officium?

RESp. 1. Patrini sunt quasi patres spirituales, qui baptizatum de fonte suscipiunt in suam curam. Vndè eorum officium est, baptizatum de rebus fidei instruere, orationem Dominicam, & Symbolum docere; ad quod obligantur, si id ab alijs non fiat. Layman. *t.* 5. *t.* 2. *c.*9.

Resp. 2. Vt quis validé sit Patrinus non certa ætas, sed requiritur. 1. Vsus rationis. 2. Vt ipse sit baptizatus, (quia non potest esse pater, qui ipse nondum sit natus:) Et quidem, vt eius Baptismus fuerit validus: quia accessorium sequitur principale. 3. Vt à parentibus vel Parocho, ad hoc designatus sit: ad hoc videtur sufficere, si etiam vltrò se ingerens sit admissus; designatos autem rite à parentibus, Parochus non validè mutat. Dian. *p.* 6. *t.* 7. *Res.* 50. 4. Vt in ipso B ptismo (quia non sufficit vt in solis cæremonijs) per se, vel procuratorē tangat, teneat, aut de manu baptizantis suscipiat. 5. Vt id non materialiter tantùm, sed animo susceptoris, sive cum intentione id munus gerendi faciat. Laym. *c.* 9. *num.* 2.

Resp. 3. Validè quidem, sed illicité sunt patrini. 1. Abbas, & Monachus. Quo nomine veniunt. Mendicantes: etsi Layman. omnes claustrales comprehensos velit; & quoad Abbates, in multis locis consuetudo sit contraria. 2. Coniuges respectu coniugum, & parentes respectu filiorum, nisi sit necessitas. 3. Moribus infames. 4. Apostatæ, & hæretici; qui nullo casu videntur advocandi: quia ea advocatio esset protestatio, quasi falsæ religionis cùm non nisi de falsa fide sint sponsuri: etsi Layman. *hîc cap.*9. *nu.*7. probabiliter dicat, posse subindè ob gravem causam admitti. Catholici verò ob rationabilem causam infantem hæreticî, baptizare, prædicare, ac suscipere possunt, saltem in Germania. Layman. *cap.*9. *num.* 6. 5. Plures quàm duo; quia Triden. nonnisi vnum, aut summum, vnum, & vnam permittit propter cognationem spiritualem indè oriri solitam. Ideóque mandat Parochis, sub pœna arbitrio Ordinarij infligenda, vt si plures se offerant, petant ab his, ad quos spectat, patrinos designare, vt vnum, vel duos nominent, eosque tantúm admittant, qui soli cognationem contrahant, eorumque nomina in librum referant, eosque de contractu spiritualis cognationis instruant: scilicet, quod ea impediat, dirimatque matrimonium: non quidem inter se, sed inter ipsos, & baptizatum, eiusque patrem, & matrem; sicut etiam inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem. Excipiuntur tamen parentes, quando propriam prolem suam suscipiunt in necessitate. Vid. Lay. *ll. infrà citandis. Vndè resolves.*

1. In privato Baptismo, ob necessitatem dato, pater non debet suscipere, aut tenere tanquam patrinus infantem; cùm in hoc casu nulla sit patrini necessitas, ideóque si id, vel tunc, vel etiam in Baptismo publico temerè faciat, (idem est, si prolem suam ipse baptizet) graviter peccat, & insuper contrahit in posteriore casu, cognationem cum coniuge, atque vt docet Sanch. *de matr. d.*36. & alij communiter, privatur iure petendi debitum: quod tamen negant Con. & Dian. *t.*4. *de Sacr. res.*5. Vid. Bonac. *de matr. q.*3. *p.*5. §.2. Escob. *tr.*7. *Ex.*2. vbi citat Suar. negantem.

2. Si inter multos patrinos nulli certi à parentibus, aut in eorum defectu, à Parocho designetur, qui alijs seclusis cognationem contrahant, & sic multi ex ignorantia, vel Parochi negligentia levent, probabile est omnes contrahere cognationem (nisi tamen assistant tantùm, & non tangant.) Vide Laym. *l.*5. *t.*10. *p.*4. *c.*8. & *tr.*2. *c.*9. *nu.* 4. Dian. tamen *p.*9. *t.* 7. *res.* 5. ex Suar. Mœrat, & Perez, dicit, eo casu nullum contrahere cognationem.

3. Parochus graviter peccat, 1. Si ex negligentia, frequenter omittat nomina baptizatorũ referre in librum; tum ob legem Trid. in re gravi, & sub pœna gravi; tum ob incommmoda, & damna indè sequentia. Quintanad. *t.*2. *s.*11. 2. Si eius culpâ patrini plures adhibeantur. Quintanad. *l c.* At licét Per. & Serra apud Dian. *p.*9. *t.*7. *res.*5. dicant esse probabile, quód tantùm peccet venialiter; alij tamen mortalis cum damnant.

(***)

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT II.
De Confirmatione.

DVBIVM I.

Quid sit, & quæ eius materia, & forma?

REspond. 1: Confirmatio est vnctio chrismatis, sub præscripta forma verborum in fronte baptizati, ab Episcopo, qua is ex Christi institutione gratiæ augmentum, & robur accipit.

Resp. 2. Materia eius remota essentialis, est chrisma, confectum ex balsamo, & oleo olivarum, benedictum ab Episcopo. Ita comm. Doct. *Vndè resolves.*

1. Non sufficit solum balsamum, vt voluit Canus; nec solum oleum, vt voluerunt. Cai. Sot. Nav.

2. Etiam benedictio Episcopalis est de essentia, vt habet communis contra Caiet. ideóque nulla delegatione, sive Episcopi, sive Papæ, simplex Sacerdos potest conficere chrisma. Con. *d.* 72. *ar.* 3. *dub.* 3.

3. Perindè est ad substantiam Sacramenti, sive chrisma sit novum, sive vetus: licèt graviter peccet qui vtitur alio, quàm novo, idest, illo anno consecrato. In quem finem, quotannis in die cœnæ consecratur, veteri combusto.

Resp. 3. Materia proxima est vnctio in fronte, per manum Episcopi, (vndé etiam hoc Sacramentum, manus impositio dicitur á S. Luca. *Actor.* 8.) in formam Crucis facta. Quæ omnia sunt de necessitate Sacramenti, vt habet communis. *Vndè resolves.*

1. Etsi ex necessitate præcepti, vnctio fieri debeat pollice manus dextræ; valida tamen esset, si fieret digito etiam sinistræ manus: quia verè fieret per impositionem manus Episcopalis. Ita Præp. & alij, contra Suar. Peccabit tamen Episcopus graviter contra vniversalis Ecclesiæ morem. V. Lay. *hic c.* 2. & Escob. *to.* 7. *Ex.* 3. vbi docet, probabile esse, non peccare mortaliter.

2. Probabile est, requiri ab valorem Sacramenti, vt vnctio fiat ab Episcopo immediatè, nullo instrumento mediante. Ita Fill. & Laym. contra quosdam: quia debet fieri per impositionem manûs. Escob. *t.* 7. *Ex* 3.

Resp. 4. Forma vera, & necessaria, in Ecclesia Latina est: *Signo* (vt habet Trid.) *vel Consigno*, (vt habet S. Th.) *te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris*, &c. In qua vtrum de essentia sit, vt vtraque actio, signandi, & vngendi expressè significetur, disputant Scholastici. Lay. & Fill. *t.* 3. *d.* 10. Con. *l.c. c.* 4. Dian. *Res.* 27.

DVBIVM II.

Quis sit Minister, & quod subiectum?

REsp. 1. Minister ordinarius validæ Confirmationis est solus, & omnis Episcopus, etiam excommunicatus vel hæreticus: excommissione autem, vel delegatione Pontificis, etiam simplex Sacerdos. Est communis. Vid. Fernan. Lay. *l.* 5. *t.* 3. *c.* 6. Bon. *d.* 3. *p.* 2. *Vndè resolves.*

1. Etsi Episcopus graviter peccet, si vel in aliena Diœcesi, vel sibi non subditos confirmet, sine proprij Episcopi consensu, saltem tacito, propter defectum iurisdictionis: valida tamen est Confirmatio, quia ista non requiritur necessitate Sacramenti, sed præcepti tantùm.

2. Excu-

2. Excusatur à peccato Episcopus, si ex alia Diœcesi accurrentes confirmet: quia præsumitur tacitus consensus alterius Episcopi, cui id gratum esse censetur: præsertim si consuetudine ita receptum sit, vel à proprio ægrè confirmari possint. Ita contra Bon. 3. *de Sacr.* docent Tann. *in* 3. *p. d.* 4. *q.* 4. *dub.* 3. Sà, *V. Confirmatio*, & alij.

3. Peccat graviter Episcopus, si longo tempore non confirmet: quia subditos ingenti bono privat.

Resp. 2. Validè confirmantur omnes, & soli baptizati nondum confirmati. Ratio est, tum ex illo *Act.* 2. *Replevit totam domum*: tum ex vsu, & traditione Ecclesiæ: tum quia omnes indigent eius effectu, & sunt capaces. Licitè verò confirmantur ijdem, qui validè; dummodò constet non ponere obicem, sive Sacramento, sive eius effectui. Ratio patet ex dictis. *Vndè resolves.*

1. Etiam infantes, & rationis impotes, validè hoc Sacramentum suscipere.

2. Etsi quoad infantes consultius sit, differre vsque ad rationis vsum: tum ob irreverentiam Sacramenti: tum ob periculum iterationis, tum ob Ecclesiæ vsum: nihilominùs ob rationabilem causam, etiam anté, ijs licitè datur, v.g. si timeatur diuturna absentia Episcopi: vel hic ad ista loca rarò veniat, item si infans sit in periculo mortis: (in quo quidam dicunt debere dari) deniquè si sit filius Principis Laym. *hic t.* 3. *cap.* 6. Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 3. *cap.* 2.

3. Etiam perpetuò amentes (præsertim si aliquando vsum rationis habuerint) licitè confirmantur: etsi per accidens nunquam sint spiritualiter pugnaturi. Ita Suar. Filliuc. Layman. *loc. cit.* Con. *q.* 72. *ar.* 8. *num.* 83.

DVBIVM III.

Quæ confirmationis necessitas, & caremoniæ?

REsp. 1. Nec est necessaria ad salutem, necessitate medij, neque per se præcepti. Est communis. S. Thom. & aliorum, contra Scot, & Sylv. Ratio est; tum quia Ecclesia non vrget eius susceptionem vllis pœnis: tum quia nec ex Scriptura, nec traditione, neque fine aut institutione Sacramenti, tale præceptum colligitur. Et Canones, qui in contrarium afferuntur, satis explicantur de necessitate ad melius esse.

Dixi *per se*: quia per accidentes aliquando potest esse necessaria ad salutem, ex præcepto charitatis sui, vel proximi, vel alio, v.g. ad cavendum scandalum: vel ratione conscientiæ, qua quis validè metuit, ne in tormentis deficiat sine hoc Sacramento. *Vndè resolves.*

1. Negligere hoc Sacramentum, secluso scandalo, & contemptu, non est mortale. Suar. Laym. *l.* 5. *t.* 3. *c.* 5. Bon. *d.* 1. *q.* 1. *p.* 2. vbi ex alijs multis docent, nullum esse præceptum illud suscipiendi.

2. Etsi omissio ex contemptu, v.g. si quis id nihili faciat, aut puerile, aut vile habeat, sit mortalis: talis tamen non censetur esse, cùm quis eius oblatam occasionem, quam postea non facilè habiturus est, negligit. Ita commun. contra Sylv. *V. Confirm.* & Toll. *l.* 2. *c.* 4.

3. Præceptum quod habetur in Trid. *sess.* 23. *cap.* 4. *de reform.* non ligat omnes, cùm sit hypotheticum: sed tantùm ordinandos, vel initiandos prima tonsura. Cuius omissionem non esse

Universidad de Deusto Biblioteca

mortalem contra Tann. docent Henr. Valent. Suarez. *d.* 38. *p.* 1. & Navar. *cap.* 22. qui addit, ne quidem Episcopum peccare mortaliter; ordinando non confirmatum; aut si ipse non confirmatus ordinet. *Vid.* Reg. *l.* 28. *cap.* 2.

Resp. 2. Circa cæremonias Confirmationis, scienda sunt sequentia. 1. Etsi servandi sint ritus in Pontificali præscripti, peccetque graviter Episcopus, si confirmet sine pluviali, mitra, vel pedo: vtì & si ordines sacros conferat cum solis indumentis Missæ. Dian. *p.* 7. *t.* 10. *resol.* 31. non tamen semper erit mortalis alicuius omissio, v.g. alapæ, aut cerei. Potest autem conferri loco quovis decenti, etiam extra Ecclesiam; & à prandio non ieiunis, omni anni tempore. 2. Sub gravi culpa, vt docent Navar. *cap.* 22. ex communi requiritur patrinus; isque vnus tantùm, (licèt Tol. duos admittat) qui si confirmatus non sit, peccat graviter, secundùm communem (Escob. tamen ex Con. docet, non esse mortale) quod probabile esse docet Quintanad. *t.* 2. *sect.* 7. imò nullum, si fiat in necessitate, & non contrahit cognationem, vt docent Sanch. Suar. contra Sylvest. Sà, & alios. Debetque esse diversus à patrino Baptismi, saltem extra necessitatem, licèt cum Bona. & Hurt. id neget Quintanad. *t.* 2. *sect.* 7. & 14. & secùs facientem non peccare mortaliter, dicat Diana, *p.* 3. *t.* 4. *res.* 21. & non Monachus (nisi tactus Episcopus,) Admitti tamen, & illos, & moniales posse sine culpa, docet idem Quintanad. *loc. cit.* *s.* 18. nisi in eorum religione sit prohibitum. Eo autem nomine non excludi Mendicantes notat Con. & alij quinque cum Dian. *p.* 9 *t.* 6. *res.* 32. Nec refert, seclusâ consuetudine, num vir sit, aut fœmina. Neque etiam contrahit obligationem instruendi confirmatum; sed tantùm cognotionem spiritualem cum eo, & eius parentibus; dummodò tamen eum tangat. 3. Frons confirmati obliganda est fascia linea, cruce notata, gestanda vno, tribus, vel septem diebus pro consuetudine, illota interim fronte; potest etiam, si ratio subsit, statim auferri, & frons ablui: ipsa autem comburi, vel honestè asservari debet, nec ad profanos vsus adhiberi, propter contactum chrismatis; neque solvens illam, contrahit cognationem. Vid. Præp. *in* 3 *p. q.* 2. *art.* 12. 4. Parochos teneri in librum referre nomina confirmatorum, & patrinorum suæ Parochiæ, eamque curam ad Episcopos etiam pertinere; tum propter sciendam cognationem spiritualem; tum propter ordines suscipiendos, docet Quint. *t.* 2. *s.* 11. ex Barb. &c. ac denique licere mutare nomen in Confirmatione. *Ibid. s.* 16.

TRACTATVS III.

De Eucharistia.

CAPVT I.

De Essentia Eucharistiæ.

DVBIVM I.

Quid sit Eucharistia?

Resp. Est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini, ad spiritualem animę refectionem divinitùs institutum. Ita commun. Schol. *Vndè resolves sequentia.*

1. Tam species consecratæ, quàm Corpus, & Sanguis Christi, intrinsecè, & essen-

& essentialiter constituunt hoc Sacramentum: adeóque falsum est, quod docuit Vvaldensis, Corpus, & Sanguinem Christi, esse totum Sacramentum. Ratio est, tum quia Trid. docet, Corpus, & Sanguinem contineri hoc Sacramento; tum quia quatenuùs continetur, non est sensibile. Item falsum est, quod docent Marsilius, & Sotus, solas species constituere hoc Sacramentum; tum quia Eucharistia est cibus cœlestis; tum quia adorari debet latria, vt docet Trid.

2. Vsus, sive sumptio Eucharistiæ, non est propriè ipsum Sacramentum, neque aliud Sacramentum ab eo distinctum, vt vult Gabriel: nec pars istius, sive essentialis, sive integralis, vt Aureolus, sed tantùm applicatio, sive conditio, vt Sacramentum operetur.

3. Etsi quælibet species, imó quęvis pars speciei, sit integrum, & essentialiter perfectum Sacramentum, adeòque Sacramentum Eucharistiæ, sub speciebus panis, & vini, physicè, & materialiterialiter, specie differat: moraliter tamen, & in ratione Sacramenti est vnum specie infima Sacramentum: tum quia est vnum signum rei sacræ: tum quia ordinatur ad vnum specie infima finem. Vid. S. Th. *q.* 73. *ar.* 2.

4. Etsi physicè loquendo, tot sint numero Sacramenta, quot numero species, vel etiam partes specierum; moraliter tamen vnum numero Sacramentum est, quod per modum vnius proponitur, & sumitur; quia id ad vnum finem, scilicet vnam refectionem spiritualem refertur.

5. Hostiæ in diversis Altaribus rectè concipiuntur vt distincta Sacramenta; contrà verò, si Sacerdos vnam Hostiam in plures partes dividat; vel plures Hostias simul sumat (eadem est ratio plurimarum specierum diversæ rationis) non ideò dicitur accepisse plura numero Sacramenta.

DVBIVM II.

Quæ materia Eucharistiæ?

Nota, sicut in alijs Sacramentis est duplex materia, proxima, & remota: ita etiam hìc, sed ordine inverso: nam in alijs, materia remota est res permanens, proxima veró eius vsus, qui transit: hic veró remota transit, & proxima manet, scilicet species panis, & vini. Quæritur ergo tantùm de remota, illa scilicet, quæ facta consecratione transit in Corpus, & Sanguinem Christi.

Resp. Materia Eucharistiæ est tantùm panis, & vinum. Est de fide, & probatur ex institutione Christi, *Matth.* 26. & *Luc.* 22. Et quidem vtraque materia, panis, & vinum, est ita necessaria ad hoc Sacramentum conficiendum, vt per se nunquam licitè possit vna consecrari absque alia: quod patet tum ex facto Christi, 22. *Luc.* tum ex Trid. *sess.* 22. *Vndè resolves.*

1. Consecratio vtriusque speciei est iuris divini: quia ratio sacrificij, sine quo non fit, exigit vtramque.

2. Non licèt alteram tantùm speciem consecrare, in necessitate etiam gravi, v.g. vt moribundo detur Viaticum. Suar, &c. commun.

3. Nec Pontifex in eo potest dispensare vllo casu. Ita commun. Suar. 3. *p. d.* 55. *s.* 4. &c. contra quosdam.

Dixi. 1. *Per se:* quia per accidens, & præter intentionem, aliquando vnam posse solam consecrari absque peccato, docet Tan. *d.* 5. *q.* 2, *dub.* 5. *nu.* 27. dicitque

que esse communem, v.g. in his casibus.

1. Si quis aquam, vel alium liquorem pro vino consecrasset, neque defectum intelligeret, nisi diu post; aut postquam advertisset, non posset haberi aliud vinum; vel quamvis haberet, non posset tamen illo vti, sine gravi scandalo, vel vitæ periculo. 2. Si post consecratam hostiam, subitum mortis periculum ab hostibus, vel incendium imminet, secluso tamen scandalo, & contemptu fidei Reg. *l.29. c.4.* 3. Si Sacerdos hostiâ consecratâ moriatur, vel animo deficiens, loquelam perdat, vel in amentiam incidat, nec sit alius, qui possit sacrificium perficere. Suar. Vasq. &c. Si autem alius supplere, & Sacerdos infirmus communionem suscipere potest, debet hostia dividi, eique pars dari. Tambur. *de exped. sacrif. l.2.c.8.*

Dixi. 2. *Licitè*: quia validè alterutram tantum consecrari, est certum: vt patet, tum ex facto Christi, qui panem antè consecravit; tum ex praxi Ecclesiæ, quæ corpus ante sanguinem proponit adorandum.

DVBIVM III.

Qualis debeat esse panis in materia Eucharistiæ?

RESp.1. Solus panis triticeus, in conviviis communiter vsitatus, qualis morali hominum iudicio tantùm censetur ille qui ex farina triticea, & aqua naturali mixtus, & igne tostus, sive assus, atque in sua specie incorruptus est: quia hic solus simpliciter dicitur panis, alius verò non nisi cum addito, v.g. hordeaceus. *Vndè resolvens.*

1. Falsum est, quod docuit Caiet. Eucharistiam posse consecrari ex quovis pane, cuiusvis speciei, dummodó sit aptus ad vescendum.

2. Non est apta materia ad validam consecrationem. 1. Panis ex oryza, avena, milio, pisis, fabis, amygdalis, aliisque leguminibus, & arborum fructibus, vel etiam ex hordeo confectus: quia hæc omnia, communi vsu, & opinione, censentur specie distingui à tritico, Laym. Bon. C. de Lugo *d.4. s.1.* 2. Masla triticea cruda, vel non cocta per modum panis, sed frixa, vel elixa, vt sunt placenta, libum; sive differant specie: sive non. 3. Panis subactus aquis artificialibus, vel oleo, butyro, lacte, vel ovis, saccharo, aliòve liquore, qui aquâ naturali non sit mixtus, quia non est panis vsualis. Ita Laym. *l.5. tr.4. c.9.* Caiet. tamen, & quidam recentiores, contrarium docent: quare est saltem materia dubia. Idque confirmat Missale Rom. *tit. de defect.* & C. de Lugo *d.4. s.1. nu.* 4. Vndè qui hostias emunt, certi sint, quòd aqua naturali, & non rosaceâ, confectæ sint. 4. Similiter hostiæ rubræ, quibus sigillantur litteræ, non sunt materia valida, vel minimùm dubia: quia per admixtionem cinnabaris notabiliter alterantur. C. de Lugo, *d.4. sect.1.* quod Ant. Perez apud Dian. *p.7. t.12. Res...* limitat, si multum cinnabaris sit mixtum: si autem sit validé parum censet probabile, quód sit materia valida, illicita tamen. 5. Panis substantialiter corruptus. 6. Panis subactus aquâ marinâ, Fagund. apud Dian. *p.9. tr.9. R.58.* vbi ipse contrarium docet, eò quód illa sit naturalis aqua.

3. Panis ex farre, sivè speltâ, item ex siligine, est materia dubia: quia alij dicunt, solis accidentibus, propter loci sterilitatem: alij specie distingui à tritico: ideóque non licet, saltem vti pro Sacramento, quia hoc exponeretur periculo. V. *Aut. cit.*

4. Valida, sed illicita est materia. 1. Si aliquot grana, vel guttæ alterius speciei, cum tritico, & aquâ misceantur, ita vt triticum tamen, & aqua plurimum prædominetur: quia si maior pars non sit triticum, & aqua, non erit materia valida, de quo monendi sunt illi, qui hostias coquunt. Bon. *d.4. q.2. p.1. nu.* 6. Laym. *c.2.* 2. Panis mucidus, qui ad corruptionem disponitur. Bon. *p.2. n.5.*

5. Perindè est ad valorem Sacramenti sivè panis sit azymus, sive fermentatus, vt definit Trid. quia vterque est vsualis, & propriè dictus panis. Interim in suis Ecclesijs Latini in azymo, & Græci in fermentato conficere tenentur, sub præcepto gravi, & culpa mortali, à qua non excusat necessitas, v.g. dandi viaticum. V. Bon. *d.4. q.2. p.1.* Fill. *t.4. c.3. q.8.* C. de Lugo *l.c.*

Resp. 2. Ex præcepto Ecclesiæ panis consecrandus debet esse figurâ orbiculari, (in Ecclesia Latina) & integrâ. Dixi *Latina*: quia Græci quadratam adhibent, & in particulis triangularem, vt habet Arcudius. Licere etiam in hostia minore (qualis datur Laicis, quando alia haberi non potest, & scandalum abest) celebrare privatim, imó si causa vrgeat, etiam publicè die festo, docet Marchan. *in candel. t.4. c.5. p.3.* Dian. *p.5. t.13. R.80. & p.6. t.7. R.17.* & Tamb. *exped. sacrif. l.2. c.8.* & Avers. *q.11. s.12.* eó quòd nullum sit præceptum, neque constet de consuetudine obligante sub præcepto: quo casu elevare adorandam maiorem ab alio præconsecratam, licere vult idem Tamb. *l.c.* contra March. & Dian. *ll. cc.* Non licet autem parvam sumere, & maiorem relinquere (v.g. ad exponendam in hierotheca) nisi ipse eâdem Missâ etiam istam consecraverit, quia debet communicare de suo sacrificio. Tamb. *l.c.* Quare malé facit Parochus, qui renovaturus Eucharistiam, hostiam ab alio consecratam ipse sumit, & à se consecratam reponit in sacrario, vel hierothecâ. Tamb. *9. l.c.* Car. de Lugo *d.19. s.4.*

DVBIVM IV.

Quale vinum sit materia Eucharistiæ?

RES. 1. Solum vinum vitis, vt docet fides, & definitum est in Florentino. *Vndè resolves.*

1. Non est materia apta ad validam consecrationem. 1. Sicera, & quicunque licor ex moris, malogranatis, &c. sive dicatur vinum, sive non. 2. Agresta, sive omphacium, idest, succus ex uvis immaturis, expressus: quia non est vinum, sed in via ad vinum; cuius naturam nondum induit, habetque se, sicut massa cruda respectu panis. Laym. *t.4. c.5. n.2. & 6.* succum tamen ex uvis passis expressum consecrabilem esse putat Franc. Amicus apud Dian. *p.7. t.12. R.8.* eò quód verum sit vinum. 3. Acetum, quia est vinum substantialiter corruptum. *Ibid.* Quòd si post sumptionem (imò etiam ante eam, post consecrationem calicis) dubium incidat, fueritne acetum, an vinum, esse præsumendum, quod fuerit vinum, docent Tamb. *l.2. exped. sacrif. c.8.* 4. Vvæ seu vinum intra uvas contentum, vel imbibitum in offa panis; tum quia non tam est potus, quàm cibus; tum quia succus ille non dicitur propriè vinum, donec sit expressus; tum quia in eo statu non satis

ad sensum demonstratur per formam. C. de Lugo *d.* 4 *nu.* 11. & 12. Layman. &c. 5. Sapa, seu defrutum, idest, mustum ad dimidiam, seu tertiam partem decoctum: quia non est amplius vinum: nec potus, sed cibus. Bon. *l.c.* 6. Lora, idest, aqua expressis acinis superfusa. Fill. *t.* 4. *c.* 3. C. de Lugo *d.* 4. *s.* 1. *n.* 9.

2. Valida quidem consecratio; sed illicita est. 1. In musto: quia non est vinum simpliciter, sed impurum, habens admixtas, feces, non consecrabiles, ideòque obstat præceptum Ecclesiæ, obligans secundùm Suar. sub mortali, saltem extra necessitatem, qualis esset defectus vini veteris; & secundùm quosdam, etiam devotio populi, quo modo multi excusant contra. Suar. quod in quibusdam locis, primitiæ uvarum in calice exprimantur. V. Bon. *l.c.* 2. In vino liquoribus alijs, vel aromatibus ita modicè permixto, vt naturam vini retineat. Si verò permixtio sit immodica, erit materia dubia. 3. In vino acescente: quia adhuc est vinum, sicut panis mucidus est panis. 4. Probabiliùs etiam in vino congelato, (etsi à quibusdam, propter negantium authoritatem, dicatur esse materia dubia) tum quia adhuc retinet substantiam, & denominationem vini, estque natura sua potabile; tum quia Christus sub eo ante consecrato manet. C. de Lugo. *l.c.* Nec refert. 1. Quod aqua congelata non sit materia Baptismi; quia hic essentialiter consistit in ablutione, Eucharistia verò non in sumptione. Nec refert. 2. Quod non sit proximè potabile; quia est per accidens, & facilé tolli potest: estque par ratio in pane indurato. Non est autem idem in liquore nondum ex uvis expresso, cùm non sit vinum simpliciter, & per se, ac natura sua non sit potabilis, sed comestibilis, quod vino congelato non convenit, alioqui enim ieiunium frangeret. Bon. *l.c. p.* 2. *nu.* 10. Peccat tamen, qui in congelato consecrat, ideoque si hieme congelavit calix, calore manuum aut halitùs, aliove modo solvendus est Fill. *t.* 4. *c.* 3. *l.* 5. *t.* 4. *c.* 2.

3. Valida, & licita est consecratio in vino, sive albo, sive rubro; etsi etiam specie physica differat; cùm vtrumque, habeatur, & sit simpliciter vinum de vite. Bon. *p.* 2. *n.* 2. C. de Lugo. *l.* 4.

Resp. 2. Vino consecrando debet, non ex necessitate Sacramenti, sed gravis præcepti, sub mortali obligantis, secundùm Card. de Lugo *de Euch. d.* 15. *s.* 2. *num.* 22. misceri aqua. Idque cæremonialiter, & in ordine ad sacrificium. Est certum, vt constat ex Trid. *sess.* 22. *c.* 7. & 9. An autem aqua ista immediatè convertatur in sanguinem, necne, disputant. Schol. Vid. Con. vel Præp. *hic.* Cardinal. de Lugo *d.* 4. *s.* 3. *Vndè resolves.*

1. Si mixtio hæc omittatur, valida est consecratio, etsi illicita mortaliter. *Ita omnes commun.*

2. Miscenda est aqua naturalis, eaque modicissima, vt habent Florent. vna scilicet, vel altera gutta; ita tamen, vt sit sensibilis, & saltem non excedat tertiam partem vini; alioqui reddet materiam dubiam: Bon. *p.* 4. *nu.* 4. ex S. Th. Con. &c. Qui autem misceret rosaceam, vel aliam artificialem, adhuc in necessitate, etsi valide consecraret, peccaret tamen mortaliter. D. Th. Mol. Dian. *p.* 6. *t.* 7. *Res.* 18. quia ageret contra præceptum, & consuetudinem Ecclesiæ in re gravi. Quam ob causam etiam mortale censet Fagund. *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 4. *Persic. &c.* miscere calidam quod; tamen alijs quibusdam nimis durum videtur apud Dian. *l.c.* vbi addit ipse, si in frigidissima regione consuetudo id habeat, ne forté vinum congelescat, posse sine vllo peccato fieri.

3. Mixtio illa facienda est, non in dolio, vel ampulla, aliove vase, sed in calice; neque domi, sed in ipso sacro, vt fit communiter, vel ante offertorium, vel certè immediatè ante sacrum, vt fit apud quosdam. Idque vel ab ipso Sacerdote, vt in Missa privata: vel à Subdiacono; vt in solemni: neque enim sufficit, si caupo illud diluerit. Bonac. *loc. cit.*

4. Si mixtio hæc sit omissa, idque notetur ante consecrationem, calicis, adhuc facienda est: secùs, si post. Bon. *l. c. num.* 5.

5. Præceptum hoc mixtionis non extenditur ad illam, quæ fit post communionem, ad ablutionem oris, & digitorum. *Vide de his Miss. Rom.* Item. Bonacina. *d.* 4. *q.* 2. *p.* 4. Laym. *lib.* 5. *tr.* 4. *cap.* 2.

DVBIVM V.

Quæ conditiones ad materiæ consecrationem requirantur?

Resp. 1. Ad validam consecrationem requiruntur duę, conditiones. 1. Est, vt materia Sacerdoti consecranti, moraliter, & sensibiliter sit præsens. Ita communiter; & est certum. Ratio petitur, tum ex institutione Christi, & verbis formæ, *Hoc*, & *Hic*, quæ non verificarentur, cùm sint demonstrativa: tum ex perpetua Ecclesiæ praxi, nunquam consecrantis, vel etiam benedicentis res absentes: tum etiam ratione sacrificij, quod requirit Hostiam præsentem. Vid. Bon. *d.* 4. *q.* 2. *p.* 6. Lay. *cap.* 2. *Vndè resolves.*

1. Validé consecratur vinum in Calice cooperto, vase, vel cantharo clauso; panis in canistro; Hostiæ in ciborio, vel in cumulo sub alijs latentes, aut aliter tectæ, v.g. sub corporali, vel mappâ, vel etiam in Missali; vt ex Suar. Henriq. Con. docet. Bon. contra. Layman. *l.* 5. *t.* 4. *cap* 2. (vnde hoc postremum dubium videri potest: & saltem peccaret graviter, qui sic tectas; aut latentes consecraret.) Item validè consecrantur Hostiæ præsentes, à cœco, vel alio Sacerdote in tenebris. Ratio horum omnium est, quia ad præsentiam, & sensibilitatem non requiritur, vt materia videatur, vel tangatur, vel feriatur sono verborum, (vnde communiter non probatur praxis eorum, qui os proximè admovent, vt halitum in calicem, & panem inspirent) dummodó videri possit, sive in se, sive in alio, v.g. in suo toto, vel continente, vel vase ad illam continendam destinato. V. Bon. *d.* 4. *q.* 2. *p.* 5.

2. Invalidé consecratur. 1. Materia post parietem, aut post tergum posita, vel clausa in tabernaculo, vt docet Fill. Bona. *q.* 2. *p.* 6. & alij. Ratio est, quia moraliter censetur abesse, cùm non possit demonstrari per ly, *hoc*, & *hic*, neque paries habeat se vt continens, aut tegens. 2. Materia valdè procul, v. g. 100. passibus distans, etsi videri possit. Ratio est eadem. Quanta autem propinquitas sufficiat, dubium est, & ex moralì prudentum iudicio pendet Henr. *lib.* 8. *c.* 34. docet, 10. aut 30. passuum: quod Bona. *l.c.* & alij, putant non esse certum. Vid. Schol. 3. Materia tam modica, vt sensu percipi non possit; tum quia non

non potest demonstrari; tum quia Sacramentum debet esse signum sensibile. Ita Suarez, Vasq. & alij contra Sotum, Henriq. Quod intellige, si non sit in toto, sed extra illud: quia in toto etiam minimæ eius particulæ consecrantur; vt constat ex Trid. *sess.* 23. *c.* 3. & 4. Bon. *loc. cit.*

Secunda conditio, vt materia sit certa, & à consecrantis intentione, & individuo determinata. Est communis, apud Bona. & alios, tum quia hoc requirunt pronomina *Hoc*, & *Hic*: tum quia actiones sunt circa singularia quæ debent esse certa, & determinata, Vid. Bona. *loc.cit. p.5. Vndè resolves.*

1. Invalidè consecraret, qui vellet tantùm consecrare tertiam, vel mediam Hostiæ partem, eam non determinando, vel ex multis, v.g. viginti præsentibus, tantùm quatuor aut quinque, nullas designando: quia non est ratio, cur vna magis, quàm altera consecraretur: Item, qui ex multis Hostijs intenderet illas consecrare, vel illas partes Hostiarum aut vini, quas Deus elegerit, aut Titius designarit; aut partes illas, quæ fractis speciebus sunt mensuræ in continuo, non quæ excident: quia non est materia definita. Bona. *l.c.*

2. Non consecratur Hostia, inscio Sacerdote posita, sive in corporali (seiuncta tamen à cumulo) sive infrà illud. Con. 3.*p. q.*74. *artic.* 2. *d.* 3. & alij ratio est, quia non est determinata in mente Sacerdotis, cujus voluntas non fertur in incognitum. Similiter non consecrantur guttæ, quæ exteriùs calici adhærent, quia non intenduntur. Imó vt probabilius docent Suar. Reg. *t.* 2. *lib.*29. & *c.*2. Lazm. *l.*5.*t.*4. *cap.*2. Con. *q.*74. *artic.* 2. *dub.* 3. contra Tan. & Bonac. nec eæ guttæ, quæ interiùs adhærent, quia intentio Ecclesiæ esse videtur, ideóque, & Sacerdotis esse debet, consecrare id, quòd per modum vnius continui est in Calice. Vndè ne opus sit de detergendis guttis sollicitum esse, benè faciet Sacerdos, si semel, pro semper intendat eas non consecrare, vtì nec micas Hostiæ adhærentes, Vid. Dian. *p.*2. *tit.*3. *misc. R.*16. & *par.*3. *tr.*4. *R.*32. Escob. *t.*7. *E.* 6. vbi docent, Sacerdotem vi particulæ *Hic*, tantùm intendere id consecrare, quod per modum vnius continui potabilis, est in calice, ideoque guttulas illas non consecrari. Quæ sententia probabilis est, ex Reg. Suar. & Layman. *t.*5. *tract* 4. *cap.*2. *nu.*15.

3. Valida est consecratio. 1. Si Sacerdos intendat consecrare ex pluribus Hostijs præsentibus tantùm quinque, eas determinando; vel omnes præter infimam, & supremam cumuli; vel omnes pares, v.g. secundam, quartam, sextam, si sint in ordine collocatæ, & determinetur, vndè numerandi initium sumendum sit; quod tamen grave peccatum erit. Quód si autem hoc, vel alio casu, non consecratæ misceantur consecratis, totus cumulus ad Altare est deferendus, vt Sacerdos intendat consecrare non consecratas, vel potiùs totum cumulum consecret sub conditione. *si non sunt consecratæ.* Card. de Lugo *d.* 4. de *Eucar. nu.*36. 2. Etsi putet, vnam, vel duas, vel sex Hostias consecrandas adesse, cùm sint plures, sive à se, sive ab alio positæ: quia error speculativus, & privatus non obstat intentioni practicæ, & absolutæ consecrandi omnes præsentes. Quam, tanquam Ecclesiæ consuetudini conformem, quisque censetur habere implicitè, vt docent Sylvest.

vest. Henriq. & Suar. Vndè si Sacerdos advertat post consecrationem, esse duas simul iunctas, vtramque vt consecratam sumet, vt habet Missale. Si verò ante consecrationem, postquam obtulit, advertat, alteram seponet, & post Missam, ipse, vel alius sumat tanquam panem benedictum. 3. Si quis plures Hostias ad Altare tulerit; aut rationabili modo adverterit, ab alio adferri à se consecrandas, vel ante sacrificium monitus fuerit, de consecrandis in Altari iam positis. Ratio, omnes enim consecrantur, etsi dum consecrat, earum non ita expressè meminerit, aut etiam ad oblationem nõ detegat, modò sint præsentes in corporali, vel saltem in Altari. Ita Reg. *l.* 27. *nu.*19. Lay. *l.*5. *t.*2. *c.*2. Bon. *t.*1.*d* 4. *q.*1. *p.*2. & alij ab ipso citati. Estque sententia in praxi tuta. Quia intentio præcedens, respectu aliarum virtualiter perseverat. 4. Si parvæ Hostiæ pro comunicando populo afferantur Sacerdoti pauló post actam oblationem (addit Aversa *q* 11. *s.*12. ante cœptam præfationem) licitè eas consecrari suppleta oblatione mentaliter, ex Gavant. & Possev. docent Dian. *p.*2.*tr.*14.*Res.*71.& Tamb. *de exped. sacrif. lib.*2. *c.*5.

Resp. 2. Ad licitam materiæ consecrationem requiritur. 1. Vt non sit maior quantitas, quàm tempore opportuno possit absumi: quia periculum esset, ne species computrescerent. Bonac. *loc. cit.* 2. Vt ab vsu Ecclesiæ, præsertim in Missali præscripto, non recedat. *Ex dictis resolves.*

Peccat. 1. Qui vas, in quo Hostiæ consecrandæ sunt, non aperit. 2. Qui consecrat materiam positam extra corporale. 3. Qui intendit consecrare guttas Calici adhærentes exteriùs, quod esset grave: de interiùs adhærentibus est dubium, (quia non constat satis de mente Ecclesiæ) ad quod evitandum Gavant. *p.*2.*t.*7. iubet eas abstergi, quod consuetudo probat. Qui tamen id omittit, eum non peccare, docet Tambur. *l.*2. *c.*1. §.3. imó nec expedire, si eas advertas, quando discooperto Calice, iam iam es consecraturus, & elevationem populus expectat. Post consecrationem autem nullo modo sunt abstergendæ. 4. Qui ante consecrationem ita statueret, nolo consecrare Hostias appositas, nisi tempore consecrationis, vel saltem oblationis fuero memor. Ita Præp. *hic ar.*2. *d.*2. Lay. *l.c.* etsi Tamb. *de exped. sacrif. c.*1. §.3. eo casu nullum peccat. magnoscat.

DVBIVM VI.

Quæ sit forma consecrationis Eucharistiæ.

RESP. Est duplex, vna panis, & est hæc; *Hoc est enim corpus meum.* Vbi omnia sunt de essentia, præter ly *enim*, cuius omissio esset veniale. Altera vini; & est hæc: *Hic est enim Calix Sanguinis mei novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Vbi etsi verior, & communior sit sententia S. Bonavent. Suar. Bell. & aliorum contra S. Thom. & Thomist. quòd essentialia sint; tamen hæc: *Hic est Calix Sanguinis mei:* vel, *Hic est Sanguis meus*, aut eis æquivalentia graviter tamen peccaret, qui aliqua ex reliquis omitteret, vel mutaret. Debent autẽ formæ proferri in personâ Christi, formaliter, & significativè, sivè assertive; & nõ tantùm recitativè, sive historicè, licèt ea, quæ in Canone præcedũt, dicantur tãtùm recitativè, seu histo-

historicè. Vid. Laym. *cap.*3. Bon. *q.*3. *punct.* 2. Card. de Lug. *d.*11. *s.*5. *Vndè resolves.*

1. Valida, sed illicita est consecratio. 1. Si consecrans dicat: *Hic cibus, hic potus, hic Calix*, vel *hæc res*, vel *contentum sub his speciebus, est Corpus meum, vel Sanguis meus*. Bonac. *loc. cit. par.* 1. 2. Si dicat: *Hic Calix est novum Testamentum in Sanguine meo*, vt habet Sanct. Lucas *cap.*22. 3. *Hoc est Corpus meum quod de Virgine sumpsi: hic est Sanguis meus infiniti valoris.* 4. *Hoc est meum Corpus: hic meus est Sanguis*, vel *hic est Sanguis meus*: Ratio horum est: quia manet idem sensus, nec fit mutatio substantialis. Bonacin. *loc.cit.*

2. Invalida erit consecratio, si dicas. 1. *Hìc* (adverbialiter) *est Corpus meũ.* Si autem ly. *Hic* ponatur masculinè, pro neutro, valet, etsi non secundùm Grammaticam. Escob. Granad. 2. *Hoc Corpus est meum; hic Sanguis est meus.* Fagund. *p.* 3. *q.* 78. *cap.*2. 3. *Ecce Corpus meum: Ecce Sanguis meus.* 4. *Hoc sit*, vel *hoc fit Corpus meum: vel Hic panis convertitur in Corpus meum*: vel *Hìc ponitur Corpus meum.* 5. *Illud est Corpus meum: Ille est Sanguis meus.* 6. *Hoc est substantia mea*: vel *hoc est Corpus Christi.* Bon. *loc. cit. p.* 3.

3. Dubia erit consecratio. 1. *Istud est Corpus meum: Iste est Sanguis meus.* 2. *Hæc est Caro mea*, quam tamen Lay. contra Conin. putat valere. 3. Secundùm quosdam forma ex *S.* Luca primo casu allata. Vid. Bonac. *q.* 3. *p.* 1. & 2. Reg. *l.* 29. *c.* 33.

DVBIVM VII.

Quandiu Christus maneat in Eucharistia?

RESp. Manet sub speciebus etiam divisis, & sub quavis earum minima parte, donec tanta earum fiat mutatio, vt consueta substantia panis, & vini corrũperetur. Ita commun. cum S. Th. Est certum. *Vndè resolves.*

1. Gratia datur in prima manducatione etiam primæ partis, cùm sit totum Sacramentum. Manducatio autem dicitur traiectio ex ore versus stomachum, etsi alij dicant gratiam tunc primùm dari, cùm pars aliqua est in stomachum recepta. Dian. *p.* 3. *t.* 6. *misc. Res.* 96. ex Henriq. Sylv. & Fagund. Item Card. de Lugo *d.* 12. *s.* 2.

2. Species non sunt retinendæ in ore tandiu, donec penitùs pereant: quia tunc non manducaretur Christus: nec gratia Sacramenti conferretur. Vtì neque, si moriaris, dum Hostia adhuc est in ore. Dian. *l.c.* contra Bec. *c.*22. V. Bon. *d.* 4. *q.* 5. *p.* 2. *num.* 2.

3. Si quis partem vini, vel Hostiæ sumpsisset indispositus, & deindé se disponeret, acciperet adhuc gratiam in sumptione alterius partis. Quod etiam aliqui, vt Gab. Caiet. & alij, probabiliter dicunt futurum, si se disponat antequam species consumantur in stomacho. Dian. *l.c. R.* 96. ex Nuño, V. C. de Lugo. *d.*12. *s.*2. *nu.*46. & 53. & 64. vbi illud posterius negat. V. Bonacina. *loc. cit.*

4. Non videtur reprehendendus laicus, qui desiderat esse Sacerdos, vt possit communicare sub vtraque specie, quod putet plus gratiæ dari sub vtrâque quàm vnâ: quia id fieri, non est improbabile, vt docent Vasq. Mœr. Card. de Lugo *d.* 12. *s.* 3. & alij. Vtì nec carpenda devotio illius, qui multum materiæ sumit ad consecrationem, ea mente, ne tam citò in stomacho species consumantur, & sic diutiùs secum Christus maneat, & sæpiùs gratiam augeat: quod fieri non est improbabile, si dispositio subiecti fiat melior, vt docent. Suar. Con. item Fagund. & Bec. apud Dian. *p.*3. *t.*6. *misc. Res.* 97.

5. Species per vomitum reiectæ, si tales sint, vt sub illis panis, vel vinum posset existere, veré sunt adorandæ; & si iterùm sumantur, iterùm conferre gratiam, docet Cardin. de Lugo *loc.cit. n.* 53.

6. Etsi, si modicum vini consecrati, misceatur perfectè cum alio liquore, ita vt non maneret substantia vini, desinat ibi esse Christus, non tamen desinit, si misceatur cum vino alio saltem eiusdem speciei. Cardinal. de Lugo *d.* 10. *sect.* 3. Vndè si gutta consecrata lapsa sit in dolium vini eiusdem speciei, totum illud vinum adhibendum tandem est pro sacrificio, licèt quidam dicant bibi posse à laicis.

7. Si species consecratæ liquorem specie diversum sibi permixtum convertant in vinum, similis substantiæ ei, in quo facta est consecratio, species priores manent consecratæ, non item posteriores adiunctæ.

CAPVT II.

De causis, & subiecto Eucharistiæ.

DVBIVM I.

De causis.

AGo hic tantùm de efficiente, idest, Ministro: in quo quid requiratur ad confectionem validam, constat, tum ex dictis *de Sacramentis in genere*, tum ex superioris capitis *dub.* 5. Quid ad licitam requiratur, patebit ex sequenti dubio *de subiecto suscipiente Eucharistiam*: quia omnes dispositiones, quæ ad dignè suscipiendam sunt necessariæ, requiruntur etiam ad licitam confectionem, cùm conficiens necessariò suscipere debeat. Hic ergo tantùm quæritur. 1. Cuius sit dispensare Eucharistiam. 2. Quid ex parte Ministri requiratur ad licitam dispensationem.

ARTICVLVS I.

Ad quem spectet dispensatio Eucharistiæ?

RESp. Eucharistiam dispensare, ex officio potest solus *Sacerdos* habens iurisdictionem ordinariam, delegatam, aut saltem rationabiliter præsumptam, vel privilegium: Ratio est, quia Pastorum proprium est pascere, quod præcipuè fit per *Sacramenta*. Vid. *Bona.d.*4.*q.*5.*p.*1. C. de Lug. *q.*18. *s.*2. *Vndè resolves.*

1. Peccat mortaliter, qui sine omni iurisdictione Eucharistiam dispensat Bona. *l. c. p.* 2. quia violat alterius iurisdictionem in re gravi. Inferior autem *Sacerdos* incurret insuper irregularitatem, docet Conin. *hìc.* Religiosi etiam ipso facto incurrunt excommunicationem Papæ reservatam; si (scilicet sine licentia Parochi, & quidem speciali,) præsumant Clericis, aut laicis dare Extremam Vnctionem vel Eucharistiam, vel Matrimonia solemnizare; nisi habeant privilegium, vel Parochus absit, aut iniustè nolit in articulo mortis. A dicta tamen excommunicatione excusare ignorantiam, etiam crassam ex Præp. & c. notat Dian. *par.*5. *tr.*3. *res.*51. idque propter verbum *præsumant.*

2. Licitè ministrat Eucharistiam, qui

qui præsumit rationabiliter, Pastorem, factum suum approbaturum esse. Reg. *l.29. nu.91. l.c. nu.7.*

3. Si infirmus sacro Viatico muniendus sit, & proprius Pastor absit, vel præsens non possit deferre Eucharistiam, quivis alius Sacerdos, vel regularis, vel sæcularis, & hoc deficiente, etiam Diaconus, ei conferre potest: quia tunc præsumitur voluntas Episcopi, aut Papæ. Ita Laym. *l.5. r.4. c.7.* Bon. *l.c. nu.* 10. ex Suar.

Dixi in responsione: *ex officio*: quia extraordinariè, in statu necessitatis, id potest Diaconus ex commissione Parochi, (& secundùm Quint. si absit, sine ea) v.g. in magno Festo, quo Sacerdos Confessionibus, Concionibus, &c. est occupatus. Dian. *p.9.t.6. res.39.* ex Præpos. In extrema verò necessitate v.g. articulo mortis, si non esset alius, etiam Diacono, imó laico licere (secluso scandalo) & alios, & seipsum communicare, probabile est; vt contra Henriq. Vasquez, & Sà, docent Suarez, Con. Layman. Præpos. *hìc d.2. cap.*11. confirmatque Dian. *p.8. t.1. res.*48. ex Aversa, & Franc. Lugo. Sed Amic. limitat ad casum, quo moriturus, peccati mortalis conscius, aliud Sacramentum suscipere non posset. V. Dia. *p.9. t.6. res.39.* In praxi tamen id non facilè faciendum, ob contrariam consuetudinem. Card. de Lugo *d.18. s.2.* Bon. *d. 4. q.5. p.1. Vndè resolves.*

Probabile est, etiam extra mortis articulum, ex gravi causa, licere Sacerdoti, præciso scandalo, sacram Hostiam sumere ex sacrario, vel à Diacono allatam, sibi ipsi dare, v.g. si in longo morbo diu non communicasset, vt contra Suar. & Con. docent Fagund. *p.3. l.3. c.2.* Præp. Escob. *t.7. Ex.6.* Bon. *l.c.*

Dixi, 1. *Vel privilegium* quale habent Religiosi Mendicantes, & nominatim Soc. Iesu, ex Pauli III. Bulla, & aliorum, vt scilicet in suis Templis, per se, vel per alios Sacerdotes illic celebrantes, communicare possint quoscunque Christi fideles, præterquam in mortis articulo, in quo tamen, si vigeat necessitas, præsumitur ratihabitio Papæ, etiam invito Parocho, vt habet Bona. *hìc*, & Festo Paschatis. Vide Cardin. de Lugo *loc.cit. s.2. nu.38. & 49.* Porrò per *Festũ Paschatis*, Pontifices hìc videntur intelligere, & prohibere Communionem illam, quâ satisfit præceptò annuæ Communionis, vt docent Sà, Filliu. & commun. Per *Mortis articulum*, intelligitur tempus, quò vel mors proximè instat, & moraliter certa, & inevitabilis est; vel quò est mortis periculum, idest, probabile dubium de vitæ conservatione tali casu, quo valdè frequenter mors solet accidere. Suarez. *t.4. de Rel. lib.2. cap.3. & 3.p. d.26. s.4. & alij.*

Ex dictis resolves, quòd regulares licitè dent Eucharistiam in articulo mortis, vti & Paschate sequentibus casibus.

1. Si extrema sit necessitas, vt si periclitetur de salute æternâ.

2. Si sit gravis necessitas, idest probabile mortis periculum, & Parochus nolit, vel non possit dare. Card. de Lugo *d 18. s.2. nu.53.*

3. Si à Pontifice, vel Episcopo habeant privilegium: quale hoc tempore habent Religiosi aliqui, quibusdam locis ab Episcopis, dandi Communionem Paschalem.

4. Si quis in Paschate non possit in sua Parochia communicare, nec petere veniam à Parocho.

Si

5. Si ratione Communionis Paschalis, Parochię suæ antè satisfecerint, aut posteà satisfacturi putentur, quia tunc Parochis nihil decedit, cùm ipso die Paschæ abstinere à Communione possint. Sic. contra Henr. & Navar. docent Sà, Fill. & Laym. qui addit, nisi constaret Parochum esse invitum, ac rationabiliter id prohibere, v.g. quod aliàs rationem Communicantium habere in sua Parochia non possit: tunc enim ad Parochiam esse rejiciendos. C. de Lugo *d.8. s.2. nu.50.* Bon. *l.c.*

6. Si ægrotus necdum pervenerit ad eum statum, vt ex præcepto teneatur ad Communionem: etsi tunc maneat obligatus suscipere Communionem ex manu Parochi, in articulo mortis.

7. Si ægrotus satisfecerit præcepto de Viatico, cum intentione illud implendi; quia administratio Eucharistiæ tantùm est verita regularibus, quando præceptum Cõmunionis obligat. Nunquam tamen sine licentia Episcopi, vel Parochi licet Religiosis publicè Eucharistiam deferre per plateas, cùm id iuri Parochorum consuetudine obtento, deroget; proindé eo casu in ægroti Oratorio, aliove honesto domûs loco, de licentia Ordinarij privatìm facto sacro, Eucharistia est danda. Ita Suar. Vid. Diana *p.4. t.4. res.14. & p.9. t.9. res.63.*

8. Quibusdam, qui frequenter cõmunicant apud Religiosos, nec possunt adduci, vt communicent in Parochia, idque ex tacito, & præsumpto consensu, quem Laym. *l.5. t.4. c.7. nu.4.* putat faciliùs posse præsumi in militibus præsidiarijs; item in Aulicis, Studiosis, alijsque Academicis, &c. qui frequenter communicantes extra suspicionem esse solent. Vid. Laym. *l.c.*

9. Si in Paschate sint vagi, peregrini, & advenæ secundùm sententiam probabilem multorum, vt Sanc. *de matr. l.3. d.37.* Fagund. *præc.1. Eccl. l.1. c.* 8. C. de Lugo *l c.* Dian. *p.2. t.2. res.12.*

10. Si sint famuli, vel domestici, vel familiares eorum: qui circa tales habent privilegium. Vid. *Compend. privil. Societatis. V. familiaris*; & Dian. *p.2. t.1. de dubijs regularum res.12.*

ARTICVLVS II.

Quid requiratur in Ministro, ad licitam administrationem Eucharistiæ?

Resp. 1. Vt minister circa Eucharistiæ distributionem non peccet, præter gratiam, etiam reverentiam in eo, tum ratio, tum Canones requirunt; ita vt præstet hoc Sacramentum omitti, (cùm eius susceptiò sæpè sit necessaria ad salutem) quàm admitti positivam irreverentiam. *Vndè resolves.*

1. Eucharistia non est deferenda ad infirmum, nisi cum habitu decenti, idest, cum stola, & superpelliceo, ac præcedente lumine (secùs est de Extrema-Vnctione, cuius materia, cùm non sit Sacramentum, non requirit tantam venerationem) Putant tamen quidam, si habitus haberi non possit, aut sit tempestas, aut iter faciendum, non fore irreverentiam, si Sacerdos Eucharistiam in pyxide, vel corporali involutam, in sinu suo clàm deferat. Quod certùs videtur licere in locis hæreticis, vbi etiam in necessitate, & clàm, præciso scandalo, poterit porrigi sine stola, & superpelliceo; etsi nullo modo celebrandum sit sine vestibus sacris ob Viaticum dandum. Bon. *d.4. q.5. p.2.*

T Præstat

Universidad de Deusto Biblioteca

2. Præstat ægrum incommunicatum mori, quàm Sacerdotem in habitu, cum Sacramento per publicum currere, (etsi festinare valdè debeat, vt dicit Quint. *t.*4. *s.*8.) Secùs est in Baptismo, & Pœnitentia, si probabiliter timeretur, ne ægrotus decederet in mortali: tunc enim curendum esset, vt habet Bon. *l.c.* S. Thom. Possev. & alij.

3. Ad infirmum longé distantem licere Parocho Eucharistiam deferre in equo mansueto, ita vt non sit periculum lapsus, docet Quint. *t.* 4. *s.* 8. Sed negant Possev. & Barb. nisi loci consuetudo permittat: adduntque non licere pyxidem dare portandam laico, quantumvis Pastor sit fatigatus, sed potiùs ex collo suspendendam butsam.

4. Eucharistia non est deferenda ad ægrum, venerationis tantùm causa, vt adoret, vel osculetur, si sumere non possit. Quod etiam prohibuit Congregatio Cardinalium: quæ tamen non videtur prohibere, vt venerationis causa deferatur ad lectum, si in domo celebretur.

5. Non licet dare Eucharistiam alijs digitis, si indice, & pollice, ob chiragram, dari non possit, vt docent Bon. *d.*4. *q* 5. *p.*2. & Possevinus, contra Tol. cuius sententia tuta videtur, si aliàs æger sine Viatico esset moriturus; præsertim si tunc detur duobus indicibus.

6. Non licet tempore pestis porrigere Eucharistiam medio aliquo instrumento; (multò minùs deponere alicubi in scutella, vt ab ipsomet ægro sumatur) sed manu danda est, vt docet Bon. *d.*4. *q.* 5. *p.* 2. ex Suar. & alijs, quamvis Possev. *c.* 8. non improbabiliter dicat, posse præciso scandalo, & periculo lapsûs in terram, instrumento ad id ritè confecto dari. Vid. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *res.* 114. Bon. *l c. p.*2. quod in praxi pro ægroto, qui non potest traijcere Hostiam, vt scilicet ei detur Eucharistia, impositâ particulâ Hostiæ cum vino in cochleari admittit Præp. *in* 3. *p. q.*80. *ar.*5 *dub.*6. & Escob. *t.*7. *c.* 6. Dian. *p.*4. *t.*4. *res.*104.

7. Sacerdos podagra laborans, potest deferri ad Altare, vbi Eucharistiam administret; seclusâ tamen aliâ prohibitione. Ita Possev. *c.* 5. *nu.* 50. Bonacina. *loc. cit.*

Resp. 2. Requiritur præterea, vt eam dispenset ritu Ecclesiæ consueto: deindè vt eam neget (per se loquendo) indispositis animâ, vel corpore: deniquè si Pastor sit, vt ministret eam ovibus quoties rationabiliter petunt. Bon. *d.*4. *q.* 5. *p.* 1. *nu.* 15.

Dixi. 1. *Ritu Ecclesiæ*: quia legitimus Ecclesiæ ordo sub peccato obligat. *Vndè resolves.*

Peccat. 1. Qui Eucharistiam dat sub vtraque specie, locis, vel personis, quibus à Pontifice non est concessum. Item si morituro, qui ob linguæ ariditatem non potest Hostiam traijcere, det species vini, licèt talem à mortali excusare conetur Amicus apud Dian. *p.* 8. *t.* 1. *Res.* 24. Bon. *l.c.* Sanch. Possev. Barb. contra ipsum Dian. *p.*9. *t.*9. *Res.*64. 2. Qui dispensat sine veste sacrâ, vel lumine, aut prævia Confessionis generalis formulâ. 3. Qui laico dat Hostiam maiorem, in necessitate tamen, vel in casu magnæ devotionis, licet ex maiore particulam defractam dare; vel etiam in defectu minorum plures maiores consecrare; easque deindè in minores partes (non tamen adeò parvas, vt honestè dari non possint) divisas distribuere. Ita Sà. *V. Eucharistia d.* 4. *q.* 5. *p.* 1. *nu.* 14.

Dixi

Dixi. 2. *Per se neget*: quia aliàs cooperabitur peccato. Per accidens tamen sæpé dare potest, v.g. si sine scandalo, aut gravi damno suo, vel pœnitentis negare non possit Vid. Bon. *l.c.* Possev. *c.* 5. *nu.* 8. *Vndè resolves.*

1. Peccat. 1. Qui dat pueris, ante annum discretionis, (nisi in articulo mortis, vt vid. *dub. seq. art.* 3.) qui forté circa annum decimum incipit. 2. Qui dat amentibus, quando nunquã sunt vsi ratione. Si veró vsi sint, potest, & debet illis dari in articulo mortis, si possit sine periculo irreverentiæ, & non constet incidisse in amentiam in statu peccati mortalis. Lay. *hîc c.* 4. *nu.* 4. 3. Qui dat peccatori publico, v.g. histrioni, turpes comœdias cum mortali repræsentanti, vsurario, meretrici, concubinario, de quibus Vid. Fill. *t.* 4. *nu.* 166. *& seq.*

Dixi, *Publico*: quia si occultè tantum scias esse indispositum, occultè quidem, non tamen publicè petenti, est neganda; nisi indispositio ex confessione sit nota: tunc enim, extra eam, ne quidem licet monere, vt docent Sanch. Bon. Layman. *l.* 5. *tr.* 4. *cap.* 6. de Lugo *d.* 8. *de Sac. s.* 8.

2. Peccat item, qui negat Reis morte plectendis, (quibus etiam potest dari aliquot, imó vna hora ante mortem, vt habet Sà: danda verò est, si fieri potest, non in carcere, vel alio loco inhonesto) etiam ob crimen sagarum captis, dummodò pœnitentiam præseferant: etiamsi crimen negent, & violenta duret suspicio. Tan. *to.* 3. *q* 5. *d.* 4.

3. Rectè facit. 1. Qui rarò, v.g. in Paschate, dat communionem semifatuis, & qui debilem habent rationis vsum, si saltem hunc cibum à profano distinguere norint, vt habent Henr. & Possev. Idem fere dicendum est de surdis, & mutis à nativitate. V. Lay. *hîc.* 2. Qui dat obsessis à Dæmone, dummodó sine irreverentia possint sumere. Ita Suar. Bon. Regin.

Dixi. 3. *Si Pastor sit. Vndè resolvès.*

1. Talis peccat graviter contra iustitiam, & charitatem, si subditis in periculo mortis, licèt peste infectis, non det. Alius verò Sacerdos, qui in tali casu, absente, vel nolente Parocho, nollet dare, peccaret tantùm contra charitatem etsi secundum Chapiavillum mortaliter. *q.* 73. *nu.* 2.

2. Pastor vt Eucharistiam opportuné petentibus possit ministrare, tenetur eam asservare, cum lumine in Ecclesia (nec licet alibi, ne quidem in Sacellis nobilium, vel choro monialium, aut intra septa Monasterij earum, vt habet Trid. *sess.* 15. *de reform. cap.* 10. nisi cum facultate in solemni festo) in pyxide; quæ non necessariò est consecrata, licet si consecrata non sit, debeat interiùs vestiri vittâ lineâ, ex telâ consecratâ, vt ex S. Thom. docent Vasq. Azor, Regin. *in Praxi tom.* 2. *l.*29. *c.* 9.

3. Si ob graviter culpabilem negligentiam Parochi (vel eius, cui ista cura commissa est,) integro die, vel aliquot integris noctibus, lumen non ardeat ante venerabile Sacramentum, peccare eum mortaliter (secùs si per horam tantùm) docet Quintan. *t.* 4. *s.* 1. *&* 7. item Dian. *p.*9. *t.*6. *R.* 34. licét March. *in resol. Pastor. t.*4 *c.*5. *q.* 4. obligationem, & consuetudinem tam vniversalem neget: vti & de lumine præferendo, quando defertur Sacramentum foras; atque ex causa id posse omitti, vt cùm defertur ad ægrum longè distantem,

Universidad de Deusto Biblioteca

nec commodè fieri potest cum lumine.

DVBIVM II.

De subiecto, seu suscipiente Eucharistiam.

ARTICVLVS I.

Quæ requiratur in eo dispositio animæ?

RESp. Qui est in mortali, tenetur sub mortali, ante sumptionem Eucharistiæ confiteri, nisi sit necessitas celebrandi, vel communicandi, & Confessarius desit. Ita Trid. *sess.* 13. *c.* 7. *&* *Can.* 11. vbi contrarium docentes, excommunicantur de facto. Fundatur autem in illo Corint. *Probet autem seipsum homo, &c.* Et parum refert ad praxim, vtrum tantùm sit præceptum Ecclesiasticum, an tantùm divinum, quod est probabilius, vt docent Suar. Fill. *& alij commun.*

Dixi. 1. *In peccato mortali*: tum quia Eucharistia delet venialia, ex opere operato; tum quia venialia, (esto comitentur imó reddant venialiter malam ipsam sumptionem) non ponunt obicem gratiæ sanctificanti. Quód si tamen multa sint, & intra genus suum gravia, de quibus nulla pœnitentia concipitur, actualem devotionem, & fructum maiorem impediunt. Suar. Layman. & alij. *Vndè resolves.*

1. Qui dubitat, an peccarit mortaliter, vel an mortale sit rite confessus, tenetur ante communionem confiteri. Ita Bon. *d.* 4. *q.* 6. *p.* 1. ex Sanch. Regin. Suar. & alijs.

Dixi. 2. *nisi sit necessitas*, (non quæcunque, v.g. festi celebritas, vel magna devotio, vt quidam volunt) *sed gravis, sive vrgens*, qualis esse censetur in sequentibus casibus, præmissâ tamen semper contritione: ad quam tunc teneris, nisi de peccato, quod occurrit, fueris ante contritus. Præp. de Lugo *d.* 14. *sect.* 6. *n.* 122.

1. Periculum mortis, vel vt consecretur Hostia pro morituro. Suar. Con. C. de Lugo *d.* 4. *s.* 5. *n.* 107.

2. Si sacrificium, vel communio non possit omitti, absque gravi infamiâ, vel scandalo *Ijdem Auct.*

3. Si Parochus debeat celebrare ex officio, vt populus sacrum audiat. *Ibid.* Ob quam causam etiam alteri, qui non est Parochus, id licere putat Dian. cum alijs 11. *p.* 9. *to* 3. *R.* 9. contra Palaum, Aversam, &c.

4. Si vrgeat præceptum de annua communione, vt docet Henr. & probabile putat Præp. vel si Sacerdos non possit audire Missam, nisi celebret, vt habet Henriq. & Sotus, Dian. *R.* 63. *&* 64. nec improbat de Lugo *l. c.* Probabiliùs tamen videntur docere Con, Sâ, Suar. & alij cessante scandalo, & infamiâ, præstare tunc sacrùm, & communionem etiam Paschalem, intermittere, eò quòd hæc præcepta non obligent, quando non possunt impleri convenienter iure divino.

5. Si Sacerdos post consecrationem committat mortale, vel ante commissi recordetur, tenetur elicitâ contritione, sacrificium prosequi. Si verò id fiat ante consecrationem, & presertim ante Canonem, debet confiteri, si absque nota infamiæ potest, vel recedere, vt docent Sylv. Nav. Dian. & alij contra Sotum, & Henriq. qui negant teneri, ob honorem sacrificij; putantque practicè esse probabile Laym. & Bon. eò quòd vix sine aliqua nota, confessio decenter fieri

fieri posset: nisi fortè in Missa solemni, sub cantu, vel concione: quo casu tenebitur confiteri, vt notat Sylv. Quòd si verò nec contritionem possit elicere, secundùm communem sententiam, esset confitendum; vel desistendum, licèt Vasq. *in* 3. *p. t.* 3. *d.* 27. & Hurt. *de Euch. d.* 8. putent probabile esse, saltem non peccaturum mortaliter, quando non potest sine nota recedere, intellige, si conatus sit elicere, vel fecit quod potuit Vid. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *resol.* 98. C. de Lugo *d.* 9. *s.* 2. *nu.* 8. vbi idem docent. Notat autem Dian. ex Præp. satis esse, si quis bonâ fide putet se contritum, licèt subdubitet.

6. Si in scamno communicantium recorderis peccati mortalis, quod oblitus es confiteri, nec sine nota, aut scandalo gravi possis recedere, vt habet Nav. Fill. Regin. de Lugo *l.c. nu.* 112. & alij: porrigenti autem Eucharistiam confiteri non expedit, nec decet, quo casu etiamsi nequidem possis elicere contritionem, excusat à peccato Hurt. *l. c.* Imò quidam DD. apud Henriq. excusant laicum antè confessum, etiam præcisâ notâ, & scandalo, non recedentem, eò quòd is dicatur iustificatus, & probatus per confessionem. Quàm sententiam probat Tamb. *in exped. com. c.* 1. §. 8. potestque servire pro scrupulosis. V. Regin. *l.* 29. *nu.* 105. Bon. *d.* 4. *p.* 10. Esbob. *t.* 7. *c.* 6.

Dixi 3. *Et desit confessarius*; deesse autem censetur; non vt quidam volunt, si absit is, cui solet, & cuperet confiteri; vel cui devotiùs, aut vtiliùs confiteretur: neque etsi Religiosus non possit nisi sæculari confiteri peccata gravia, cum aliqua infamia Religionis. Amicus Diana *p.* 9. *t.* 3. *R.* 13. sed in sequẽtibus casib^s.

1. Si nullus sit præsens; ad absentem verò sine magna difficultate (spectatâ tùm debilitate, & negotijs personæ, tum alijs circunstantijs, vt aëris, brevitatis temporis) adire non possis. Bon. *l.c. nu.* 30. ex Suar. Con. &c.

2. Si non adsit nisi ignarus idiomatis, vel carens iurisdictione, vel excommunicatus, vel non approbatus, vel cui non possis confiteri sine gravi damno tuo, vel alieno, vel si habeas peccatum tantùm reservatum, nec pateat aditus ad superiorem, vel Superior semel, iterumque per pium Confessarium rogatus negaverit potestatem absolvendi. Tamb. *in exped. tomm. cap.* 1. §. 6. ex Fag. Limitat autem Dian. *p.* 9. *t.* 3. *R.* 15. si absque gravi nota prętermittere non possis. Ita Sylv. & alij. Requiritur tamen, in his etiam casibus, contritio, & propositum confitendi, imó ex præcepto Trid. Sacerdos, qui in tali celebravit, tenetur primâ occasione confiteri. Quod præceptum extendendum non videtur ad Laicos, vel Sacerdotes communicantes tantùm, vt contra Navar. & Fagund. docet Sylv. Dian. & Bon. *d.* 3. *q.* 6. *p.* 1.

ARTICVLVS II.

Quæ requiratur dispositio corporis?

RESp. 1. nulla corporis macula per se impedit susceptionem Eucharistiæ; cùm parum faciat ad bonitatem, vel malitiam moralem: potest tamen aliquando per accidens impedire, propter effectus secutos. Ita comm. *Vndè resolves.*

1. Non impedit pollutio involuntaria, imò nec voluntaria per pœnitentiam expiata, nisi effectum malignum, v.g. turpem recordationem, ac delectationem,

tionem, vel distractionem, & perturbationem animi relinquat: eo enim casu, vti, & semper, post culpabilem, præstat, ac secundùm sententiam communem, sub veniali debet differri, nisi aliud suadeat iusta aliqua causa, v.g. magnus fructus festivitatis, regula ordinis; vel si à Dæmone excitata putetur, ad communionis frequentiam impediendam. Sanch. *l.9. de matr. d.*13. Bon. *d.* 4. *q.* 6. *p.*2. C. de Lugo *d.*15. *s.*1.

2. Neque actus coniugalis impedit, etsi decens, & consilij sit, abstinuisse saltem nocte proximé antecedente, si raró communicet. Ita Fill.& Sanch. *l.c.* Escob. *t.*7. *E.*6. *nu.* 83. Intellige, si debitum petitum ex necessitate reddidit, nec vllam inde animi perturbationem, aut affectum ad res venereas patitur: si verò voluptatis causa fecisset, eo die abstinendum esse, (præsertim si malignus effectus subsecutus fuisset) docet Regin. *l.*29. *t.*117. Laym. *l.* 5. *t.*4. *c.*6. *num.* 10. & 16. Mart. Perez *d.*46. *s.*3. *nu.*8. addens esse tantùm veniale; imò indecentiam iustâ causâ posse resarciri.

3. Similiter etsi decens, & consilij sit, sumptâ communione abstinere eo die à copula; licita nihilominus est ex bono fine, v.g. ex amore prolis, ad vitandum incontinentiæ periculum, vel ad debitum reddendum. Tamb. *c.* 3. §. 46. ex Sanc. *l.9. d.*13. & March.

Resp. 2. ex præcepto Ecclesiæ tenetur communicaturus, sub mortali, regulariter esse ieiunio naturali, idest, vt à medio noctis nihil omninò per modum cibi, potûs, aut medicinæ sumpserit. Ita commun. Et est certum ex Concilijs, quæ vide apud Fill. Laym. Bon. C. de Lugo *l.c. Vndè resolves.*

1. Etsi parvitas materiæ non excuset hic; non obstat tamen communioni. 1. Reliquias ciborum inter dentes hærentes traijcere casu, (negant enim Præp. Vasq. & alij si fiat de industriâ, contra Tann. Con. *q.*80. *ar.*8. *nu.*47. & Dian. qui contrarium probabile affirmant) licèt eas expuere omninò deceat. Dian. *t.*4. *de Sacr. res.*37. & *p.*4. *t.*4. *r s.*104. Vide Escob. *tr.*7. *E.*6. & C. de Lugo *nu.* 36. Vbi notat sententiam istam Tan. & Dian. ad hoc servire vt studiosè dentes antè expurgare, ne quid fortè casu decidat, non tenearis. 2. Sanguinem, vel alium humorem ex capite defluentem, vel guttulam aquæ, aut vini, casu per ablutionem oris, vel guttulam iusculi, dum sapor deploratur, per modum salivæ, cui mixta est, vel culicem inter respirandum traijcere. Ratio est, quia hæc aut non sumuntur, scilicet ab extrinseco, aut non per modum cibi aut potûs. Vide Fag. *præc.* 3. *cap.*5. Card. de Lugo, *loc. cit. nu.*23. 3. Si aromata, vel folium tabaci, ex causâ, ori imponas, mastices, vel quid aliud gustes, modò nihil transmittas. Præp. *in* 3. *p. q* 80. *ar.*8. *d.*1. *nu.* 29. Card. de Lugo *R. mor. l.*1. *d* 9. Idem de fumo tabaci, docet Gran. *in* 3. *p. c.* 6. *t.*19. *d* 8. *nu* 4. (licèt indecens valdè id videatur, nisi iusta ex causa fiat) & Escob. *t.*7. *E.* 6. vbi de eiusdem pulvere per nares attracto idem colligit, ex Suar. & Fag. Idem tenet Dian. *p.* 8. *t.* 7. *R.*3. C. de Lugo *R. m. t.*1. *d.*9.

2. Probabile est, non impedire communionem, si frustillum ligni, carthæ, vnguium, vel lapillum deglutias: quia non habet rationem cibi, vel potus. Ita Dian. *l.c. R.* 38. & *tr. de celeb. Res.* 52. ex Ledesm. & Sanch. contra Henr. Reg. Layman. & alios, quorũ sententia tutior est, Vide C. de Lugo, & Esc.

Non

3. Non licet communicare his casibus. 1. Si saccarum, liquorem glycyrrhizæ ore resolutum cum saliva traijcias. Si verò dubium sit, numquid deglutiveris, vel an factum sit post medium noctis, probabiliter docet Laym. *lib.*1. *t.*1. *c.*1. contra Sanch. Fagund. non impedire communionem, vel sacrificium. Vid. Dian. *l. c. res.* 29. supra *l.*1. *t.*1. *cap.*2. *d.*3. 2. Si vesperi decumbens aliquid ori contra raucedinem imposueris: nisi certus sis, post medium noctis te nihil transmisisse. Ita Suar. Filliu. C. de Lugo *l.c. nu.* 37. & alij. Licitum autem est, inter horologia dissonantia quodvis sequi, etiam vltimum, modò non constet errare: quia, habet se vt auctor bonus, faciens opinionem probabilem, vt habet Sanch. *l.*2. *d.*1. *de matr.* Fag. Ioan. Sancius, Card. de Lugo *num.* 45. Dian. *l.c. resol.*36. 3. Si aliquid sumpserit, licèt mox reiecerit. 4. Si tabaci fumum in stomachum traieceris, vt docet Præp. etsi alij meritò dubitent. Tann. *t.*4. *d* 5. Gran. autem *in* 3. *p. c.*6. *t.*10. *d.*8. negat. 5. Si Sacerdos nocte Nativitatis in prima Missa, ablutionem; vel lambendo digitos modicum aquæ, aut vini sumpserit. Vid. Bona. *d.*4. *q* 6. *p.*2.

4. Non est peccatum, per se loquendo, cibum sumere (vel expuere, Tambur. *c.*1. §.1.) statim à communione, vt ex S. Thom. docent Azor. Sanch. Bona. *d.*4. *q.*6. *p.*1. *nu.*25. vndé eum qui paulò ante medium noctis cœnasset in Dominica pridie Nativitatis Domini, posse nihilominus statim post mediam noctem celebrare, docent Diana, & alij. 3. *p.*3. *t.*4. *R.*44. etsi ob Sacramenti reverentiam, consilij sit abstinere, donec species sint consumptæ: quod saltem intra dimidium quadrantem in laico (in Sacerdote intra quadrantem) fieri, certum videtur C. de Lugo *d.*12. *s.*3. *nu.*54. ex iudicio medicorum à se consultorum. Tamb. autem *c.* 3. §. 4. ex Ioan. Sanch. *d.*38. notat citiùs à valido, quàm debili stomacho, regulariter tamen ab omnibus intra horam consumi, referetque infirmum quendam post mediam horam species integras reiecisse.

Dixi in responsione, *regulariter*: quia non ieiunus licitè communicat, in sequentibus casibus, si quidem ieiunus non possit sine notabili incommodo, vt monet Con. & Bon. apud Dian. *p.* 9. *t.* 6. *R.* 42.

1. In periculo mortis, sive illud sit ex morbo, vulnere, veneno, sive ex sententia iudicis. Et quidem in eodem morbo, etsi non tenearis, potes tamen post aliquot, v.g. sex. 7. vel etiam, vt putat Layman duos dies, (etsi quoad hoc, potissimùm attendendum esse ad consuetudinem, moneat Cardin. de Lugo) repetere viaticum non ieiunus, dummodó nequeas ieiunus sumere, & periculum mortis recurrat, vt docetur commun. vel etsi maneat, vt contra Vasquez Præp. & alios docent Navar. Tol. Regin. Suar. Cardin. de Lugo, *s.* 3. *nu.* 65. Imò etsi non liceat ægro, ex sola devotione communicare fracto ieiunio; si tamen morbus esset diuturnus, nec posset dari communio nisi post medicinam probabile esse id licere, docent Armilla, Tol. Con. Reginald. Henriq. Suarez, Escob. &c. quorum aliqui exigant longum intervallum, v.g. 30. dierum, vt Navar. & Vallalobos; alij 8. vel 10. dies, vt Suarez. Henriq. Fag; alij 7. vt Sylvest. alij 6. vt Arm. Zam. Possev. & Filliu. quos sequitur Diana *de celebr. R.*

77. alij permittunt toties, quoties sano posset dari ieiuno; ita Escob. *tit.* 7. *E.* 6. ex Hurt. alij denique posse sequenti statim die dari, ob iustam causam, vt si propter consuetudinem, & desiderium, aut devotionem difficulter abstineat, & moraliter videatur instare periculum mortis. Sic Layman. *l.* 5. *tit.* 4. *cap.* 6. *num.* 20. Verùm ea in re loci consuetudo spectanda est, quæ nunc saltem videtur permittere, vt quando morbus, & periculum diu protrahitur, post 7. vel 8. dies iterum detur communio non ieiuno. Vid. Cardin. de Lugo *d.* 15. *s.* 3. *de Euchar.*

Deniquè licet probabile videatur Filliu. *to.* 1. *tr.* 4. *nu.* 242. & C. de Lugo, id quod docet Mai. *in.* 4. *d* 9 *cap.* 3. Fernand. *de hæred. &c.* (Layman. verò *l.* 5. *t.* 4. *c.* 6. *nu* 21. limitat ad casum necessitatis, quo moriturus aliud Sacramentum suscipere non posset, & scandalum cessaret) posse non ieiunum celebrare ad dandum alteri Viaticum, eó quód hoc sit iuris divini, ieiunium verò Ecclesiastici tantùm, ideóque non tantùm posse, sed etiam teneri, dicat Gran. *in* 3. *p. cap.* 6. *t.* 19. *d.* 8. *num.* 12. Id tamen meritò communiter reijcitur; tum quia contrarium probat praxis; tum quia maior est habenda ratio Sacramenti, quàm aliqualis necessitatis proximi; tum quia præceptum Viatici non obligat, quando non potest ritè dari. Ita Bona. ex Con. Hurt. *de Euch. d.* 9. *dif.* 17. Suarez Vasq. &c. comm. docetque Card. de Lugo esse probabilius. Vide Diana. *tom.* 1. *tr.* 4. *Res.* 33. Sacerdos autem morti (sive naturali, sive violentiæ) vicinus celebrare sine dubio potest non ieiunus, ad dandum sibi Viaticum, si illud aliter haberi non potest; quia non plus est celebrare, quàm communicare sumpto cibo. Cardinal. de Lugo. *d.* 15. *sect.* 4. Layman. Diana. *p.* 5. *t.* 3. *Res.* 36.

2. Si periculum sit, ne Eucharistia pereat, vel malé tractetur, potest sumi à non ieiuno, etiam laico, si alius desit; imò probabiliter potest etiam à præsente Sacerdote laicus accipere, vt docent Card. de Lugo *nu.* 87. Suar. & Vasq. *d.* 22. *num.* 48.

3. Si grave scandalum sit orituru̇m ex omissione Sacrificij, vel Communionis. Quod tamen quidam putant vix fieri posse, eó quòd occurri possit scandalo, dicendo Sacerdotem casu aliquid sumpsisse, ideòque impediri.

Dixi, *scandalum*: quia turbationem, vel incommodum aliquod secuturum, v.g. si celebraturus primitùs aliquid sumpsisset, non sufficere, notat Præp.

4. Si perfectio Sacrificij, vel Communionis vrgeat. Quod fieri potest quinque modis. 1. Si pro speciebus vini sumpsit aquam: (quam si advertat dum habet in ore, non est expuenda ob periculum eijciendi fragmentum Hostiæ, & irreverentiam; sed deglutienda Tamb. *de exped. sacrif. lib.* 2. *c.* 8. C. de Lugo *d.* 15. *sect.* 4.) tunc enim tenetur denuò consecrare; quod fieri etiam potest, consecrando, & offerendo statim, sine nova Hostia. Vide apud Suarez. Quòd si id post Missam conclusam advertas in Sacristia, omittas. Si autem intra Missam post sumptionem, vel etiam ante eam, post consecrationem tamen, dubites, an fuerit vinum, pro vino sumendum esse, & pergendum, ait Tambur. 2. Si celebrans post consecrationem deficiat; tùc enim tenetur alius, etiam non ieiunus, si ieiunus haberi nequeat, perficere. 3. Si post consecrationem etiam vnius speciei, recordetur se non ieiunum: tenetur enim pergere; imó etiam potest pergere, si ante consecrationem recordetur; & absque scandalo, & notâ non possit desistere, v.g. in solemni Sacro, vt docent Suar. Con. &c. Si tamen privatim celebret, & commodè possit abrumpere, tenetur, vtì ex S. Thom. *q.* 8. *ar.* 6. docetur commun. 4. Si post ablutionem sumptam, licèt diu Communionem distribuerit, sumendæ sunt reliquiæ etiam grandiores, consecratæ eodem Sacro (quod addo, quia non licet tunc sumere particulas alterius Sacrificij, quæ sunt in Ciborio, ad illud expurgandum vt docent Suarez. Cardin. de Lugo *loc. cit.* cum communi, licet contrarium probabile dicat Tambu. *de expedita Con. cap.* 2. §. 8. ex Marchin. *t.* 3. *p.* 3. *cap.* 3. vtì nec eiusdem Sacrificij, si illud planè sit absolutum, & ab Altari recesseris) sed debent servari, donec sumantur à ieiuno. Escob. *t.* 7. *Ex* 6. Fagund. &c. quia convivium iam finitum est. Nisi tamē aliud suadeat periculum indecentiæ, v. g. si plures Missæ eodem die istic futuræ non essent, & Sacramentum asservari non soleret. tunc enim minore irreverentiâ sumeret, quàm asservaret. Imó Cardin. de Lugo *d.* 14. *p.* 4. *num.* 82. & Gran. non damnant Sacerdotem, qui priùsquàm sacras vestes exuit, particulam inventam absumit; eò quòd non sit Communio nova, sed complementum præcedentis. Vid. Bon. Card. de Lug. Escob. *ll. cc.* 5. Si pars Hostiæ post ablutionem sumptam. Calici, aut palato adhæreat, (quæ decentiùs novâ ablutione, quàm digito propellitur, vt docet Bona. ex Fill. & alijs: quamvis Missale etiam permittat, vt digito attrahatur ad labium Calicis, & sumatur ante ablutionem) quomodò etiam ij excusantur, qui ex devotione Hostiam in ore diu retinentes, casu præmittunt aliquid ablutionis; spontè tamen id non licet, nisi bona fides, & sancta simplicitas excuset. Ratio horum omnium est, quia talis sumptio moraliter censetur completio vnius Sacrificij. Reg. *l.c. nu.* 123. Bon. *l.* 1. *d* 4. *q.* 6. *p.* 2.

Vnicus casus est, in metu mortis; ad quam evadendam, sicut sine Altari, vel Calice consecrato, aut vestibus sacris, ita etiam non ieiunum posse celebrare, docet Dian. cum Sylv. &c. *p.* 3. *t* 6. *Res.* 48. & *p.* 5. *t.* 3. *Res.* 39. dummodò celebratio non exigatur in contemptum Religionis, Ecclesiæ, vel eius præceptorum.

ARTICVLVS III.

Qua & quanta sit obligatio sumendi Eucharistiam?

Resp. 1. Sumptio Eucharistiæ fidelibus adultis est necessaria necessitate, non medij, sed præcepti divini, obligantis, tum in articulo mortis, per modum Viatici, tum etiam sæpiùs in vita, vt docent Suar. Vasq. Layman. Fag. & alij commun. probantque, tum ex Scriptura, tum ex Concil. Nicæno, & Trid. *sess.* 13. *cap.* 6. tum ex praxi Ecclesiæ: tum quia Eucharistia est instituta per modum cibi, cuius vsus sæpiùs est necessarius. Bon. *d.* 4. *q.* 7. *p.* 1. *num.* 8. *Vndè resolves.*

1. Quisque fidelis in periculo vitæ, quod prævidet, vel meritò timet, v.g.

v.g. in gravi morbo, ante conflictum, vel puerperium, præsertim primum, ante navigationem, &c. tenetur sub mortali communicare, Suarez. Vasq. *dub.* 214. Nisi tamen paucis, v.g. octo diebus antè communicasset: talis enim Communio censeretur habere rationem Viatici, vt docent Suarez. Reg. Fill. contra quosdam, vt Gasp. Hurt. *d.* 10. *diff.* 2. *&c.* apud Escob. qui dicunt, eum qui manè communicavit, si à parandio incurrat periculum vitæ, teneri item sumere Communionem, tanquam Viaticum: Imó Sà, & Sylv. *V. Eucharist.* Fumus, &c. & Caiet. *Verb. Communio*, putant non esse saltem mortale, Communionem, omittere dummodò in Pascate sumpseris.

2. Si in ægro esset periculum vomitûs, docet Sancius apud Dian. *p.* 5. *t.* 5. *Res.*55. posse ei parvam particulam dari, quæ stomachum alteratura non putetur; aut si de hoc ipso dubium sit, securitatis causâ priùs dari particulam non consecratam, quàm si reijciat, nullo modo dandam consecratam: secùs, si retineat, Si veró independenter à cibo perpetuò evomat, nullo modo dandam, nisi fortè per sex saltem horas liber à vomitu fuisset.

3. Pueris doli capacibus, qui sciunt distinguere Eucharistiam ab alio cibo, probabilius est in periculo mortis eam esse dandam pro Viatico, vt contra Vasquez insinuat Laym. *t.* 4. *de Euch. cap.* 4. & expressè docet Suar. *d.*40. *s.*1. confirmatque C. de Lugo *d.*13. *s.*4. *nu.*38. & addit, (contra Sanch.) si de capacitate pueri sit dubium, posse nihilominùs dari, etsi non sit necesse.

4. Qui post Viaticum sumptum peccavit mortaliter, non tenetur denuò communicare. Ita Reg. Fil. Card. de Lugo, & alij.

5. Qui non communicavit in periculo mortis, non tenetur posteà supplere. Ita Bonac. *d.*4. *q.*7. *p.*1. ex Henriq. Reg. &c.

6. Iudex tenetur per se loquendo, Reis concedere tempus communicandi, vt docent Suar. Bon. *l.*2. & alij communiter, contra Nav. quod si Reus noluerit, potest Iudex procedere. Fil. *t.*4. *c.*238.

Resp. 2. Etsi Christus tempus Communionis, extra periculum mortis, non præceperit; Ecclesia tamen pro eo determinavit tempus Paschale, quod communiter numeratur à Dominica Palmarum, vsque ad Dominicam in Albis inclusivè: alicubi tamen totam Quadragesimam comprehendit; alibi extenditur ex consuetudine, vel indulto: potestque Confessarius, ex iusta causa, extendere, vt docent Sà, & alij. Vide Bon. *d.* 4. *q.*7. *p.*2. *Vndè resolves.*

1. Præceptum hoc non impletur per Communionem sacrilegam, vt habet expressé Propositio 55. inter damnatus ab Innocent. XI. An veró qui non satisfecit, teneatur posteà implere, vtrumque probabiliter defenditur, etsi affirmativa videatur probabilior. Bona. *l. c.* Suar. Con. C, de Lug. &c.

2. Non tenetur prævenire, qui prævidet tempore Paschali se impediendum, vt contra Vasq. Sylvest. & Fagund. probabiliter docet Azor. *t.*1. *l.*17. *c.*41. Suar. &c. Qui verò sic prævenisset, & posteà tolleretur impedimentum, teneretur rursus communicare, secundùm Lay. *l.*5. *t.*4. *c.*5. Card. de Lugo *s.*4 *nu.* 78. quia non satisfecit præcepto obliganti ad Communionem, & ad illud tem-

tempus. Negat: tamen Dian. citans Fernand. & Suar.

Resp. 3. Tenetur quis Communionem Paschalem sumere in Parochia, à Pastore suo, nisi huius licentiâ, privilegio, aut consuetudine eximatur. Navar. Suar. *d.*72. *s.*2. *&c. Vndè resolves.*

1. Sacerdos vbivis celebrando satisfacit. Bon. *d.*4. *q.*7. *punct.* 2.

2. Eximuntur peregrini, & vagi, qui Parochiam non habent, aut ab ea absunt. Bon. *l.c.*

3. Non eximuntur laici inservientes Religiosis, vt habet Sà: *V. Euch.* nisi, vt dicit Bon. degant in Monasterijs, alijsque locis, à cura Parochorum exemptis. Vid. Sanch. *de matr. d.*23. *nu.*12.

4. Non satisfacit huic præcepto qui in Paschate extra Parochiam, sine consensu Pastoris, communicat, vt habent Nav. Azor, & alij communi: nisi tamen communicet in Cathedrali Ecclesia; hos enim satisfacere præcepto censet Bon. *l.c.* sed negat Card. de Lugo *lib.*1. *resp. mor.* nisi Episcopus expressé, vel tacité consentiat. *Vid. suprà c.* 2. *d.* 1. *art.*1. *& c.*78. *&* 9. Bon. *l.c vide suprà c.*2. *art.*1. *casu* 7. 8. *&* 9.

Dixi, *sine consensu Pastoris*: quia cum consensu summi Pontificis, vel Episcopi, sive Ordinarij, aut eius Vicarij Generalis, vel Parochi; (hi enim omnes intelliguntur nomine Pastoris) extra Parochiam communicando satisfieri præcepto Doctores concludunt. Et quidem sufficere, consensum interpretativum, sive præsumptum, notat Tamb. *de exped. Com. c.*4. *§.*4. Imó Bauni *in Theol. moral. p.*1. *t.*5. *q.*19. Beia, & quidam alij apud Tamb. *l.c.* & Card. de Lugo *d.*18. *s.*2. *nu.*49. item Dian. *p.*2. *t.* 14. *res.* 73. *& p.*6. *tr.*7. *res.*58. putant posse satisfieri præcepto Communionis Paschalis (præsertim extra diem Paschæ) apud Mendicantes ex privilegio Nicolai V. Pij V. & Pauli VI. certis concesso, quod cæteri participant. Verùm hoc alij communiter negant. Vid. Avers. *q.*10. *s.*4.

CAPVT III.

De Eucharistia, vt est Sacrificium?

DVBIVM I.

Quid sit Missa, & quæ obligatio Sacerdotum circa illam.

RESp. Missa est Sacrificium consistens in consecratione panis, & vini; estque actus latriæ, qui fit in recognitionem supremi dominij Dei, & signum nostræ servitutis. Quod non obstat, quin secundarió possit etiam ad alium finem partialem offerri, vt ad agendas gratias, vel impetrationem beneficij, ad remissionem peccatorum, ad Sanctos honorandos, &c. Principalis fructus Missæ, ex opere operato, est independens à probitate Sacerdotis, à quo pro omnibus, seu vivis, seu defunctis, etiam accepto stipendio, applicabilis est: estque actus, tam intensivè, quàm extensivè finitus; etsi enim Hostia ipsa, & Principalis offerens, idest, Christus, infinitè sit Deo gratus, atque ita Deus per hoc Sacrificium infinito honore afficiatur; videtur tamen Christi esse voluntas, vt offeratur, & prosit tantùm ad certum, & finitum effectum. Quod etiam patet ex vsu, & sensu Ecclesiæ, dum Missæ pro eâdem re repetuntur: quod signum est, non habere infinitum effectum. Vid. Bon. *d.*4. *q. vlt. p.* 4. *Vndè resolves.*

Sacer-

Universidad de Deusto Biblioteca

1. Sacerdotes ordinariè peccant graviter, si non aliquoties in anno, saltem ter, vel quater solemnioribus Festis celebrent, nisi legitimè sint impediti. Ita Sylv. Regin. Suar. Con. & alij commun. contra Angl. Bon Dian. *p.2. t.14. Res.19.* item C. de Lugo, & Tamb. *lib.1. exped. Con c.6.* qui excusant saltem à mortali, dummodò communicēt in Paschate, absitque contemptus, & scandalum: imó vbi Tridentinum est receptum, tenentur ex mandato Episcopi, sub gravi culpa celebrare, saltem Dominicis, & Festis: excusantur tamen si Episcopi nullum mandatum extet.

2. Etsi in Ecclesijs Cathedralibus Collegiatis, & Conventualibus, (vbi est competens Sacerdotum numerus) quotidiè debeat vna saltem Missa privata celebrari, & altera cantari, peccentque mortaliter dictarum Ecclesiarum Rectores, si in hoc deficiant. Suar. Con. Layman. March. &c. non esse tamen mortale (præscindendo à peculiari obligatione talis Ecclesiæ) semel, vel bis in hebdomada omittere alterutram, docet Tamb. *l.1. c.6.* vtí neque si in Ecclesijs Collegiatis die festo cadente in feriam privilegiatam (v.g. Vigiliæ, quatuor temporum. Quadragesimæ, vel Rogationum) Missa solemnis de feria post Nonam canenda, semel omittatur. *Ibid.* Abbat. March. &c.

3. Peccat graviter, qui tenetur pro alio offerre Missam, fructum tamen principalem applicat alijs; quia id alij est fraudi in re gravi.

4. Graviter peccat. 1. Qui ad Sacrum ex iustitia obligatus, illud diu differt: quia magno fructu alterum privat. Sylv. Reg. *lib.23. num.236.* Fernand. &c. multòque magis, si planè omittit; teneturque hoc casu ad stipendij restitutionem. Tamb. *de exped. Sacrif. l.2. c.1. §.8.* 2. Si quis accipiat plura stipendia, quibus nonnisi per longum tempus, possit satisfacere. Ratio eadem est Sylv. Reg. Fernand. *p.3. c.5.* 3. Qui sacrum animo se obligandi promisit, & non præstat. Bon. *d. vlt. p.8.* etsi probabile sit hoc non esse mortale, vt habet Sanch. *de matr. l.1. d.5.* Vid. Dian. *tr.3. mis. R. 9.* item *p.4. t.4. R.196. & p.6. t.6. & p. 5. t.14. R.81.* vbi citat Caiet. Vasq. Hurt. &c. affirmantes, quòd qui pluribus Missam gratis promisit, possit vnica satisfacere: quod tamen alij communiter negant.

5. Si quis det iustum stipendium, (id à consuetudine, vel lege taxatum esse debet; aut si non est, secundùm Sotum, & Caiet. est frugalis victus vnius diei; quod Suar. Laym. & alij reprobant, putantque sufficere mediam, vel tertiam partem sustentationis diei,) vt pro se dicatur Missa, non potest secundum accipi ab alio, & pro duobus vna tantùm Missa dici. De Lugo *d.19. nu.259.* Secùs si ambo dimidium tantùm iusti darent; vtì contra Vasq. Reg. & alios probabiliter docent Sotus Henriq. Fill. Con. Card. de Lugo *l.c.* quod tamen iam est prohibitum per Bullam Vrb. VIII. Vid. Bon. Dian. *t.14. res.7.*

6. Qui pecuniam ab alio accepit, vt pro illo celebret, aut fieri curet, per se loquendo, potest curare Missam per alium bonum Sacerdotem dici, minus dando, quàm accepit.

Dixi. 1. *Per se*: quia Vrb. VIII. ob speciem turpis quæstûs id fieri vetuit.

Dixi. 2. *Bonum*: quia si per malum curet, perditur fructus, qui est ex opere operantis. Vid. C. de Lugo *l.c.*

Bene-

7. Beneficiati, etiam Curati, ad Missas obligati. possunt pro ijs accipere stipendium, & applicare cui volunt; quia non semper habent obligationem applicandi ad certam intentionem; nisi tamen contrarium constet, vt de Missa conventuali docet Bon. Ita C. de Lugo *d. 81. s.1. nu.21.* ex Suar. Vasq. &c. contra Gavant. Barb. & Dian. qui negant de Parocho, refertque Dian. *p.4. t.4. res.232.* determinasse Congregationem Card. quòd ei non liceat pro Missa accipere eleemosynam manualem, quando tenetur celebrare: de Missa tamen conventuali, contra Bon. &c. ipse affirmat. *p.5. t. 13.* ex alijs tribus.

8. Qui stipendium pro Sacro accepit, tenetur dicere Missam pro defunctis, vel votivam, vel in hoc, aut isto Altari; provt pecuniam offerens petivit (quantum tamen rubricæ permittunt, quibus neglectis Ecclesiæ ordinem invertere, ob alterius devotionem, non convenit) quia ob eius devotionem, & speciales orationes, maior fructus provenire solet. Si tamen aliter faciat, non erit grave, imò nullum, si fiat iusta de causa. Vid. Dian. *de celebrat. Miss. Res.31.* C. de Lugo *l.c. nu.35.*

9. Is, qui quoad locum, tempus, intentionem, qualitatem Missæ, non satisfacit, sine iusta causa, voluntati fundatoris peccat; & quidem graviter, si sæpé faciat: esto consentiant hæredes, cùm ij, in hoc, voluntati testatoris non possint derogare, vt docent Sylv. Navar. Azor, &c. Episcopus tamen potest in hoc dispensare ex causa, vt habent Henr. Sylv. & Tamb. Quod si quis quoad locum impediatur, tenetur in alio, vt habet Azor. *t.1. l.10. c.14.* & Sà; *V. Missa.* Dian. *l.c. Res.29.* vbi docet ex Navarr. Rodrig. Fagund. & Azor, esse mortale celebrare in alio Templo, vel Altari, quàm quis tenetur, quod negat Card. de Lugo, si rarò, & ex causâ fiat. Vid. *nu.36.* Imó nec esse veniale, si obligatus quotidié celebrare, rarò, & ex rationabili causa celebret alibi. Similiter Tamb. *de exped. Sacr. lib.3. c.2.* excusat à mortali eum, qui vno, alterove die singulis mensibus alibi celebrat, nisi tamen teneatur celebrare in Altari privilegiato; notatque posse Sacerdotem contra hoc onus Missarum, v.g. certum earum numerum, præscribere annis 30. si adsit possessio, titulus, & bona fides.

10. Beneficiatus ex iustitia obligatur sub mortali, & pœna compensationis, ad eum numerum Missarum, per se, vel (provt mens fundatoris ex verbis colligenda permittit) saltem per alium, quem numerum litteræ fundationis requirunt: eum verò numerum ex iusta causa, v.g. si reditus iam non sufficientes respondeant, potest minuere Episcopus in Synodo, quam potestatem Bon. restringit ad Missas defunctorum, & quidem post Triden. impositas. Vid. Bon. *d.4. q. vlt. p.8.*

11. Qui ratione beneficij tenetur quotidié celebrare, tenetur etiam Missam pro fundatore (nisi de huius intentione contraria constet) applicare. Bon. & alij cum Dian. *p.6. t.6. Res.13.* qui tamen concedit posse eum pro seipso quater, aut sexies in anno, & in die commemorationis omnium defunctorū pro particulari defuncto, celebrare: itē quavis hebdomadâ vnam Missam omittere devotionis, & reverentiæ causâ, idque ex præsumptâ intentione fundatoris: quod Tamb. *l.3. exped. Sacrif. c.3. §.1.* ex Gavant. *p.3. t.12.* limitat, nisi de contraria

funda-

Universidad de Navarra Biblioteca

fundatoris voluntate constet, vel sit onus Ecclesiæ, aut Monasterij, curare Missam quotidianam. Vid. Tamb. *l. c.* Dian. *p.* 2. *t.*14. *Res.*28. *p* 4 *t.*4. *Res.*86. *& p.*5. *t.* 5. *Res.*23. *& t.*51. 2. Id ipsum limitat C. de Lugo, *R. mor. l.*5. *d.*9. Si obligatio dirigatur ad ipsum Sacerdotem, v.g. si dicatur: *Qui debet quotidiè celebrare*: quo casu concedit: si verò dirigatur ad celebrationem in tali loco, v.g. *volo vt in tali Ecclesia celebretur quotidiè Missa*, teneri eum pro se alium substituere eo die, quo ipse non celebrat.

12. Qui non potest fundationi satisfacere propter morbum, non tenetur, si brevis sit, (v.g. 15. dierum, vt docet Bon. aut etiam vnius, alteriusve mensis, vt probabiliter docet C. de Lugo *num.* 49.) substituere alium, aut compensare, cùm tam strictè, nec Domini quidem honesti cum famulis agant: secùs tamen, si sit diuturnus morbus; nisi reditus sint nimis tenues, aut in morbum absumantur, vt contra Sylv. & Azor docet Bon. ex Rodrig. Impeditus verò alijs negotijs, licèt iustis; (cùm hæc non debeant obesse fundatori) debet satisfacere per alium, vel compensare posteà, præsertim si fiat sæpiùs. Ita Bon, *d.*4. *q. vlt. p.*7.

DVBIVM II.

Cuius sit applicare fructum Sacrificij?

RESp. Solus Sacerdos offerens validè id facit per suam intentionem: quia est actus potestatis Sacerdotalis. Ita comm. Suar. C. de Lugo *d.* 14. *s.* 10. *n.* 211. *&c. Vndè resolves.*

1. Is validè applicat, etsi peccet sacrificando, vel applicet contra voluntatem Superiorum. Ita Suar. Layman. Dian. C. de Lugo *l. c.* contra Nav. Ledesma, & alios, quorum sententiam probabilem dicit Dian. *t.* 1. *Res.* 72.

2. Sacrificium, quod neque formaliter, neque virtualiter vlli applicatum est, vel ante, vel in ipsa consecratione, saltem secundæ speciei, non potest postea vlli applicari saltem, adæquatè: quia producit effectum quando existit, neque is suspenditur, ideoque nec licet accipere stipendium pro Missa præterita. V. Lay.

Dixi, *vel ante*: quia non requiritur, vt applicatio fiat in ipso sacrificio: sufficitque, si pridie facta sit, etsi ipso die de eo non cogitet. Bon. *q.*3. *p.*2. ex Suar. & Dian. *l. c. Res.* 47. contra Vasq.

3. Si nulli applicetur, vel incapaci fructûs, manet in thesauro Ecclesiæ, vt docet Suar. vel cedit ipsi Sacerdoti, vel illis pro quibus tenetur specialiter offerre, quod ita, implicitè censeatur intendisse. Ita Laym. *t.* 5. *c.* 2. Vid. C. Lugo *num.* 215.

4. Applicatio sub conditione iam impletâ, est valida, v.g. ad intentionem quam habuit hodie superior; non autem sub conditione futurâ contingente, v.g. applico illi cui Titius interrogatus voluerit; vel ei qui priùs morietur; vel qui primo stipendium offeret. Ita Suar. *in* 3. *p. tom.* 3. *d.* 79. *s.* 9. Laym. *loc. cit.* Dian. *l. c. Res.* 15. C. Lugo *d.* 19. *n.* 209. contra Bonac. *q. vlt. p.* 7. §. 5. qui tamen ipse in praxi dissuadet.

5. Non satisfacit, qui te mortuum putans Missas quas pro defuncto teneretur, celebravit.

6. Sacerdotes Societatis non satisfaciunt, celebrando pro defunctis per anticipationem, nisi tamen iam mortui sint, etsi postea promulgentur. Laym. *loc. cit.*

Non

7. Non omnes Sacerdotes tenentur die animarum applicare Missam pro omnibus defunctis. Tambur. *l.* 3. *exp. sacr. c.* 3. §. 2. contra praxim, & Gav. *p.* 5. *tr.*15.

8. Missa celebrata in altari privilegiato pro defunctis, non suffragatur illis, nec satisfit indulto, nisi fit de Requiem. Dian. *p.* 4. *tract.* 4. *Res.* 233. *ex declar. Card. & p.* 9. *tract.* 2. *Res.* 7.

DVBIVM III.

Quando, & quoties liceat celebrare?

REspond. 1. Ordinariè non licèt celebrare post meridiem, sed debet inchoari ante duodecimam: nec ante auroram: quam ante solis ortum. Reg. quadrantem horæ, Henriq; & Conin. mediam horam, Azor horam cum quadrante, Suar. & Fernand. & Possev. sesqui horam comprehendere dicunt, & consequenter cùm secundum Henriq. Suar. & alios, Missa possit inchoari tantò ante auroram, vt sub eius, initium finiatur, licet duabus horis ante solis ortum incipere. Ita Rodriq. & alij. Vnde vlterius inferunt quidam cum Suar. Religiosis habentibus privilegium celebrandi horâ ante diem, licere tribus horis ante ortum Solis incipere, quod Card. de Lugo *d.* 20. *sec.*1. *num.*32. non improbat, etsi Laym. tantùm permittat horis duabus cum dimidiâ; Diana verò duabus horis post mediam noctem. Card. de Lugo *l.c.* Quacunque autem hora licitè (sive ex, sive sine privilegio,) celebrent, eâdem etiam, (atque adeò in Missa, quæ nocte Nativitatis, cæterisque, quæ post illam celebrantur) licere ijs Eucharistiam alijs ministrare, contra Bordon. docet Dian. *p.*9. *tr.* 7. *Res.* 43.

Dixi, *ordinariè*: quia antevertere licèt sequentibus casibus, in quibus etiam paulò post meridiem, v.g. vno, vel altero quadrante, inchoari potest, vti etiam secundùm Sotum, & Palud. ex quavis rationabili causa, v.g. ob supplicationem, vel concionem publicam protractam vltra meridiem, ob funus Principis, vel quia Sacerdos die festo propter iter fuit impeditus, quo casu etiam integrâ horâ post, licere inchoare dicunt V. Lay. *l.c.* Fer. *hic. c.* 3.

1. In necessitate, v.g. vt morituro detur viaticum, quo casu licere media nocte celebrare, ait Dian. *p.*1. *t.*14. *R.*33. ex Laym. &c.

2. Vbi est mos rationabilis, vt opifices, & famuli summo manè possint audire sacrum. Laym. *l.* 5. *t.* 5. *c.* 4. *n.*3. ex Navar. &c. V. Dian. *p.* 2. *t.* 13. *R.*33. non tamen idcircò post meridiem licebit.

3. Ex privilegio, de quo suprà.

4. In nocte Nativitatis, in qua omnes tres Missas ante auroram dici posse, probabiliter docent Suar. Con. Layman. Diana. *p.* 4. *t.* 4. *Res.* 236. contra Sylv. Fernand. & alios. *Vndè resolves.*

1. Graviter peccat, qui sine aliqua harum, aut saltem iustâ causâ citiùs manè, vel seriùs post prandium celebrat, vbi Azor tertiam horæ partem, Laym. mediam horam, Bonac. tres quadrantes, Sylvius horam requirit, vt differendo peccet mortaliter. V. Dian. *t.* 14. *Res.* 34. vbi notat Religiosos ex suis privilegijs, posse celebrare vsq; ad tres horas post meridiem, post tertiam verò nullo modo. Vid. Bon. *l.c.*

2. Non

2. Non est peccatum, celebrare ante dictam Primam, vel etsi ob infirmitatem non possit Horas dicere; vel etiam ante Matutinum, si causa subsit, sine qua, erit veniale, vt docent Fill. Laym. & alij: videturque sententia tuta, contra multos, dicentes esse mortale.

Resp. 2. Per se loquendo, quotidie licet celebrare. Dico *per se* quia præcepto obligante sub mortali, prohibemur die Veneris Sancti (non temen Eucharistiam sumere, vel alijs præbere, vt habent Hurt. *de sacrif. d.* 4. *dif.* 3. Quintan. ex Suar. Vasq. Tann. &c licét suppositis Declarationibus Card. non licere ministrare nisi solis infirmis, velit Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 237. *p.* 6. *t.* 6. *R.* 19. & *p.* 9. *t.* 9. *R.* 24. ex Bar. Gavant. &c. Quibus accedit decretum Innocentij XI. statuens ne comunicetur in Parasceve nisi ab infirmis iuxta Rubricas Missalis, & vsum Ecclesiæ Romanę. Vnde opposita sententia iam non amplius tenenda.) In Cœna Domini verò, etsi ex consuetudine vno celebrante reliqui communicare debeant; plures tamen ex causa licité privatim celebrant; non tamen post finitam Missam solemnem, & sacrararium reconditum, vt vult Palaus; licet alij id non admittant apud Dian. *p.* 9. *t.* 6. *R.* 24. De Sabbatho Sancto alij negant licere, vt Vasq. &c. alij probabiliùs affirmant, vt Suar. Fagund. Dian. Gasp. Hurt. *d.* 4. *dif* 3. Palaus (qui non vult fieri ante inchoatam Missam solemnem,) & C. de Lugo *s.* 1. *n.* 18. qui addit, non esse tunc legendas prophetias, quia non sunt pars Missæ; neque benedictionem cerei, imó nec Litanias, quia est ratio eadem. *v. l.c. n.* 20. & Bon. *p.* 2. vbi notat, quòd vsus id vix habeat. Vid. etiam Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 237. vbi cum Mercero, contra alios permittit eo die, ante Missam solemnem celebrare de Sancto incidente, vel votivam.

Resp. 3. Sæpiùs in die celebrare non licet ordinarié, quòd addo, quia si sis ieiunus, licitum est sequentibus casibus, bis, vel etiam ter: requisito, tamen si facilè haberi possit, Episcopi iudicio, præterquam in primo.

1. Nocte Nativitatis: qua tamen non tenetur, nec Parochùs quidem celebrare tres Missas: sed potest aliquam, pro arbitrio omittere. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 236. Neque ter communicare, vel semel communicare, & bis celebrare, *p.* 8. *t.* 1. *R.* 87.

2. Si Pastor habeat duas Parochias dissitas, Fill. Card. de Lugo *d.* 20. *nu.* 45.

3. Si concursus populi sit tantus, vt Ecclesia non capiat, vt habet Laym. *l.* 5. *t.* 5. *c.* 4. *in* 6. & *vide.* C. de Lugo *l.c.* etsi tunc potiùs expediat celebrare extra.

4. Si ante ablutionem moneatur de communicando infirmo, & suam iam Hostiam sumpserit, nec sit alius Sacerdos. Sylv. Nav. Sed casum esse metaphysicum, dicit C. de Lugo *d.* 20. *nu.* 44.

5. Si die festo adveniant personæ, quas non deceat sacrum omittere, v.g. Rex; aut Princeps; quamvis hic vltimus dicatur non esse in vsu. Vid. Bon. *d.* 4. *q vlt. p.* 7. *nu.* 9. C. de Lugo *l.c.* & Laym. *t.* 5. *c.* 4. Conin. Dian. *p.* 2. *t.* 14. *R.* 56. vbi rectè monet, in his omnibus attendendum ad loci consuetudinem, quæ feré omnes nunc sustulerit.

Quæres. An aliquando liceat interrumpere Missam?

Resp. Etsi abrumpere essentialiter, sive vnam tantùm speciem consecrare, nullo casu liceat, vt dictum est suprà *c.* 1. *d.* 2. accidentaliter tamen abrumpere, vel etiam interrumpere, aliquid interponendo, *licet his casibus.*

1. Ob concionem, post Evangelium, vel processionem accipiendam.

2. In gratiam supervenientis Principis, vel turbę peregrinorum die festo, quo aliàs Missam audire non possent, vel simili iustâ causâ, ex qua, si non sit facta oblatio, posse incipere de novo, vt totum sacrum audiant, etsi non teneantur, docent varij Authores cum Sà apud Bon. *d.* 4. *q.vlt. p.* 7. *nu.* 9. qui benè monet, consuetudini locorum standum Henriq. autem docet, id tantum licere finita Epistola, vel Evangelio: Tann. planè improbat.

3. Si ante Canonem Sacerdos recordetur alicuius impedimenti, v.g. se non esse ieiunium, vel in gratia, vel irregularem, vel excommunicatum; vel excommunicatus non toleratus præsumat interesse, nec possit expelli.

4. Si vrgeat gravis necessitas, vel propria, v.g. morbus; vel proximi, vt si moriturus sit baptizandus, vel absolvendus. Trull. Dian. *par.* 3. *t.* 3. *Res.* 70. In alijs tamen Sacramentis non ita necessariis, non decet inter consecrationem, & sumptionem interrumpere, nisi moriturus esset in propinquo, nec opus esset vestes exuere, vel nisi pœnitentiæ Sacramentum ob phrenesim suscipere non possit. Laym. Tamb. *l.* 2. *exped. sacrif. c.* 7. Revertens autem ad sacrificium Sacerdos si fuerit ante facta consecratio, incipiet vbi desiderat; vtì & si facta non fuerit, & parva mora intercesserit, v.g. minor quam vnius horæ, si autem longior ordietur ab initio. Tamb. *l.* 2. *exped. sacrif. c.* 8. *§.* 7.

DVBIVM IV.

Quo loco celebrandum sit?

Resp. Communiter non licet celebrare; nisi in Ecclesia, eaque consecrata, vel saltem benedicta, & non violata, vel exsecrata, nec interdicta; patet ex Trid. *sess.* 21.

Dixi, *communiter*: quia in decenti loco, & altari portatili (quod semper sub mortali requiritur) cum licentia Episcopi, si adsit; vel sine ea, si absit, licet sequentibus casibus, extra quos si fiat, esse mortale, docent Fill. Laym. & alij communiter contra Scotum, & Sà.

Primò, si sit necessitas, qualis esse cēsetur. 1. Si Ecclesiæ dirutæ sint. 2. Si populum in solemni festo templum non capit. 3. In castris pro exercitu: sed festis tantùm diebus Fagund. C. de Lug. &c. licèt Pasqual. apud Dian. *p.* 9. *t.* 1. *R.* 44. etiam non festis, censeat, posse permitti Generalibus, & primarijs Ducibus, in suis tentorijs. 4. In portu pro appulsu navis; non tamen in flumine, vel mari, propter periculum effusionis sanguinis, vt comm. docetur apud Bon. Contrarium tamen dicitur iam habere praxis Lusitanorum, euntium in Indiam, ex permissione Clementis VIII. & Pauli V. ex qua licitè nunc fieri docet Fagund. Gran. nec improbat C. de Lugo *l.c.* Limitat autem Dian. *p.* 5. *t.* 5. *R.* 40. cum Hurt. Mercer. Trull. &c. si magna sit tranquillitas sine vllo tempestatis indicio, adsitque præter celebrantem Sacerdos alius, qui post consecrationem firmiter teneat Calicem. Cum qua cautione etiam Episcopum posse ad hoc concedere facultatem in necessitate (v.g. ne magna multitudo non audiat sacrum,

vel moribundus decedat sine viatico) docet Gran. apud Dian. *l.c.* contra Conin. & Tur. qui soli Papæ eam reservatam volunt, vt etiam Dian. *p.9. tr.1. R.* 45. vbi adducit declarationem Cardinalium, qua iubentur Episcopi id prohibere.

Secundó. Ex dispensatione Episcopi, ob rationabilem causam etsi in Trid. *sess.*12. id permittere prohibeantur, nisi ex iustâ causâ, in oratorijs privatis, divino cultui destinatis, licèt non benedictis. Verùm etiam hanc potestatem illis tunc esse ademptam, docet Gavantus *loc. cit.* & Dian. *p.9. t. 9. R.* 42. eo tamen non obstante, posse eos in aliquo casu particulari, ex iusta causa permittere, vt celebretur extra Ecclesiam in altari portatili, docet idem Dian. *l.c. R.*43. ex Marchin. Gart. Hurt. Card. de Lugo, Aversa, Persic.&c.

Tertiò. Ex privilegio, quale dicuntur habere Minores, & qui cum ijs participant; quod esse revocatum à Trid. *sess.*22. *cap.*8. licèt multi velint, negant tamen Dian. *p.*3. *t.*2. *R.*80. & *p.*4. *t.* 4. *Res.*106. Ioannes de Salas, Rodriq. &c. Idque secundùm Card. de Lugo *d.* 20. *s.*2. *nu.*51. probabiliter, & Tamb. *de exped. celebr. l.*1. *c.*3. §.1. probabilius. Vid. Barbos. in Trident. *loc. cit.* Item Religiosi Societatis, à Gregor. XIII. vt possint, tum in missionibus, cum facultate superioris, in quovis loco decenti; tum in domibus suis in loco honesto, à Provinciali designato, Missas dicere, in quo idem licebit alijs.

Dixi 2. *non violata*; quia in Ecclesia interiùs violata, nisi priùs reconcilietur, non licet sub gravi peccato, vt Laym. *lib.*5. *t.*5. *cap.*5. *num.* 7. ex Navar. Suar. Con.&c. nisi in necessitate, cum venia Episcopi, (si is adiri possit; alioqui sine ea, vt habet Card. de Lugo *loc. cit. nu.* 63.) celebrare, aut mortuos sepelire.

Addo 1. *Ecclesia*: quia Oratoria, etsi deputata ad cultum divinum, cùm tamen benedicta non fuerint, nisi in ipsis exter altare ad facienda divina, vt Bona. *de mat. q.*4. *resol. vlt. nu.*9. non sunt capacia violationum. Quod etiam consequenter de hospitalibus docent Navar. Sotus, &c. sed probabilius contrarium docent alij, cum Card. de Lug. *l.c.*

Addo 2. *Interiùs*; quia quod fit in turri, sacristia, suprà tectum, vel fornicem, in crypta, sub pavimento, (nisi sit sepultura, aut singulariter benedicta) non violat Ecclesiam.

Addo 3. *Nisi reconcilietur*: quod fieri debet ab Episcopo, vel Sacerdote ex privilegio Papæ (quale Superiores Regularium pro suis templis habere, ex Avila notat Dian. *p.*4. *t.*4. *R.*91.) si fuit consecrata; (quod præsumendum est, si celebretur festum Dedicationis) si verò tantùm fuerit benedicta, potest fieri reconciliatio à simplici Sacerdote, aspersione aquæ benedictæ, cum facultate Episcopi, vel sine ea secundùm Dian. *p.*4. *t.*4. *resol.* 91. Censeri etiam reconciliatam, si sacrificium in ea peractum fuerit, docet Tambur. *l.c.* §.4. ex Henriq. Sà, & Dian. esse probabile; negat autem Card. de Lugo *de Euch. d.*20. *s.*2.

Porrò Ecclesia, vtì & cœmeterium, violantur seu, polluuntur sequentibus casibus, non tamen, nisi postquam res evulgata fuerit. Laym. *l.*5. *t.*6. *c.*5.

1. Per factum in ea homicidium mortaliter malum, seu iniuriosum, saltem immunitati Ecclesiæ; quale etiam est, quod aliàs iustum esset per sententiam Iudicis: nisi tamen Reipub. perturbator aliter capi non posset. Non est autem tale. 1. Quod fit casu, vel ab amente. 2. Quod in sui defensionem. 3. Cuius causa data est extra Ecclesiam: quia requiritur, vt vulnus, sive causa physica fiat intra Ecclesiam, Vid. Car. de Lugo *d.*20. *s.*2.

2. Per mortaliter malam effusionem proprij, vel alterius sanguinis, vel seminis, causatam, vel factam in templo, licet non in templum. Vndè non violat. 1. Si pauculæ guttæ effluant; quia non est effussio. 2. Si ex percussione, vel vulnere levi, v.g. narium in rixa puerorum, etiamsi copiosus sanguis effluat. 3. Si fiat ex sectione venæ. 4. Actus coniugalis, quando excusetur à sacrilegio. 5. Fornicatio facta ab amente. 6. Pollutio inculpata. Vid. Card. de Lug. *d.*20. *num.*54. & 55.

3. Per sepulturam excommunicati, non tolerati, vel infidelis, (quo nomine hìc non comprehendi hæreticum, docet Card. de Lug. *l.c. num.*47.) etiam infantis; vt ex *c. Ecclesiam, de consecratione*, docet Præp. Quamvis, si pueri parentes sint fideles, neget Sayr. V. Bon. *de Euch. & mat. d.*4. *q.*4. *p.vlt.*

4. Per destructionem Ecclesiæ ex toto, vel maiore parte, (quanquam eo casu dicatur potius exsecrari, quàm pollui) non autem, si solum tectum, vel si successivè per partes modicas destruatur, & reficiatur, neque etiam per desolationem, exercitium hæreticum, spurcitias hominum, vel animalium istic stabulatorum, &c. etsi deceat, & praxis habeat, vt per Episcopum, vel saltem Sacerdotem, cum aliqua cæremonia reconcilientur, & abluantur: quod in simili casu intellige de altari. Laym. *l.*5. *t.*5. *c.*5.

Quæres. Quid sit, & quando fiat exsecratio, seu resecratio?

Resp. Exsecratio dicitur, cùm res sacra perdit suam consecrationem, ita vt de novo consecrari debeat, quod fit, quando ita destruitur, vt formam, & vsum suum perdat. *Vndè resolves.*

1. Pollutâ Ecclesiâ, polluta, etiam sunt altaria eius fixa: non tamen exsecratâ Ecclesiâ exsecrantur altaria? nec contra.

2. Ecclesia exsecratur, si parietes secundum maiorem partem destruantur, vel omnis eorum crusta, aut maior saltem pars simul auferatur. Secùs autem, si vna post alteram Vid. Lugo *d.* 20. *nu.* 65. non autem, si tectum corruat, quia consecratio est in parietibus V. Lay. *l.c.*

3. Altare exsecratur. 1. Si cùm fixum est, lapis consecratus removeatur ab inferiore structura. 2. Si ita frangatur, sive fixum, sive portatile sit, vt in nulla eius integra parte, Calix cum patena possit consistere. 3. Si spolietur sepulchrum; quod tamen quidam negant, vt Lugo. Tambur. *l.* 1. *cap.* 5.

4. Calix exsecratur, si notabiliter frangatur, vel ita vt fiat inutilis ad vsum sacrificij, v.g. si foramen sit in fundo, licet minutissimum; vel si figura destruatur: non tamen si in tornatili pes separetur à cuppa, quia in tornatili consecratur sola cuppa Bonac. *d.* 4. *q. vlt. pun.* 9. ex Suarez, &c. neque exsecratur, si pereat inauratio. Vndè licèt communiter Calix, & patena, post novam inaurationem, quoad eam partem, qua Christi Corpus, vel Sanguinem contingunt, denuò consecrentur, id tamen necessarium non esse, docent Durand. Conin. & alij, contra Suar. Bon. & alios, etsi deceat, vt abluatur aquâ benedictâ.

Ita Dian. *t.* 1. *mis. Res.*3. & Laym. *hic* Item Lugo *d.* 20. *s.* 4. *nu.*94.

5. Vestes sacræ exsecrantur, quando ita destruuntur, vt perdant suum vsum; vt si cinguli parte te non ampliùs cingere possis; vel si manica ab alba separetur, etiamsi posteà reparetur. Non perdunt autem, etsi attritis pars aliqua assuatur; vel cinguli parti, aptæ adhuc ad cingendum, altera annectatur: quia tunc accessorium sequitur principale. Lugo, Tamb. *de exped. Sacrif. l.* 1. *c.* 3. §.2. Similiter si stola, vel casula duplicata, facili separatione fiant duæ, quarum vtraque apta sit ad Sacrificium, non perdunt benedictionem. Tamb. *l.c.*

6. Partes avulsæ à re consecrata, destructa eius forma, desinunt esse sacræ, v.g. ligna, & lapides Ecclesia dirutæ, vel Altaris: ob respectum tamen ad rem sacram, cuius sunt reliquiæ, non possunt applicari ad vsus profanos, aut divendi, sine licentia Papæ. Statuæ autem sacræ, & Imagines Templi destructi, debent in alio collocari, & in loco Ecclesiæ Crux erigi. Lacera etiam paramenta, aut vetustate consumpta, debent igne absumi, & non adhiberi ad vsus profanos, vt habetur in *C. Altaris de Consecr. dis.* 1. vid. Suar. & Sà *V. Missa*, & Laym. *l.c. c.* 6. Tamb. tamen *l.* 1. *de exped. Sacrif. c.* 2. §.3. ex Palao. Item Dian. *p.* 5. *t.* 13. *R.* 76. docet probabile esse, quod non sit saltem mortale, si mutatâ formâ, ad profanos vsus applicentur, v.g. Calix confractus, alba dissoluta, frustula corporalis, &c. *Vid. suprà l.* 3. *t.* 1. *c.* 2. *d.* 2.

(***)

DVBIVM V.

Quæ sint requisita ad Missam.

RESp. Hæc sequentia. 1. Et quidem sub gravi sacrilegio, Altare consecratum ab Episcopo, vel Abbate; (hunc enim Altaria, Calices, & campanas posse consecrare etiam ad vsum alienarum Ecclesiarum, docet Dian. *l.* 3. *t.* 2. *R.*15. cum Barb. & alijs 4. ex declaratione Cardin. & privilegio Innocent. III.) vel Sacerdote privilegiato, stabile, vel portatile: vtrumque tamen ex integro lapide, quantum ad superiorem mensam, quæ consecratur; debetque esse tanta, vt possit capere Calicem cum patena: Non sufficit autem Hostias esse in ara consecrata, dum consecrantur, verùm etiam debent, tam parvæ quàm magnæ, in eadem relinqui tempore Sacrificij, & non alibi (licèt supra aliud corporale) deponi v. g. propter loci angustias: quia omnes sunt vnica victima, & per modum vnius offeruntur. Quapropter rubricæ Missalis eas supra corporale, ante vel post Calicem poni volunt. Hinc etiam minùs rectè faciunt, qui consecratione facta, mox Hostias minores à se consecratas, dant alteri Sacerdoti distribuendas populo: quia sicut Sacerdos non debet de sua Hostia dare, priusquam ipse sumpserit sic nec de alijs, cùm sint vna Victima, & Hostia, omnesque orationes, oblationes, & benedictiones sequentes non minùs spectent ad parvas Hostias, quàm ad magnam: neque ante sumptionem Sacerdotis perfectè, & integrè sacrificata sit Victima. De Lugo *q.* 20. *sect.* 2. *nu.* 69. Eum tamen, qui contrarium fecerit, à peccato saltem mortali, imò si necessitas fuit expediendi Communionem

nem populi, ab omni excusat. Tamb. *l.*5. *ex eodem Sacrif. c.* 5.

2. Mappa linea triplex; etsi enim secundùm quosdam, vna duplicata, imó secundùm Sà, Angl. Azor, *c.*28. *q.* 8. & Laym. *l.* 5. *t.* 5. *c.* 6. *nu.* 17. vna simplex sufficiat in necessitate; Missale tamen Romanum, authoritate Clementis VIII. & Pij V. editum expressè tres requirit, *titul. de defect.* vtì & Gavant. vid. C. de Lugo. Vt ea benedicta sit, non est omninó necessarium, vt habet Sylv. Vndè in necessitate vulgaris adhiberi potest, & alijs vsibus reddi Lay. *loc. cit.*

3. Sub gravi sacrilegio, vestes sacræ; (hoc est benedictæ ab Episcopo, vel Sacerdote habente privilegium, vt habent Mendicantium saltem Superiores, sive Prælati. Vid. Tamb. *l.* 1. *c.* 3. §. 2. *exped. Sacr.*) quarum tamen colores non esse præcepti, sed directionis, notat Homob. apud Dian. *p.* 2. *t.* 14. *Res.* 57. In gravi autem necessitate; etsi præstet, si sine scandalo fieri possit Missam (cuius audiendi, vel faciendi obligatio tunc cessat) omittere, licere celebrare sine stola, vel manipulo, vel etiam vti cingulo non benedicto, vel si fractum sit, rursus connectere, vel stola pro cingulo, & manipulo pro stola, docet Lay. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 6. Dian. *p.*1. *Res.* 57. & 67. contra Fill. *t.* 1. *l.* 5. *c.* 5. qui tamen concedit in necessitate sine vna vel altera ex minoribus, v.g. stolâ, vel cingulo celebrare, non esse mortale. Vid. Dian. *p.* 5. *l.* 5. *Res.*2. vbi contra Fill. ex Henriq. & alijs sex, docet esse probabile, quod ex parvitate materiæ excusari possit à mortali, qui (secluso scandalo, & contemptu) aliquam harum citra necessitatem omittit, v.g. qui celebrat cum cingulo non benedicto, vel eius loco vtitur aliâ re. Deniquè metu mortis, aut gravissimi damni, licere aliquando celebrare sine sacris vestibus, & Altari, (dummodó non fiat in contemptum Religionis) ex Azor. *t.* 1. *l.* 1. *c.*11. *q.*11. docet Escob. *Ex.*2. *c.*2. Nav. Hurt. &c. Limitat autem Tamb. *de exped. Sacrif. l.* 1. *c.* 5. §. 1. ita vt permittat sine aliqua etiam ex gravioribus, non tamen sine omnibus fieri, ob scandalum, & irreverentiam. Vid. Dian. *p.* 3. *t.* 6. *Res.*48. & *p.* 5. *t.* 3. *Res.* 39. Porrò huiusmodi sacras vestes conficere ex profanis, v.g. planetam ex veste serica muliebri, non est prohibitum. Suar. Pal. Tamb. *exp. Sacrif. l.* 1. *c.* 2. §. 4. qui monet *l.c.* §.1. cavendum esse ne sint valdé attritæ, vt & ne reliqua supellex sacra, sit valdè immunda, in quo graviter peccari potest. Suar. Laym. Tamb. *l.c.*

4. Sub mortali requiritur Calix, & patena consecrata, si tamen in nondum consecratis aliquis bonâ, imò addunt Bordon. & Tamburin. malâ fide celebrasset, (licet sic celebrando peccasset mortaliter) probabile esse, quod hoc ipso censeantur consecrata, liceatque in ijs celebrare, contra de Lugo, & Laym. docet Dian. *p.*2. *t.* 14. *p.*5. *t.* 13. *Res.*60. & *p.*9. *t.*7. *Res.*18. ex alijs Auth. Idemque de sacris vestibus, item de corporali, pyxide, &c. quæ immediatè tangunt species, censet Tamb. *de exped. Sacrif. l.*1. *c.*3. §.1. Ac licèt decens sit, vt etiam pyxis, sive ciborium, & luna, seu spærula hyerothecæ, & quodcũque vas continens, & immediatè tangens Eucharistiam, vtí etiam secundùm Laym. *l.*5. *t.*5. *c.*6. vasculum chrisma continens, benedicatur (benedicere autem præter eá, in quibus vnctio adhibetur,

 potest

Universidad Biblioteca

potest idem, qui cætera ornamenta)cùm in Rituali Romano propria sit pyxidis benedictio; id tamen necesse esse negant Suar. Hurt. Lugo, Tamb. *l.1.exp.Sacrif. c.1.* §.6. nec esse necesse imponere pyxidi vas lineum benedictum benedictione corporalis. Porró Calix, & patena cõfecta esse debent ex auro, argento, vel stãno, saltem quoad cuppam (admittunt etiam aliqui ex plumbo), sed non ex ære, *cap. vt Calix de cons. d.1.* quamvis Tamb. *l.1.exped. Sacrif. c.1.* cum Hurt. Fagund. & Gavant. admittant etiam ex gemma, quæ æquè pretiosa sit, ac aurum, vel argentum, modó species non imbibat, nec sit periculum ne effringatur. Ac licét Rubrica præscribat, vt saltem cuppa, & superior pars patenæ sit deaurata: eam tamen non obligare sub mortali Gran. imò nec sub veniali, propter vsum contrarium, vult Tamb. *l.c.*

5. Corporale lineum, saltem quoad eam partem, qua Hostiam, vel Calicem tangit, *cap. consulto, de cons. d.1.* (nam in extremitatibus potest esse sericum, vel auro elaboratum) & benedictum ab Episcopo, vel privilegiato. *Vid. Compend. privil. Societatis Iesu. V. Bened:* non tamen iterum benedicendum post lotionem, nec nisi notabiliter rumpatur S.Th. Sylv. Bon. *d.4. q.vlt. punct 9.* Lugo *d.20. sect.2. nu.76.* & Gavant. *p.2. t.1.* vbi addit ex Sà, (& dicit esse communem) peccare mortaliter, qui vtitur notabiliter immundo.

6. Palla item linea, qua parte Calicem tegit (superiore enim parte potest auro constare, vel serico) quæ cùm habeat communem cum corporali benedictionem, vtpote cuius pars antiquitùs fuit, pro eodem servire posse, docet idem Lug. *l.c.* si sit satis capax.

7. Purificatorium item lineum, non tamen necessariò benedictum, vt contra Laym. docent Suar. Gavant. & Lug. neque vlla reperitur in Ritualibus eius benedictio.

8. Sub gravi peccato Missale, Canonem saltem continens, vt habet Bon. & alij commun. etsi Ledes. & Laym. docent in gravi necessitate licitum esse celebrare sine libro ei, qui moraliter sit certus se non erraturum: & sic Lug. *l.c.* cum Dian. & c. probabiliter excusat eum, qui propter visus debilitatem legere non potest.

9. Minister (secundùm Nav. Fag. & Zerol. sub mortali) & quidem masculus, in necessitate tamen gravi, v.g. diei festi, vel dandi Viaticum, posset quis sibi ipsi respondere, inquit Sà, Bon. & Dian. *t.14. Res.43.* ex alijs. In quo casu etiam fœminam adhiberi posse, docet Nugnus *ar.6.d.1.* & Sylv. idque quibusdam Belgij partibus consuetudine inductum esse, docet Marchan. *Res. past. cap.4.* contra communem, apud Laym. Fernand. & Dian. *l.c.* & Tamb. *l.c.* & Marchin. *de ord. t.3. c.15.* vbi vult id esse mortale. Ministrante tamen circa Altare viro, qui nesciat respondere. Moniales ex Choro respondere, non esse prohibitum notat Lugo, & Tamb. *l.c.* vbi etiam cum Henriq. & Hurt. permittit celebranti Missam cœptam prosequi sine ministro, si hic fortè abijt, & aliquantulùm expectatus nõ revertatur.

10. Crucifixus, (nisi sit expositum Venerabile Sacramentum) non tamen sub obligatione gravi. Idem est de velo. Lugo *d.20. s.2. nu.79.* Gavant.

11. Candela accensa duplex ex cera, & quidem secundùm Fagund. Reg. Vasq. & alios, sub mortali contra Nugnum, & Marchinum. In necessitate tamen, præciso scandalo, sufficit vna, etiam ex sebo, vel lucerna, aut lampas ex oleo. Vid. Dian. *l.c.* Laym. *c.16. nu.17.* Azor, *c.28. q.15.* Sine omni autem lumine celebrare numquam licet. Lugo *d.30. s.2.* adeò vt si extingueretur ante consecrationem, & aliud haberi non posset, Missam esse relinquendam, etiam in necessitate consecrandi pro moribundo Viaticum, dicat Fag. *p.22.c.22.* & Quintan. *t.4. s.1.*

12. Requiritur etiam antipendium, pulvillus, candelabra, bursa, velum, manutergium; sed non benedicta; & si quid ex his desit, ex profanis congruenter mundis mutuó accipi, & deindè priori vsui reddi potest. Tamb. *l.1.c.3.* §.3.

13. Operto capite celebrare non licet, etiam in infirmitate, sine licentia, vt docet, Fagund. Laym. Dian. *Res.58.* Et quidem Summi Pontificis, vt ex declaratione Carnalium notat Gavant. & Tambur. *de exped. Sacrif. l.1.* licet Laym. & Scort. Episcopis, & cum Regularibus eorum Prælatis permittant. Quod Tambur. *l.c.* rectè limitat ad casum necessitatis, in quo ad Papam difficilis sit recursus: Qui tamen sine venia faceret, eum non peccare mortaliter (secluso comtemptu, & scandalo) vult Ledesm. & Tamb. *l.c.* Quod Diana *p.2. t.14. Res. 58.* censet probabile, si tempus Canonis excipiatur.

Plura de his omnibus. Vid. apud *Aut. cit.* Gavant. Dian. Laym. Bon. de Lugo *d. 29. s.4.* Escob. *Ex. 11.* vbi notat, etsi gravis sit obligatio, servandi ritum celebrandi præscriptum in Rubricis Missalis, ideóque grave sit, omittere v.g. oblationem Hostiæ, vel Calicis, vel infusionem modicæ aquæ. Tamb. *de exp. Sacrif. l.2. c.5.* nihilominús levitatem materiæ sæpè excusare à culpa mortali omissionem, etiam intra Canonem monet Escob. *l.c.* Vndè veniale tantùm erit.

1. Omittere orationes dici solitas, dum Sacerdos se induit, vt contra Navar. Sylv. & Azor, docent Laym. Fag. Dian. *Res.21.* &c. Lotionem autem manuum ante vel post Missam (etsi facilè omitti non debeat) non videri sufficientem materiam rigorosi præcepti, tenent Suar. & Tamb. §.6.

2. Omittere Gloria, vel Credo, vel in Canone nomẽ alicuius Sancti; vel ea quæ tempore Paschali interponuntur inter Communicantes; aut infra actionem. Dian. *p.2. t.14. Res.49. & 89.* ex Fil. Quintan. &c. In Missa autem, quæ canitur, non legere Evangelium submissâ voce, Dian. *l.c. Res.4.* negat esse peccatum, ex Sanch. & alijs 10. quod Rubrica sit tantùm directiva. Si quis autem in Missa advertat aliquid à se omissum regulariter non esse repetendum ait Suar. & Tamb. *de exp. Sacrif. l. 2. c. 5.* Dicit, *regulariter*: quia, 1. Si sit de substantia, v.g. aliquid pertinens ad consecrationem, certum est debere repeti. 2. Si dum secretò orat, post pauca verba certó advertat, se aliquid notabile omississe, (v.g. die Paschæ communicantes) paululùm regrediendum esse, & repetendum censet Tamb. *l.c.* ita Fill. Dian. *Res.59.* Escob.

3. Ex devotione leve aliquid in Missa (etiam dum secretò orat) addere v.g. Orationem Dominicam, vel Psalmum aliquem; vel in Canone nominibus Sanctorum nomen Patroni loci Tamb. *l.5. exp. Sacrif.5.* Dixi *leve*: quia notabiliter addere, esse mortale, vult idem

Universidad de Deusto Biblioteca

idem Tamburin. *l. c.* ex Bonac. *d.*4. *q. vlt.*

4. Celebrare ante dictum Matutinum, vt contra Azor, & Reg. docent Sylv. Valent. Suar. Vasq. Less. Fag. Laym. &c. quorum plerique tamen cum Palao dicunt esse veniale, si fiat sine causa: licèt & hoc Tamb. *l.* 1. *ar.*7. §.1. *de exp. Sacr.* in dubium vocet.

5. Quæ altâ voce dicenda præscribuntur, adeó submissa dicere, vt astantes aut audire non possint. Tamb. *de exp. Sacrif. l.* 2. *cap.*9. Quidquid dicat Navar. apud Sà: *V. Missa.* Imò notat idem Tamb. ex C. de Lugo *d.*22. *s.*2. à timoratis passim sine scrupulo voce depressâ legi.

6. Mutare Missam, & die Dominico, vel festo duplici, vel ijs diebus, quibus prohibetur fieri de festo duplici (v.g. infr. octavas Epiphaniæ, Paschatis, &c. Feria IV. Cinerum, infra hebdomadam maiorem: Vigiliæ Nativitatis Domini) sine gravi causa legere votivam, vel pro defunctis, vel de alio Sancto in numerum SS. relato. Suar. Dian. C. de Lugo *l.c.* Esc. contra Quintan. qui, *t.*7. *s.*40. putat in hebdomada sancta licere legere votivam: quod refutant Gavant, & Dian. *p.*9 *t.*8. *R.*53. *ex declarat. Cardin.*

Dixi. 1. *sine gravi causa*: talis autem censetur. 1. Quæ spectat ad bonum Reipub. vel Principis; v.g. necessitas pluviæ, ingruentis belli, vel pestis, vel similis mali vniversalis; item solemnis gratiarum actio, solemnis expositio Eucharistiæ, (v.g. diebus Antecineralibus in oratione 40. horarum) Tamb. *l.*2. *c.*6. 2. Quando cadaver præsens est in Ecclesia, vbi vsus obtinuit. Gavant. *p.*1. *t.*5. 3. Si quis celebret in Ecclesia, in qua agitur dies festus loci proprius, hunc enim non tantùm posse, sed debere ex congruitate conformare se loco, notat Gavant. Vid. Tamb. *l.*2. *c.*6. qui §.2. & 4. addit, etiam, si Sacerdos (accepto stipendio) homini promiserit votivam, vel pro defunctis, etiam in altari privilegiato, non solùm posse, sed debere celebrare Missam currentem diebus quibus istę prohibentur. Imò etsi Deo per votum tales Missas promiserit, non tamen ad eas obligari istis diebus, eò quód votum non obliget, quando impedit bonum maius, quale esse dicit conformitatem officij cum Missa: secùs diebus alijs.

Dixi. 2. *In numerum Sanctorum relato*: quia si sit Beatificatus tantum, de quo certis Sacerdotibus, (v.g. quorum Ordinis fuit) concessum sit Missam legere, docet Gran. 2. 2. *t.* 2. *c.* 7. *d.* 4. *s.* 2. *nu.* 2. & Escob. contra Palaum, non licere alijs Sacerdotibus, etsi nullum aliud sit festum, de eo legere: eò quòd sic expressè determinarit Sacra Rituum Congregat. apud Gavan. V. Esc. *n.*41. & Tamb. *l.c. c.*6. vbi, Palaum sequens, dicit, contrarium esse probabilius, ac magis pium. Imò de Sanctis Societatis certum esse si celebrent in templis eiusdem Societ. ex concessione Pontificum. Idem tenet Quintanad. *t.* 7. *sing. loc. cit.*

7. Si quis violet rubricam spectantem ad essentiam, vel quasi essentiam Missæ; vel si nullam plané servet, peccat mortaliter. Escob. ex Fag. *p.*1. *l.*3. *c.* 21. *n.* 9.

†
IHS

ARTI-

ARTICVLVS IV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPVT. I.

De essentia huius Sacramenti.

DVBIVM I.

Quæ sit eius materia, & forma?

RESpondeo. Materia remota, & necessaria, est omne peccatum mortale, post baptismum commissum, & non confessum. Materia sufficiens, & non necessaria, est omne veniale post baptismum commissum, vel etiam mortale, aliàs rité confessum. Materia proxima sunt actus pœnitentis, contritio, confessio, & satisfactio: quarum vltima est integralis tantùm, (vt patet in infirmo, qui si ratione destituatur, solet absolvi absque satisfactione) duæ priores sunt essentiales, vt communiter docetur contra Scotum, qui totam essentiam ponit in absolutione. Porrò, peccata sunt tantùm materia circa quam; actus verò pœnitentis materia ex qua Laym. *l.* 5. *tr.* 6. *cap.* 4. ex commun. *Vndè resolves.*

1. Etsi peccatum mortale, remissum quomodocunque sit, teneris tamen confiteri, si non fecisti. Trid. *sess.* 14. *cap.* 5.

2. Omitti possunt venialia, vel omnia, vel aliqua: item mortalia semel ritè confessa, v.g. in Confessione generali, vt docent Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 56. C. de Lugo *d.* 16. *nu.*56. contra Victor. Ledes. & alios. In qua etiam non esse necessarium, addere peccato mortali, quòd post vltimam confessionem sit commissum docent Bon. *d.* 5. *q.* 5. *s.* 2. *p.* 2. Dian. *p.* 2. *tr.* 4. *R.* 62. & *p.* 3. *tr.* 3. *R.* 65. C. de Lugo *d.* 16. *s.* 2. *num.* 47. ex Sanch. & Con. quod est probabile, nisi circunstantia aliqua, v.g. speciem mutans, vel reservatio casûs, vel proxima peccandi occasio, aliud requirat, & pœnitentia sufficiens imponatur. C. de Lugo, Tamb. *de exped. cons. l.*2. *c.*1. Tutius tamen est nova ab antiquis secernere.

3. Ponenda semper est materia certa; qualem esse negat Sanctius *in sel. d.*7. apud Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 52. quod quis non responderit divinis inspirationibus, non fecerit bonum quod potuit, & similes imperfectiones. In quibus tamen exponendis, non tenetur Confessarius impedire pœnitentem, vt docet C. de Lugo *l.c. n.* 103. contra Sancium. Quòd si haberi certa non possit, pro ratione dubij danda est absolutio; vt sub dubio, si materia prorsus dubia sit; vel absolutè, si certa videatur. Ita Suar. Lay. *l.*5. *t.*5. *c.* 3. & alij commun.

Resp. 2. Forma Sacramenti Pœnitentiæ sunt verba absolutionis: *Ego Te Absolvo à Peccatis Tuis* (vbi licèt de essentia tantùm sit, *Absolvo Te*: debent tamen addi reliqua, præsertim in articulo mortis, secundum quosdam, sub mortali, secundùm alios, sub veniali, vt V. Gran.) voce prolatâ in præsentem; absentem enim. Clem. VIII. absolvi prohibuit, sub pœna excommunicationis. *Vndè resolves.*

1. Invalidum est absolvere nutu, signo, aut scripto: item absolvere absentem; quod docuit Alensis, Medin. & alij, sed vetitum nunc, vt modò dictum.

2. Valida est absolutio, si reverentiæ

tiæ causa dicas: *Absolvo dominationem, excellentiam*, vel *maiestatem vestram &c.* Quia non mutatur essentialiter, & sunt verba æquivalencia. Aversa. *V. supra tr. 1. c. 1. d. 2.* Non valet autem, si dicas: *Absolvat te Deus*, vel *Absolvat te Christus*, Aversa *q. 12. s. 2.*

3. Orationes præviæ, & subsequentes formam, vt *Misereatur tui, &c.* & *Passio Domini, &c.* quæ secundum Trid. laudabiliter adduntur, non sunt necessitatis, & ex causâ rationabili omitti possunt; v.g. si breves sint confessiones, vel multi confitentes. (Vid. Dian. *p. 3. tr. 4. R. 97.* tunc enim sufficit dicere, *Absolvo te á peccatis tuis in nomine, &c.*) vel si timeatur censura, *Absolvo te à vinculo excommunicationis: deinde à peccatis tuis, &c.* Vid. *Sà V. Absolutio.*

4. Elevatio manûs, eiusque impositio in caput, item formatio Crucis, est libera, etsi debeat servari consuetudo. Ita Laym. *cap. 5.* vbi idem dicit de apertione capitis. Forma autem Clem. VIII. vt tradit Sà, & Rituale Romanum, est hæc; qua vt omnes vtantur, suadet Paulus V. ideoque omnibus tenenda memoriter, *Misereatur tui omnipotēs Deus; & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen*: deinde elevata manu pergit: *Indulgentiam absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus, Amen. Dominus noster IESVS Christus te absolvat, & Ego authoritate ipsius, te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis* (quæ vox circa laicos omittitur,) *& interdicti, in quantum possum, & tu indiges: Deinde ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita B.V & omnium SS & quidquid bonifeceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.*

DVBIVM II.

Qualis contritio requiratur?

SVppono, quòd contritio in communi, sit dolor, ac detestatio peccati commissi, cum proposito emendandi, vt habet Trid. *sess. 14.* Vbi eam dividit in Perfectam, quæ absolutè sic dicitur; & in Imperfectam, quæ attritio dicitur. Perfecta est quæ elicitur ex motivo charitatis propter Deum summé dilectum: & hæc se sola mox iustificat, etsi cum voto, & ordine ad confessionem, quam deinde facere teneris. Imperfecta est, quæ ex inferiore motivo, supernaturali tamen, concipitur.

Resp. Ad Sacramentum hoc, sufficit, & requiritur saltem attritio formalis, supernaturalis, efficax, & vniversalis, (respectu mortalium) concepta in ordine ad confessionem, vel saltem absolutionem. Est communis. Vid. Bon. *d. 5. q. 5.* & Schol. ac colligitur ex Trid. *l.c. Vndè resolves.*

1. Non requiritur contritio existimata, vt voluit Gabriel.

2. Non sufficit. 1. Attritio existimata tantùm, licèt inculpabiliter: quia vera attritio est pars essentialis. 2. Nec desiderium absolutionis, sine affectu ad peccata; idque etiamsi tantùm confitearis venialia, vt habet sententia communis contra Angles, & quosdam alios, quos sequitur Tamb. *l. 1. exp. conf. c. 3.* Vid. Dian. *p. 9. t. 9. Res. 31.* Vndé peccat gravit er qui etiam sola venialia, vel sola mortalia aliàs confessa, sine omni formali dolore confitetur, quia non ponit materiam Sacramenti, & saltem periculo sacrilegij se exponit. Ita Lugo *d. 14. s. 8. &c. com.* V. Dian. *p. 3. t. 4. Res. 116.* Bon. *d. 5. q. 3. s. 1. p. 5.* Non tamen est necesse, vt dolor se extendat ad omnia venialia, quorum sibi pœnitens est conscius. Sà, Laym. Lugo. Imò notat Tamb. *l.c.* satis esse de vno veniali dolere formaliter, etsi plurium sis conscius, de quibus nec dolorem, nec propositum emendandi habeas, sive ea confitearis, sive non.

3. Non absolvitur, qui dolet, licét intensissimè, tantùm propter infamiam, damna, aliasve pœnas temporales præcisé, etsi inculpabili ignorantia: quia non est dolor supernaturalis, nec ignorantia, aut bona fides potest supplere defectum essentialem. Bon. *l.c.* &c. Limitat tamen Reginald. cum Tamb. *de exped. conf. l. 1. cap. 1.* nisi doleas propter istas, vt à Deo inflictas, vel infligendas.

4. Ad attritionem non requiritur vlla intensio, vel duratio temporis, vt vult Durand.

5. Etsi debeat esse de omnibus peccaris mortalibus, non requiruntur tamen singuli dolores de singulis, vt vult Angles; sed sufficit vnus actus de omnibus simul sumptis, etiam oblitis: ideòque peccat graviter, qui sciens prudens non atteritur vniversaliter, de omnibus mortalibus nondum remissis. Bon. &c. *ll. cc.*

6. Non sufficit dolere, quod non doleas, vt habent Nav. & Sà; nec velleitas non peccandi. Ratio vtriusque est, quia non est dolor de peccatis commissis, cum quo affectus ad ea stare potest. Henriq. Vasq. Bon. *l.c. nu. 7.* Vbi rectè notat; cum actu, quo quis dolet se non dolere de peccatis, plerumque coniunctum esse dolorem de peccatis, etsi pœnitens eum non dignoscat.

7. Etsi dolor hic debeat esse summus appreciativè, ita vt nihil magis detesteris, quàm peccatum, malisque omnia mala huius mundi perpeti, quàm mortaliter contra Deum peccare: non tamen opus est, imò nec expedit, particulares facere collationes, verbi gratia, mallem hoc, vel illud malum subire, quàm mortaliter peccare; quia periculosæ sunt.

8. Qui non vult occasiones proximas peccandi à se amoliri, vel non remittere ex animo, vel non restituere, aut satisfacere quibus debet, vel non habet formale (licèt probabiliter cum Lugo *l.c. s. 5.* Laym. Dian. aliqui dicant, virtuale in contritione vniversali inclusum sufficere, saltem quando non occurrit cogitatio de peccatis vitandis) propositum, peccata mortalia, (quando talia confitetur) vitandi efficax, idest, cum quo non possit consistere affectus actualis erga aliquod mortale, non est sufficienter attritus. Ratio est, quia non est dolor, & destatio efficax; quippe cum quo possit stare voluntas peccandi: nec is se ex toto corde convertit ad Deum, detestans peccatum super omne detestabile. Suar. Fernand. Layman. *l. 5. t. 6. c. 4.* Dian. *p. 3. t. 4. Res. 119. &c.* commun. Et licèt sola venialia confitearis, teneris tamen, sicut dolorem, ita etiam propositum, saltem virtuale, circa illa habere. Lug. *d. 14. s. 8. & 9. & alij.*

9. Redire sæpè cum eodem mortali non est certum indicium deesse attritio-

Universidad de Biblioteca

tritionem, etsi sit magna præsumptio, præsertim in ijs, qui coguntur confiteri à parentibus, magistris, &c. Item in ijs, qui aliquoties moniti concubinam non separant, aut restitutionem non faciunt, quibus proindè absolutio differenda est, nisi id actu præstent. Quanquam possint esse alia signa veri doloris, v.g. si media præscripta sint adhibita, occasiones vitatæ, si numerus peccatorum imminutus, si pœnitens omninò asserat, cui plerumque credi debet, cùm ipse sit sui accusator, defensor, & testis. Quia in re opus est magnâ prudentiâ Confessarij, ne pœnitentem severitate avertat, neque etiam lenitate seducat, & peccet, pereatque cum illo. Suar. *in* 3. *p. d* 32. *s.* 2. Sanch. *lib.* 2. *in doc. cap.* 32. *& lib.* 3. *& cap.* 5. Lugo *l.c. nu.* 166. *&* 169. contra quorum, aliorumque communem sententiam docent apud Dian. Vivaldus, & Ioan. Sancius *d.* 10. *num.* 16. posse toties, quoties confitetur, absolvi: etiamsi nullus appareat profectus: eò quód sine illo possit esse verum propositum; sicut est in ijs, qui venialia semper afferunt eadem. Verùm id probare non ausi, nec videtur esse par ratio. Vid. Con. *d.* 2. *dub.* 14. Dian. *p.* 2. *t.* 7. *Res.* 55. *& p.* 2. *t.* 2. *mis. Res.* 45. *& p.* 3. *t.* 4. Cassianum à S. Elia in Theol. Moral. Expurg. Verbo *Pœnit.* V. vbi exponit Propositionem istam interdamnatas ab Innoc. XI. 60. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.*

10. Absolvendi sunt ij, qui ex officio, domo, vel negotio, in quo propinquum peccati periculum imminet, discedere nolunt, eó quod sine maxima difficultate non possint, parati interim media præscribenda adhibere. Ratio est; quia occasio, etiam propinqua, non necessitat ad peccatum, ideòque stare potest cum proposito peccata vitandi. Nec refert; quòd quis putet, vel timeat, se vnum, vel plura peccata non vitaturum: quia propositum est actus voluntatis: existimatio autem illa est actus intellectus, qui ex illo proposito, ob humanæ voluntatis mutabilitatem, non necessariò consequitur. Interim qui certus est, impossibile sibi esse, in tali occasione peccata vitare, debet eam deserere; nisi velit perire. Ita Layman. *l. c.* Lugo *l. c. nu.* 152.

11. Non requiritur dolor sensibilis, sufficit enim intellectivus; qui cùm sit interior, ac spiritualis, scrupulosi non facilè debent angi, quasi sine dolore accedant ad Sacramentum, eo quod nullum sentiant.

12. Is, qui nihil cogitans de Confessione attritionem elicuit, non referens eam ad Sacramentum, non potest sine novo dolore ad id accedere: quia pars debet referri ad compartem. Ita Suar. *d.* 20. *s.* 4. Bon. *d.* 5. *q.* 3. *p.* 2. Contrarium tamen videtur docere. Lug. *d.* 14. *s.* 4. *num.* 37. quod non est improbabile. Tamb. *l.* 1. *c.* 2.

13. Non sufficit ad Sacramentum dolor, qui sequitur absolutionem: imò secundùm sententiam saltem tutiorem, quam docent Layman. *l.* 5. *t.* 4. & Con. debet antecedere etiam Confessionem, etsi contrarium etiam probabiliter doceant Vasq. Fil. Fag. C. Lug. *de pœn. d.* 14. *s.* 2. & Gasp. Hurt. *d.* 6. *dif* 5. apud Dian. & Escob. *t.* 7. *Ex.* 6.) Vndè pœnitentes initio ad dolorem excitandi; aut si

aut si post peccatorum narrationem fiat, repetant verbo Confessionem, dicendo se dolere de peccatis expositis. Vid. Laym. *l.c.*

14. Probabile est, eum qui paulò anté confessus, iterùm confitetur, vel eadem peccata, vel quæ exciderant, de quibus anté (explicitè, & in particulari) non doluit, non teneri elicere novum dolorem. C. Lug. *d.* 14. *s.* 3. Dian. *p.* 9. *t.* 3. *Resol.* 5. *&* 51. & consequenter potest moribundus propter periculum instantis mortis absolvi, audito tantùm vno, alterove peccato: & deindè si superstes maneat, auditis reliquis iteratò absolvi in virtute doloris præcedentis. Tamb.

DVBIVM III.

Qualis Confessio requiratur.

ARTICVLVS I.

An debeat esse integra materialiter?

RESP. Ad Confessionem per se, & ordinariè requiritur integritas materialis, sita in eo, vt postquam diligentiùs te excuseris, conscientiæ tuæ sinus, & latebras (ita loquitur Trid. *sess.* 14. *c.* 5.) exploraveris confitearis omnia mortalia memoriæ occurrentia, nondum confessa, eorumque numerum, & circunstantias, quæ speciem mutant. Patet ex Trid. *l.c.* & est certum. Ratio est quia aliàs nec iudicium Sacramentale rectè administrari, nec æquitas in pœnis statuendis servari potest.

Dicitur 1. *Per se, & inordinariè*, quia per accidens, & extraordinariè sufficit integritas formalis. *V. d. seq.*

Dicitur 2. *Numerum*, intellige certum, qui si non constet, dic probabilem, addendo *plus minus*. Quod si deindè deprehendas te errasse, non teneris iterùm confiteri, nisi notabiliter fuerit maior. Fagund. Sanch. Hurt. contra Reg. Fil. & Sà, qui dicunt verba illa, *plus minus*, tantùm extendi ad vnum, vel duo supra numerum indicatum. Sed quamvis hoc sit verum in numero parvo denario, v.g. non tamen in alijs, v.g. centenario, millenario, &c. quia verba illa non habent sensum absolutum, sed respectivum, ad numerum cui adduntur, qui quantò fuerit maior, tantò etiam maior verbis istis intelligetur, dummodó tamen sit parvus respectu alterius cui adiungitur, quod prudentis arbitrio æstimandum est. Ita Dian. *p.* 3. *t.* 3. *Resol.* 194. ex Nav. &c. Item Cardinal. Lugo *d.* 16. *num.* 94. Quod si autem nec probabilis haberi potest, dicenda est consuetudo peccandi, tempus, & frequentia in die, septimanâ, mense, vel anno. Vid. Fill. *t.* 7. *c.* 4. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Resol.* 94. Gasp. Hurt. *d.* 9. *dif.* 5. Lugo *d.* 16. *nu.* 79.

Dicitur 3. *Quæ speciem mutant*: quia etsi probabile sit, quod docent Suarez, Con. & alij; etiam eas, quæ notabiliter in eâdem specie aggravant, (hoc est, quæ iuxta cuiusque conscientiam excedunt ordinarium peccandi modum) esse explicandas, ob rationem allatam in responsione. Contraria tamen sententia quam ex D. Th. Sylv. Nav. docent Vasq. Reg. Bon. Lugo. *d.* 16 *s.* 3. etiam probabilis est, & tuta: saltem si excipias. 1. Gradus consanguinitatis in incestu. 2. Quantitatem furti, iniuriæ. &c. quæ egent satisfactione. 3. Quando vno actu plures sunt occisi, vel infamati, vel apud plures.

plures. 4. Odium diuturnum: quia tunc solent plures actus fieri. Vid. Regin. *l.c.* 5. Peccatum inter Confessarium, & pœnitentem. Vid. Fil. *de imped. matr. c.* 5. *q.* 5. 6. Si circunstantia invehat censuram, vel reservationem, vel ad necessariam pœnitentis directionem, à Confessario prudenter interrogaretur. *Vndè resolves.*

1. Ad integritatem confessionis prærequiritur diligens examen, pro capacitate pœnitentis, temporis morâ, & cæteris circunstantijs. Ad id autem sufficit diligentia mediocris, qualem vir prudens in arduis negotijs adhibet, vel qualem moraliter loquendo, docti, & timorati adhibere solent, etiamsi quis putet, maiore diligentiâ plura se reperturum. Bon. *t.* 1. *d.* 5. *q.* 5. Laym. *l.* 5. *t.* 6. *c.* 8. Post mediocrem autem istam diligentiam non tenetur de anteacta vita vlteriùs cogitare: & si quid occurrat quod videatur non esse in confessione explicatum, potest sibi persuadere cum cæteris id memoratum fuisse. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 107. ex Sancio.

2. Examen hoc à Confessario potest suppleri: quod tamen Suar. reprobat, in confessionibus longis diligentiorum, eó quod impossibile feré fit, vt quis repentè rogatus omnia recordetur; & tantúm admittit in rudibus, quos etiam monet Sà: *V. Confessio*, bona fide confessos, non nimis rogandos de confessionibus præteritis, nisi intelligatur aliquid necessarium defuisse. Vid. Fagund. Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *Res.* 89.

3. Non est necessarium peccata scribere, ne memoria excidant, vt contra Bon. docent Suar. Vasq. & alij. Imò Sotus dicit, id non consulendum ob periculum evulgationis. Meliùs tamen Laym. Con. & alij asserunt suadendum esse, dummodó vitetur anxietas nimia, propter quam scrupulosis prohiberi potest.

4. Invalida est confessio, non integra, ex ignorantia, vel negligentia mortaliter culpabili, vt veriùs docent Suar. & alij communiter contra Sotum, & Canum: quia Trid. requirit diligens examen.

5. Non officit integritati, per se loquendo, si quis subindé graviùs lapsus, id alteri priùs confiteatur, & deindé ordinario suo venialia tantùm (qui imprudenter id ægrè feret, prohibebit, aut reprehendet) nisi tamen ea occasione, maneat in morali occasione peccandi, aut ideó circumeat, vt liberiùs peccet, tunc enim graviter peccabit, & ob defectum attritionis confessio erit nulla. Ita Fill. Laym. *l.* 5. *t.* 6. C. de Lugo *d.* 16. *nu.* 57.

6. Ex circunstantijs minuentibus, illæ tantùm explicandæ sunt, quæ vel omninò tollunt malitiam, vel ex mortali faciunt venialem, vt parvitas materiæ, indeliberatio, &c. (v.g. si die Veneris ignorans comedisset carnes) vel alioqui notabiliter mutant iudicium Confessarij, saltem quoad speciem.

7. Ad servandam integritatem confessionis, peccata mortalia dubia, vt dubia, (loquendo de dubio propriè dicto) sunt aperienda, vt docet Suar. *in* 3. *p. t.* 4. *d.* 22. *s.* 9. *n.* 7. Sanch. Dian. C. de Lugo, *d.* 16. *n.* 63. Bon. *d.* 3. *q.* 5. *s.* 2. *p.* 2. *dif.* 4. & alij commun. contra Con. Ratio est; tum quia peccata quæ sunt in conscientia, debent manifestari; at dubia sunt vt dubia in conscientia; tum quia in negocio salutis, & medio ad hanc necessario, non tam habet locum illud axioma: *Melior est conditio possidentis*, quam hoc; *In dubio tutior pars eligenda est.* (Excipiuntur tamen scrupulosi, & ij, quibus diu post patratum peccatum suboritur aliquod dubium, si aliàs soliti sint sollicitè confessionem instituere: quia non est dubium prudens.) Quod si postmodum accipiat notitiam certam, idem rursus esse confitendum tanquam certum docet Tur. & Sanc. 1. *mor. c.* 10. *n.* 69. Dubitat tamen C. de Lug. *d.* 16. *s.* 2. *n.* 79. & 92. suadetque id vt securius. Vid. Diana. *p.* 3. *t.* 4. *Res* 60. & 107. Si verò peccatum confessus est, vt certum, & posteà de eo dubitet, an fecerit non tenetur iterùm confiteri, vt dubium. Lugo, Tamb. *de exped. conf. d.* 1. *c.* 1. qui idem censent, etsi postmodùm certò comperiat se non fecisse. Monent autem Suar. & Tamb. *l.c.* si quis sola peccata dubia confiteatur, monendum, vt addat aliquod certum ex aliàs confessis. Quòd si id haberi non possit: absolvendum sub conditione.

ARTICVLVS II.

Quando sufficiat confessio integra formaliter?

RESp. Etsi ad hoc Sacramentum requiratur semper aliqua confessio, non tamen semper opus est, vt ea sit integra materialiter, modò sit talis formaliter, seu moraliter, idest, quantùm moraliter loquendo hìc, & nunc potest fieri; etsi posteà debeas, si possis, supplere defectum, non statim, sed quando rursùm confiteri obligaberis, aut voles. Porrò quando talis confessio sufficiat, sequentes regulæ docent.

Prima. Quandocunque quis ad materialiter integrè confitendum physicè est impotens, sufficit integritas formalis: quia præceptum divinum non obligat ad impossibile. Vndé possunt in sequentibus casibus absolvi. 1. Mutus, etsi vnum tantùm, vel alterum per nutus significaverit: nisi tamen scriptò possit Confessario exhibere: ad quod tunc eum teneri probabilius est, vt communiter docetur contra Caiet. Navar. & alios. 2. Surdus, qui non potest omnia explicare. Laym. *l.* 5. *t.* 6. *c.* 8. 3. Ignarus idiomatis, tempore præcepti, vel alterius necessitatis, etsi non integrè intelligatur, si neque Confessarius linguæ gnarus, neque interpres haberi possit; imò etsi adsit interpres; non enim tenetur per eum confiteri, vt docent Suar. Vasq. Dian. nisi fortè in periculo mortis, in quo aliqua minora confiteri sufficiet. Vid. Lug. *d.* 15. *nu.* 65. 4. Moribundus vsu linguæ subitò destitutus, si petat absolvi, ac det signa doloris, vel antè dederit coram alijs; modò id fecerit in ordine ad Sacramentum, quod de quovis in eo statu præsumendum videtur. Quo casu, si (saltem coram ipso infirmo) sive ab vno, sive pluribus, mediatis, vel immediatis testibus detur testimonium, Sacerdotem non tantùm posse, sed probabiliter etiam teneri absolvere, (saltem sub conditione) docent Dian. & Lugo *d.* 18. *n.* 84. *&c.* ex multis alijs. Item Bona citans declarationem Cardinalium pro se; & Præp. *q.* 4. *dub.* 5. *&c.* eó quód sic, & ægri necessitati, & reverentiæ Sacramenti consulatur. Dixi *saltem*: quia Tamb. *l.* 2. *exped. confess.* citans Con. Præp. & Lugo docet, posse, & debere absolvi absolutè; etsi sit absens, qui de signo coram se dato testatus fuit.

Universidad de Navarra Biblioteca

fuit. Deniquè si nullum signum dederit, nullo modo absolvendus est, cùm actus iudicialis non exerceatur, nisi præcesserit accusatio: licèt enim Recentiores quidam, vt Tamb. *de exped. conf. lib.* 2. *c.* 10. citans Homobonum, & Molfes. Item Phil. Servus *in amico fideli p.* 3. *c.* 1. Anton. *de lit.* Barth. de S. Fausto, &c. censeant posse, imò debere, absolvi sub conditione, dummodò aliàs probé, & Christianè vixerit, eò quòd præsumi possit, interiùs elicuisse contritionem, idque Diana. *p.* 4. *t.* 4. *Res.* 92. *& part.* 9. *t.* 6. *Res.* 20. ex alijs 12. iudicet probabile, ab alijs tamen meritó reijcitur, vt Suar. Vasq. Conin. Mercer. Lugo *d.* 17. *sect.* 3. Malder. &c. ipsoque Dian. *l.c.* & alijs 12. apud Aversam; quia deest omnis externa confessio, quam esse partem essentialem huius Sacramenti, constat ex Trid. *s.* 14. *Canon.* 9. & ex nullo signo rationabiliter præsumi potest, vt suppono. Vide Lugo *l.c.* Aversam *quæst.* 10. *sect.* 18. vbi notat, absolutionem quæ ijs, qui inscripti sunt in Societatem Rosarij, solet in infirmitate impendi sine omni confessione, non dari tanquam Sacramentalem, nec in ordine ad conficiendum Sacramentum, sed ad indulgentiam, & remissionem pœnæ consequendam.

Secunda. Quando vel pœnitenti, vel Confessario imminet periculum vitæ, quod nec illum integrè confiteri, nec hunc audire patiatur, sufficit integritas formalis. Ratio est, quia tunc materialis non est possibilis moraliter, quod valet sequentibus casibus.

1. Si pœnitens, v.g. infirmus, vno alterove peccato dicto deficiat, vel sit grave periculum, ne deficiat.

2. Si infirmus volens confiteri, dum, ei fertur Viaticum; deprehendatur multas confessiones fecisse invalidas, & gravitas morbi non patiatur dilationem absolutionis. Gram. Zam. Diana. *p.* 5. *t.* 3. *Res.* 75.

3. Si ipse Secerdos in periculo constitutus, videatur anté moriturus, quàm pœnitens absolvatur.

4. Si tempore pestis, prudentum iudicio moraliter certum periculum sit, ne Confessarius inficiatur, qui si tamen totam audire velit, tenebitur ad eam pœnitens.

5. Si immineat conflictus, vel si multitudo moribundorum, v.g. in naufragio, nec possint omnes audiri. In quo casu possent etiam omnes simul dicto vno peccato, quod minùs infamat. (vel etiam secundùm quosdam, si aliter fieri non possit, dicendo in genere se esse peccatores) absolvi, dicendo: *Ego vos absolvo, &c. Vide Sà: V. Absolutio*; & Con. *de Sacr. d.* 7. *dub.* 9.

Tertia. Quando ex confessione certi peccati, vel circnnstantiæ timetur meritó grave damnum proprium, vel alienum, sive Confessarij sive alterius, corporale, vel spirituale, potest id reticeri. Ratio est, quia præceptum divinum de integritate, non obligat cum tanto incommodo: Quod tantum esse posset, vt peccares confitendo, v. g. 1. Si Sacerdos certum peccatum sit revelaturus (intellige cum Conin. C. de Lugo *d.* 26. *nu.* 527. quod pœnitens ipse non teneatur revelare) 2. Si sciat v.g. mulier, ex certo peccato, sibi, vel Confessario fore periculum ruinæ. 3. Si pœnitenti indè immineat grave damnum, vel periculum vitæ, vel famæ. In his tamen casibus videtur requiri necessitas confitendi, v.g. ob Commnionem annuam, vel

si longo

si longo tempore alioqui esset differenda Vide Fill. *t.* 27. *c.* 6. C. de Lugo *l.c.* vbi monet, talia damna, aut pericula non facilé fingenda esse; & quidem in Religioso vix posse locum habere.

Quarta. Si quis aliquod peccatum, vel circunstantiam non possit confiteri sine violatione sigilli, v.g. si invalidé absolvisses simoniacum, nec posses confiteri, nisi illi, qui facilé indé posset conijcere, quisnam ille esset.

Ex omnibus supra dictis sequitur, excusari etiam sequentes ab integritate materiali. 1. Qui habent casum reservatum, de quo infrà, & Laym. *l.* 5. *t.* 6. *c.* 12. 2. Scrupulosum, qui perpetuò angitur de oblitis. 3. Quem Sacerdos absolvit ante finem nolens omnia audire, vt habet Bon. *hic.* 4. Quem fallit memoria, ita vt dicat, se scire in genere quòd peccaverit mortaliter, non occurrere autem speciem peccati: etsi tunc veniale aliquod addere sit consultum. Ita Conin. & Laym. *l.c.* contra Sot. & Medinam: 5. Eum, qui extremè rudis, vel simplex dicit se dolere de peccatis, nullum tamen in specie, ne veniale quidem, sciat dicere: qui etsi speculativè loquendo posset absolvi, practicè tamen non expedit, sed data benedictione permittatur communicare. Ita Laym. *l.c.* 6. Qui aliquod peccatum non potest confiteri sine complicis infamatione; v.g. si peccasses cum matre, vel sorore, quam Confessarius nosset, tunc enim (si alium Confessarium non potes habere, quem aliàs adire tenereris) sufficeret, imó deberet dici, quòd animo cum ea, vel in genere cum aliquà, fornicationem, vel incestum commisisses, reticēdo gradum primum, vel secundum, quod licebit, sine manifestatione complicis, cum proposito confitendi integrè Sacerdoti alteri, proxima occasione. Ita probabiliter Nav. *c.* 7. Bon. Con. Valent. Præp. *hic dub.* 6. Llamas, &c. Ratio est, quia quando duo pręcepta divina occurrunt, naturale, & positivum, quæ simul servari non possunt, præferendum est naturale; quia strictiús obligat. Etsi probabiliús contrarium doceant Fil. Suar. Vasq. Lugo *art.* 16. *num.* 394. Hurt. Con. & alij commun. Vndè talis saltem non tenebitur tacere id peccatum, ne complicem infamet, nisi commodé possit; (quod C. Lugo. extendit etiam ad non complicem, sine cuius manifestatione peccatum explicari non potest) ideóque Confessario curandum, ne nominentur personæ, nisi ad pœnitentis directionem opus esset; tunc enim infamia ista, non tanti æstimatur, eamque sibi imputet, qui peccavit. Conferendum tamen est commodum directionis cum infamia. Ratio suprà dictorum omnium est; quia in his casibus moraliter non potest fieri confessio materialiter integra. Layman. *cap.* 8. Fagund. *p.* 1. *cap.* 3. Vide Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 64. *&* 131. *& p.* 1. *c.* 7. *Res.* 49. Less. *lib.* 2. *cap.* 11. *d.* 11. Tambur. *de exped. confess. lib.* 2. *cap.* 9. §. 2. vbi docet probabile esse, quod talis pœnitens propter solam consolationem, quam sentit ab amico, vel docto Confessario, possit ei confiteri, etsi alium habere possit.

ARTICVLVS III.

Quæ sint reliquæ conditiones confessionis?

RESP. Præter integritatem sunt hæ tres.

Universidad de Deusto Biblioteca

Prima, *vt sit vocalis*, scilicet ordinariè: idque propter vsum, & praxim Ecclesiæ graviter obligantem, nisi subsit iusta causa, vt impotentia, sive physica, sive moralis: quæ si adsit, potest fieri nutu, scripto, aliove signo, v.g. si quis ob anxietatem loqui non possit, aut puella supra modum verecunda, aliter se non possit explicare, quàm scripto quo à Confessario lecto, addat voce, de his me accuso. Suar. Vasq. Lugo, Lay. *l.5. t. 6. c. 6. nu.* 3. Imó qui aliter non potest, tenetur iuxta communem sententiam confiteri per nutus, aut scriptum tempore præcepti: etsi id quoad scripturam non admittant Navar. Tol. Sot. Valent. Dian. extra articulum mortis. Vid. Lug. *d.* 15. *nn.* 87. Similiter suadendum esse surdis, vt confiteãtur scripto, (licét ad id non teneantur) ne ab alijs audiantur. Eandemque ob causam eos non interrogandos nisi de planè necessarijs ex Possev. docet Dian. *p.3. t.* 4. *Res.* 127. *& p.5. t. 6. Res.5 Vndè resolves hunc casum.*

Is qui extra necessitatem, totam confessionem facit nutu, vel scripto, mortaliter peccat, ac consequenter non absolvitur. Dian *p* 3 *t.*4 *Res.* 127. ex Sylvius, vid. Fil. *to.*1. *t.*7. *c.*1. Con. *d* 6 *dub* 1. Suar. *d.* 21. *s.* 3. *nu.* 5.

Secunda conditio, *vt sit secreta*, idest vt fiat soli Sacerdoti, non quidem ex necessitate, sed vsu Ecclesiæ. Publica autem, qualis in naufragio, prælio, hospitali, vbi alij adiacent, vel per interpretem fit, non obligat (saltem respectu peccatorum occultorum) nisi ex charitate sui, eum, qui in articulo mortis dubitat de contritione; ac tunc adhuc sufficit ea confiteri, quæ minorem pariuntur infamiam. Ita Suar. Fag. Diana. *p.* 3. *t.* 4. *R.*29. *&c. Vndè resolves.*

Si quis peccata in prioribus confessionibus oblitus esset, non tenetur etiam in articulo mortis ea confiteri publicè, vel per interpretem: quia peccatorum oblitorum confessio tantùm obligat ex præcepto positivo divino, quod in hoc casu cessat. Vid. Lay. *c.* 6. Dian. *p.*3. *t.*4. *Res.* 128. *&* 129.

Tertia conditio, *vt sit vera.* Quod requiritur essentialiter in materia substantiali, & necessaria; quia aliàs in re gravi deciperetur Iudex, neque esset confessio integra, ideóque irrita. Non tamen in materia libera; tum quia falsitas signi in accusatione circa materiam accessoriam, non facit sententiam irritam; tum quia talis tantùm peccat venialiter, cùm non sit graviter iniurius Sacerdoti, nec Sacramento. Ita Nav. Suar. &c. *Vndè resolves.*

1. Non est mortale, nec irritat Sacramentum. 1. *Si* in confessione mentiaris leviter, circa res non pertinentes, aut non necessarias ad Sacramentum, v.g. si historiam falsam narres, vel si neges veniale, vel mortale, quod non teneris confiteri. 2. Si falsò te accuses de veniali: quod tamen mortale grave erit, si id facias non dando aliam materiam, cùm sic formam reddas irritam, & Sacramentum: nisi tamen facias ex scrupulo, perturbatione. Ita Suar. Fil. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 4. Laym. *lib.* 4. *t.* 6. *cap.*8. Dian. *p.* 5. *t.* 4. *Res.* 96.

2. Sacrilegium est, & absolutio nulla. 1. Si mortale quod confiteri teneris, & putas esse, neges, aut tegas, ne intelligatur. 2. Vt communiter docetur contra Sylv. si mortale tibi falsò imponas; nisi tamen fiat ex simplicitate, & scrupulo, &c. 3. Si neges, vel mentiaris circa peccata aliàs ritè absoluta, quando Confessarius vt Iudex, vel Medicus de ijs aliquid, vt necessarium ad præsentem confessionem interrogat. C. de Lugo *d.* 14. *s.* 9. Tamb. *l.* 2. *cap.* 10. *§.* 2. secùs si ad præsentem confessionem non faciat. *Ibid.*

ARTICVLVS IV.

Quando confessio sit invalida, & quomodò iteranda?

RESp. 1. Id contingit ex duplici capite. Primó, ex parte Confessarij, si iurisdictionem non habuit, vel certè impeditam per censuram; vel si formam substantialiter vitiavit; vel non intendit absolvere; vel peccatum nullum intellexit.

Dico, *nullum*: quia si ob surditatem somnum, vel distractionem, aliqua, licét mortalia, non intellexerit, sine culpa pœnitentis, probabiliùs est, valuisse absolutionem, ac posteà tantùm repetenda esse non audita, vt contra Sylv. Ant. Nav. & alios, docent Henriq. Laym. *l.5. tr.6. c.* 9. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *Res.* 198. Addo, *sine culpa*: quia si semidormienti malà fide confitearis, peccas, & confessio est invalida, ideòque repetenda, *l. c. c.* 10. §. 3. Deniquè addunt aliqui cum Tol. si Confessarius indoctus non potuit discernere mortale, & veniale, invalidam esse. Verùm id Suar. Laym. & alij passim reijciunt, & quidem, etiamsi Confessarius putasset esse veniale, quod fuit mortale: ideòque confessionem bonâ fide tali factam, non esse opus repetere. Ita & Henriq. Sanch. 1. *mor. c.* 10. *nu.* 69. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 121. contra Vasq. Dixi *bona fide*: quia si malà fide, v.g. quia quæsivisti talem Confessarium, qui tibi mederi non possit, debes repetere; cùm enim actu peccaveris, dum confitereris, non fuisti ritè dispositus; ideòque nec absolutus Tamb. *l.* 2. *c.* 10. *§.* 3. Deniquè si finitâ confessione intelligas Confessarium aliqua non percepisse, (sive propter somnum, sive distractionem) nescias autem quæ sint illa, teneris repetere confessionem, si brevis fuerit; quia de singulis prudenter potes dubitare: si autem longa fuerit, ait Tamb. *l. c.* non teneri ob rationem contrariam; & satis esse confiteri, quòd dubites, an aliquod ex tuis peccatis Confessor perceperit.

Secundò. Invalida est ex parte pœnitentis, si fuit excommunicatus, de quo infrà: si mortale tacuit, vel de eo se falsò accusavit: si mortaliter negligens fuit in examinanda conscientia; item si non fuit attritus: quod patere potest indè; si sponte quæsierit Confessarium surdum, indoctum, cœcum, &c. vid. Sanch. *l.c.* si nolit tollere occasiones, &c. V. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *Res.* 201. quibus addi potest vtplurimum, si peccatum carnale confessus sit suo complici.

Resp. 2. Si confessio apud eundem Confessarium iteretur, sufficit vno verbo in communi se accusare de peccatis antè illi cognitis, dummodó is eorum recordetur saltem in confuso, aut status, ac vitæ hominis in communi, aut pœnitentiæ à se impositæ, vt docent Vasq. Tol. Laym. Sâ, Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.*123. Imò si nihil horum, sed tantùm quód sibi confessus fuerit, recordetur: validè, etsi illicitè, absolutum putant Laym. & Dian. *l.c.* Idem absolutè docet Gran. & Mercerus *in* 3. *p. q.* 9 *nu.* 1. cum quibus Dian. *p.* 5. *t.* 14. *Res.* 51. se retractans, proba-

probabile censet, quod etiam licitè possit absolvere.

Resp. 3. Rarò obest defectus ex parte Confessarij, si pœnitens eum inculpabiliter ignorat: quia in confessione sequenti absolvetur etiam ab ijs, à quibus se bonâ fide absolutum putabit. *Vndè resolves.*

Is qui à puero peccatum aliquod grave, v.g. mollitiem inculpabiliter omisit, vt quia putavit leve esse, vel nullum, non ideò tenetur repetere alia peccata, vel confessiones intermedias, sed hoc tantùm, vt docent Bon. Sanch. *t.* 1. *l.* 1. *c.* 16. Vasq. *in.* 1. *p. t.* 4. *q.* 92. Sanch. Laym. *hic c.* 9. addens si simplex rusticus, qui totâ vita tantùm fecit confessiones generales, nihil confitens in specie, nec aliter instructus sit, etsi validé is sit absolutus, cum onere, vt cùm meliùs cognoverit, omnia subijciat clavibus; si tamen veniat, quando ingens est copia pœnitentium, vt tunc disponi non possit ad omnia repetenda, posse eum absolvi, auditis tamen peccatis ab vltima confessione factis, cum obligatione, vt meliùs faciat. Ita Lay. *l.c. c.* 9. *num.* 4. Vid. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 108. vbi addit ex Nav. Sylv. Beia. Vasq. Reg. *to.* 1. *lib.* 6. *c.* 5. *s.* 3. *num.* 153. & Ioan. Sancio, etsi ex errore culpabili mortaliter, peccatum tale v.g. mollitiei, vel numerum aliamve circunstantiam necessariam, omisseris, non ideò teneris repetere confessiones intermedias, bonâ fide, & legitimè factas, in quibus ex naturali oblivione defectum illum non fueris confessus: cùm validæ fuerint, & maneant validæ.

(***)

DVBIVM IV.

De Satisfactione.

ARTICVLVS I.

Quæ eius necessitas, & quantitas?

RESp. 1. Satisfactio, seu pœnitentia à Confessario data, est necessaria necessitate non Sacramenti, sed præcepti: ideóque à Confessario regulariter imponenda est (secundùm Suar. & Regin. *to.* 1. *l.* 5. *num.* 12. sub mortali: tamen Lugo concedit ex parvitate materiæ posse venialiter peccari, vt Vid. *d.* 25. *num.* 47. v.g. si ob peccata venialia levis pœnitentia esset iniungenda, eius enim voluntariam omissionem venialem tantùm esse. Ita etiam Dian. *p.* 6. *t.* 6. *Res.* 44.) Et quidem proportionata, tum peccatis, tum facultati pœnitentis. Ratio prioris est, quia est pars Sacramenti non essentialis, sed integralis tantùm, habens effectum ex opere operato, & maiorem vi Sacramenti, quàm sine eo. Ratio posterioris est, tum ex Trid. *sess.* 14. *c.* 8. tum quia Sacerdos tenetur curare integritatem Sacramenti, & tam vindicare, quàm mederi. Bon. *t.* 1. *d.* 5. *q.* 5. *§.* 3. *p.* 2. *Vndè resolves.*

1. Excusatur aliquando Confessarius, si levissimam, (vel etiam nullam) pœnitentiam iniungat: v.g. 1. Si pœnitentem vehementissimè contritum, aut aliter satisfecisse advertat. Caiet. Suar. Regin. Bon. *de pœnit. d.* 3. *q.* 5. *s.* 3. *p.* 2. *num.* 1. & 2. Escob. *c.* 6. *nu.* 41. Cùm verò id rarò, vel nunquam constare satis possit, tutius est aliquam semper iniungere, vt rectè monet Lugo *d.* 25. *s.* 4. *num.* 48. 2. Si pœnitens sit mentis impos, aut aliter impotens, aut morti proximus, aut valdè debilis: cui tamen prudentes iniungi levem saltem pœnitentiam, v.g. percussionem pectoris, invocationem nominis Iesv, (saltem corde) aliosve pios motus, vel vt per hæredes sacrificia, eleemosynas; & similia opera pia curet, monent Suar. Laym. & Bon. *l.c.* & Navar. qui addit, posse iniungi, vt patienter ferat infirmitatem; quod tamen Bon. *l.c.* non probat, cùm fieri possit, vt id valdè angat infirmum, timentem se non ritè satisfacere. 3. Quãdo scrupulosus sæpiùs intra eandem horam redit cum novis culpis; quia supponitur satis imposita in præcedentibus. Tamb. *l.* 4. *c.* 1. ex Fag.

2. Etsi Confessarius peccet ex communi, si pro magnis peccatis valdè parvam pœnitentiam imponat: excusari tamen eum posse putat Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 92. si addat illud: *quidquid boni feceris, &c.* Verùm hæc regula vniversaliter admitti non potest, vt benè notat C. de Lugo *d.* 25. *n.* 57. Con. Tan. Palaus, &c. contra quos Dian. pro se citat Bauni, & Leand. *p.* 6. *t.* 7. *Res.* 5. & *p.* 9. *t.* 9. *Res.* 54. & ab alijs non immeritó reijcitur, eò quod ea verba, vtpotè merè deprecatoria, non habeant vim elevandi omnia opera bona ad efficaciam Sacramenti. Aversa. *q.* 13. *s.* 7.

3. Minor iusto licitè datur ex causa, qualis v.g. est 1. Magna contritio. 2. Fragilitas animi, vel corporis, ob quam timetur maiorem non impleturus. 3. Tẽpus Iubilæi, vel Indulgentiæ plenariæ. Ita Suar. Henriq. Laym.

4. Non potest iniungi. 1. Ingressus Religionis, vt docet Sà: *V. satisfactio*; quia id nimis durum videtur. 2. Pœnitentia publica, si sit periculũ revelandæ confessionis: aliàs interdum pro publico peccato potest, & expedit.

5. Etsi possit, & aliquando ob fragilitatem pœnitentis etiam expediat, iniungi opus aliàs debitum, seu præceptum, v.g. Missæ auditionem die festo, &c. vt docent Suar. Vasq. Laym. *lib.* 5. *t.* 6. *c.* 15. & alij. Vndé si scrupulosus sæpiùs redeat ad Confessarium, intra breve tempus semper nova confitendo, non semper necesse est imponere pœnitentiam novam, cùm opus ante debitum possit iniungi Bon. Henriq. C. de Lugo, Dian. *p.* 6. *t.* 7. *Res.* 6. contra Suar. Reg. & Bauny. Tamen si Confessarius non exprimat, censetur imperasse opus liberum, vt docent ijdem, & Dian. *p.* 3. *tract.* 4. *Res.* 84. Vid. Conin. *d.* 10. *dub.* 8. & Dian. *part.* 4. *t.* 4. *Res.* 241.

6. Etsi etiam possit iniungi opus internum, vtì contra Mœrat. & alios docent Con. Hurt. & Dian. *p.* 4. *t.* 4. *Resol.* 24. communiter tamen debet esse externum; & afflictivum, v.g. oratio, ieiunium. eleemosyna. Nam avaris eleemosyna, luxuriosis afflictio corporis, convenit. Vtrùm verò licitæ imponantur preces recitandæ pro defunctis, dubitari potest. Vega *t.* 2. *c.* 64. & Ioan Sancius *d.* 16. *nu.* 1. negant. Affirmant probabiliùs. Tur. *de pœn. d.* 37. *dub.* 4. C. de Lugo *d.* 35. *s.* 5. Vid. Dian. *t.* 4. *p.* 5. *Res.* 54.

7. Potest etiam aliquando iniungi cessatio ab aliquo bono opere. v.g. nimia corporis afflictione, vel abstinentia aliquâ vice à Communione, ad promovendum maius bonum pœnitentis, si prudens Confessarius ad eum finem expedire iudicet. Salas, de Lugo Diana. &c. cum Aversa, *quest.* 13. *sess.* 13.

contra Ioannem, Sancium.

8. Etsi possit immdiatè post absolutionem adhuc iniungi, debet tamen fieri anté, vt servetur ordo iudicij. Vid. Dian. *p.3. t.4. Res. 136. & p.5. t. 13. Res. 36.* vbi *ex cap. finali*, & Ochag. docet, etsi consuetudo habeat, vt ita fiat, illam tamen non induxisse obligationem.

Resp. 2. Pœnitens communiter tenetur sub gravi obligatione, pœnitentiam, si rationabilis sit, acceptare, & implere, vt, habet communis contra Caiet. Sylv. Navar. Quorum sententia ad hoc saltem serviet, vt neminem non absolutum dimittas, si vel levissimam subire velit, vt notat Sotus, & Reg. *lib. 7. cap.* 2. Vide Dian. *p. 3. t.3. Res. 51. & p.2. t. 15. Res. 52.*

Dixi. 1. *Communiter*: quia probabile est, quod docent Laym. *l. 4. t. 6. c.15.* Suar. & Dian. *p. 3. t. 4. Res. 136.* contra Conin. Henriq. & alios, pœnitentiam sub veniali tantùm obligare sequentibus casibus. 1. Si imposita sit pro solis venialibus. Ita citati contra Henriq. Fagund. 2. Si pro mortalibus aliàs confessis. 3. Omissionem partis non gravis, in confessione mortalium, vel etiam omissionem totius, si levis sit, v.g. vnum Miserere. Con. Reg. Fag. cum Dian. *p. 4. t. 4. Resol. 102. & p. 6. t. 8. Res. 45.* 4. Si Confessarius noluit obligare sub mortali: quia cùm possit imponere pœnitentiam liberè, & sine omni obligatione, vt probat Suar. *hic d.38. s.7.* Henriq. Fill. Fagund. Tan. Con. *de Sacr. d. 19. dub. 8. n. 65.* contra Tur. & Vasq. potest etiam sub levi tantùm imponere. Vid. Dian. *p.3. t. 4. & p. 4. t. 4. Resol. 82.* 5. Eum qui lucratur Indulgentiam plenariam liberari ab onere pœnitentiæ, (nisi sit medicinalis) docet Dian. *p. 5. t. 12. Res. 3. & p. 9. t. 6. Res. 36.* ex Tan. Gran. Lug. &c. contra Val. March. & Avers.

Dixi. 2. *Si rationabilis sit*: quia si iusto sit gravior, ac difficilior, nec Confessarius eam moderari velit, non peccabit graviter pœnitens, si sine absolutione discedens, alterius Sacerdotis iudicio peccata submittat, vt docent Suar. Con. Laym. Imó ad eam non obligabitur, si omninò iniustam esse constet, aut si pœnitens eam non possit implere, vel illius sit oblitus. Nec tunc ad aliud quidquam tenetur, etsi expediat, vt is, qui sive culpabiliter, sive sine culpa oblitus est, in sequenti confessione similem sibi iniungi petat. Ita Conin. Layman. Dian. *p.4. t.4. Resol. 241.* contra Richardum, & Sylv. qui putant talem confessionem esse repetendam. Quod præter citatos, negat etiam Lugo *num. 87.* ex Vasq. docens, talem satisfacere, si confiteatur illud peccatum oblivionis culpabilis. *Vndè resolves.*

1. Is qui pœnitentiam implet in statu peccati mortalis, probabiliter quidem satisfacit præcepto, cùm impleat eius substantiam, peccat tamen, sed venialiter, vt docet Suar. Laym, Dian. *l.c.* quia Sacramenti partem suscipit indignè, & obicem ponit effectui, scilicet remissioni pœnæ, (quem tamen, obice remoto, recuperari docent Nav. Tol. Caiet. Dian. *p. 3. t. 4. Resol. 85.* Fagund. Suar. &c.) vndè quamprimùm est implenda, potestque graviter etiam peccari nimium differendo, quod ex varijs circunstantijs iudicandum. V. Dian. *p. 2. t. 15. Res. 53. p. 5. t. 13. Res. 38.* Non esse autem grave, seu mortale, si non differat vltra octiduum, docet Hurt. apud Dian. Imó posse differri per annum, (hoc est, quandiu non tenetur ad novum Sacramentum Pœnitentiæ) vult ipse Dian. *p. 9. t. 7. R. 57.* ex Amico, Leand. &c. Nisi tamen pœnitens dubitet, an postea possit implere: eo enim casu teneri quamprimum commodè potest. Similiter non esse mortale, si obligatus ieiunare feria. 6. differat in diem sequentem; vel obligatus communicare singulis mensibus differat ad 6. vel 8. dies, affirmat Dian. *l.c.* ex Pal. præsertim ex causa aliqua, tametsi levi.

2. Pœnitentiam (etiam medicinalem) impositam sub conditione hac, *si iterùm labatur*, nec teneri acceptare, nec implere, eó quòd Confessarius nec Iudex sit, nec Medicus peccatorum committendorum, docet Dian. *p.6. t. 7. Res. 49.* ex Palao, Trul. &c. Sed contrarium probabiliùs cum Suar. tenet Avers. *q.13. s.2.* quia non imponit eam pro peccatis committendis, sed commissis, sub conditione reincidentiæ.

3. Qui non implevit intra tempus præscriptum, non ideò deobligatur.

4. Potest satisfacere per alium, cui Confessor id concedit: vel qui per se non potest, vt docent Regin. Fagund. Fill. Dian. *p.4 tr.4. Res. 141.* hic tamen non tenetur, nisi Confessor id voluerit. An verò satisfaciens pro alio, simul pro se possit, alij aiunt, alij probabiliùs negant, vt habet Sà.

5. Non necessariò impletur ante Communionem.

Quæres. Quis pœnitentiam possit commutare, & quomodo?

Resp. 1. Ex iusta causa, quivis Sacerdos id potest, si de novo ei confiteatur, vt habet communis sententia contra Sotum, & Vasq. saltem si peccata non sint reservata: imó etiam probabiliter, etiamsi talia fuerint, vt habet Fernand.

Resp. 2. Sine nova Sacramenti administratione, potest id solus Sacerdos, qui iniunxit, si adhuc recordetur statum pœnitentis, & hic ad eum recurrat tempore tam brevi, vt moraliter idem iudicium censeri possit, v.g. intra hebdomadam. Henriq. & alij. 4. imó etsi post longius intervallum de Lugo, Aversa, & Dian. *p. 6. t. 6. Res. 46. & p. 9. t. 6. Res. 57.* contra Palaum, &c. Ratio est, quia Iudex, incognitâ causâ, non potest ferre sententiam. Ita Sylv. Suar. Con. Laym. Fill. Reg. Fag. & C. de Lugo, contra Nav. Henr. Tol. Sà, Rodr. Beriam. Valer. Dian. *p. 3. t. 4. Res. 53. & p.2. t. 1. mis. Resol 53.* qui dicunt, etiam alium posse, non repetitis peccatis. Quæ sententia, etsi non ex ratione, ex principio tamen extrinseco videtur esse in praxi probabilis: (Dian. enim *l.cit.* pro ea adducit. 14. Authores, dicitque esse vsum, sive praxim Confessariorum) & Confessarijs posse servire, quando pœnitens difficulter adduci potest ad repetenda peccata, vel tempus id non ferat; præsertim si ex confessione (nam in ea, & non extra, debet fieri) aliorum peccatorum, & ex præsenti statu pœnitentis, ipsiusque testimonio, habeant aliquam confusam notitiam peccatorum præteritæ confessionis. Ita Fag. *p. 2. l.9. c. 4. nu. 22.* C. de Lugò *d. 25. s. 6. num. 107. & 109.*

Resp. 3. Ipse pœnitens non potest commutare pœnitentiam etiam in evidenter meliorem, vt docent Sanch. *4. mor.* Con. *d. 10. d. 12. num. 13.* Regin. & alij etsi contrarium probabile dicat Dian. *p. 3. t. 4. Res. 53. & to. 2. tr. 4. R. 53.* ex Portel. & Villalob. Sed hoc

Turri. temerarium; Cardinal. de Lugo communi Theologorum, & fidelium sensui repugnare dicit, *d.* 25. *s.* 6. *num.* 75.

ARTICVLVS II.

De Satisfactione per Indulgentias.

§. I.

Quid sit Indulgentia, & quid ad eam requiratur?

REsp. 1. Indulgentia est gratia, qua certo aliquo opere, quod concedens præscribit, præstito, debita Deo pœna temporalis, (non autem culpa) extra Sacramentum, Sactificium, & Martyrium, per applicationem satisfactionum Christi, & Sanctorum, remittitur; idque vel per modum absolutionis erga subditos Ecclesiæ; vel nudæ solutionis, erga non subditos, vt defunctos, & catechumenos, quibus proindé tantùm dantur indulgentiæ per modum suffragij Suar. Con. Fill. Sanctarel. Bon. *d.* 6. *q.* 1. *p.* 1.

Resp. 2. Ad valorem indulgentiæ, requiritur causa pia, & rationabilis, eaque vt habet sententia communior Suar. & aliorum proportionata effectui, & quantitati Indulgentiæ, saltem secundùm concedentis prudentem æstimationem, petendam, non ex operis tantùm difficultate, sed fine intento, & operis ad eum vtilitate. Ratio desumitur ex natura dispensationis bonorum, quæ sine causa ab inferiore facta non valet, & est dissipatio. Ita *Aut. cit.*

Resp. 3. Ad lucrandas Indulgentias requiritur hę conditiones. 1. Vt sit baptizatus. 2. Vt sit subditus concedentis. 3. Vt non sit ligatus excommunicatione maiore, vt habet communis: quia hæc privat communione bonorum spiritualium. 4. Vt sit in gratia saltem tunc, quando opus præscriptum complectur: quia pœna non remittitur ante culpam. 5. Vt opus iniunctum, moraliter totum, & integrè impleatur. 6. Vt opus præscriptum sit honestum, saltem ex obiecto: nam sufficit vitiatum ex fine inhonesto veniali, vel ex alia circunstantia prava, (vt docent Suar. & alij communiter contra Conin.) saltem si nihilominùs conducat ad finem Pontifici propositum, vt limitat Lay. Ratio prioris est, quia illud opus plerumque complet causam Indulgentiæ, quæ debet esse pia. Ratio posterioris: quia ratio iniuncti operis est assecutio finis intenti à Pontifice. Vid. Lay. Bon. *d.* 6. *q.* 1. *p.* 5. *Vndè resolves.*

1. Indulgentiis etiam frui potest, qui eas concessit.

2. Non exspirant morte concedentis, cùm sint gratiæ, nec vt habet Sà, ante notitiam revocationis.

3. Etsi intelligendæ sint, vt sonant; cùm tamen sint gratiæ, largè sunt interpretandæ (nisi sint de pœnitentijs iniunctis, vt ex Henriq. &c. notat Amicus *d.* 20. *nu.* 77.) servatà tamen verborum proprietate. Vndè censendæ sunt perpetuæ, si datæ sunt sine temporis restrictione.

4. Etsi data pro articulo mortis, secundùm Sà, exspiret, quando semel est accepta: contrarium tamen est probabile, ob rationem datam. Illa autem non requirit applicationem Confessarij, aut alterius ministerium. Quint. *in append t.* 9 *d.* 3. Expediet tamen moribundos ad invocationem nominis Iesu, & Mariæ sæpiùs excitare, simulque in memoriam revocare intentionem lucrandi istas Indulgentias. *Ibid. d.* 4. Probabile enim est, si habeat plures imagines, grana rosaria, &c. benedicta, posse (sive intuitu eiusdem concessionis, sive diversarum) toties lucrari, quoties nomen Iesu repetierit, vel præstiterit opus requisitum. *Ibid. d.* 6. ex Suarez. Gran. &c. Sufficit autem ad eas lucrandas quodvis tempus, in quo verificatur mortis articulus, etsi pluribus diebus ab ipsa morte absit. *Ib. d.* 5.

5. Possunt moribundi plures Indulgentias plenarias, ob plures titulos concessas, simul lucrari; v.g. quia habent plura rosaria, vel grana, cruces, imaginesve, quibus sunt applicatæ; vel titulo suæ Religionis, Confraternitatis, &c. dummodò non requirant certa opera pro speciali necessitate applicanda. Quintanad. *in append. t.* 9. *d.* 4. idque, etiamsi eas, vel earum aliquas ignoret, aut non recordetur. *Ibid.* ex Lug. Dian. & alijs 6. contra Rod. Trull. &c.

6. Requiritur autem, vt moribundus crucem, granum, imaginem, &c. secum habeat in articulo mortis, vt ratione illius lucretur: & quidem vt tutiùs, ac certiùs obtineat, eius habeat dominium, seu possessionem, & apud se teneat. Non tamen est necesse, vt collo appensa, brachio obvoluta, manuvè apprehensa sint: (etsi aliquo horum modorum habere sit tutiùs) sed sufficit esse in lecto, vel iuxta moribundum; licèt ipse nec videat, nec tangat, nec sciat, aut recordetur se habere (nisi aliud exprimatur.) Sufficiet etiam habere commodata, seu quoad vsum (præsertim si id in ipso indulto exprimatur, vt in Caroli Borromæi, & quinque Sanctorum fit.) Neque necesse est retinere, donec exspiret, (etsi & hoc sit tutius) sed sufficit in aliquo mortis articulo habere, in eoque nomen Iesu (si hoc requiritur) invocare. *Ibid. d.* 6.

7. Concessæ vivis, non possunt applicari defunctis, nisi exprimatur: quia pendent à voluntate concedentis.

8. Probabile est, concessam pro certo tempore posse sæpiùs obtineri, repetendo opera præscripta, v.g. eodem die, nisi addita sit restrictio: quia favores sunt ampliandi. Ita Henr. & Rodrig. Contrarium tamen videtur probabilius ob voluntatem concedentis contrariam, rationabiliter præsumptam. Vid. C. Lugo *d.* 27. *s.* 6.

9. Etsi consultum sit, vt opera omnia fiant in gratiâ; id tamen non videtur simpliciter necessarium. Laborandum tamen est Concionatoribus, & Confessarijs, vt cùm Indulgentiæ promulgantur populum ad seriam confessionem excitent.

10. Vt quis lucretur pro defunctis, probabiliter non requiritur, vt sit in gratiâ; quia tantùm ponit opus tanquam conditionem, quo posito, Pontifex applicat defuncto indulgentiam, sive satisfactiones Christi, & Sanctorum. Ita Escob. *t.* 7. *Ex.* 5. *c.* 7. *num.* 45. ex Suar. & Præpos. *in.* 3. *p.q.* 14. *dub.* 10. *n.* 93. Contrarium tamen docet Lugo *d.* 7. *num.* 175. requirens statum gratiæ, saltem in fine operis: quæ sententia tutior est.

11. Opus præscriptum dum fit, debet esse vtile ad finem à concedente intentum, qualis est v.g. eleemosyna, præscripta pro redemptione captivorum, etsi fiat cum, aut in peccato (modò aliud opus ei iniunctum, & præscriptum, in gratiâ fiat. Vid. Lugo *d.* 27. *nu.* 48.) non autem

autem oratio præscripta ad placandum Deum; si ipsamet sit peccatum ex mala circunstantia, vtì nec ieiunium, si ce inebries, item nec visitatio Ecclesiarum, sine vlla devotione. Ita Laym. Bonac. & alij.

12. Possunt vno, & eodem opere, plures Indulgentiæ, diversis vijs concessæ, lucrifieri, si opus sit æquè vtile ad finem vtriusque Indulgentiæ, nec sit iterabile intra idem tempus, verbi gratia, ieiunium, vel communio. Ita Præp. & Laym.

13. Non lucrantur indulgentias. 1. Qui ex impotentia, vel ignorantia, sive totum opus præscriptum, sive, notabilem eius partem omittunt, v.g. si puer, vel senex non ieiunet, nisi tamen, ob gravem difficultatem hoc opus ei in aliud est commutatum. Henriq. Caiet. Bon. *p.* 5. *num.*16. 2. Qui opera iniuncta alio loco, tempore, vel ordine perficit, quàm præscriptum est; vel per alium, qui fuerit causa principalis, vt si per alium, ieiunarit, Ecclesias visitarit. Navar. Reg. *l.*7. Bon. *l.c.* 3. Qui famulo tradidit eleemosynam erogandam, quam is retinuit, vt habet Bon. ex multis contra Sà. 4. Qui aliquid omittit, quod secundùm sententiam probabilem, vel etiam probabiliorem, non est necessarium, si tamen sit necessarium re ipsa: quia communis error non supplet defectum. Ita Bonacina. ex Suarez. Sanch. & alijs.

14. Non obstat effectui Indulgentiæ. 1. Etsi ex opere requisito modicum quid omittatur, v.g. cæremonia in sacro; vel si parum comedas in ieiunio: quia opus ponitur moraliter integrum. 2. Si opus requisitum præstes per alium habentem se vt instrumentum, v.g. in eleemosyna danda. Bon. *l.c.* 3. Si eleemosynam des exiguam: nisi tamen in Bulla exprimatur, dandum esse pro cuiusque facultate: tunc enim maior danda est à divite, quàm alio. Ita Fill. Suar. Sà, & alij. 4. Si Ecclesiam visitandam non possis ingredi, ob hominum multitudinem, dummodò oratio fiat ante fores, vel in cœmeterio. Bon. 5. Etsi in opere præstito non habueris intentionem consequendi Indulgentias, vt docent Salas, Bon. & alij contra Suar. Et videtur certum, saltem si habueris interpretativam, vt habet Laym. 6. Etsi opera fuerint aliundé debita, v.g. ex præcepto Ecclesiæ. Ita Laym.

15. Quando datur potestas commutandi opera præscripta in alia, id non necessariò fit in confessione, & à Confessario, qui audit confitentem; sed potest extra, & ab alio idoneo: ita enim declarat Greg. XIII. (vtì & in Bulla Indulgentiæ, nomine Confessarij, intelligi, quemvis approbatum) apud Henriq. *lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 8. & Præpos. *quæst.*14. *dub.* 10. *num.* 88.

16. Probabiliùs est, eum, qui tantùm partem operis præscripti facit, non lucrari partem Indulgentiæ; nisi tam parum desit, vt censeatur moraliter integrum. Ita Bon. *p.* 5. ex Navar. Suarez. Con. &c.

17. Cum præscribitur, vt visitentur aliquot Altaria, sufficit ad illa se orando convertere ex eodem loco, vt habet Sà. Bon. *par.* 1. Suar. Rodr. Dian. Limitat autem Lugo, si sit tali loco, & situ, vt moraliter censeri possit orare ad illa Altaria *d.* 27. *nu.* 98.

18. Cùm confessio præscribitur, nisi in Bulla exprimatur, venialium probabiliùs est, non requiri, vt conditionem,

nem, sine qua non, sed vt dispositionem ad statum gratiæ. Bon. *l.c.*

19. Nemo consequitur plenariam Indulgentiam peccatorum omnium, nisi omni culpa etiam veniali liber sit, quãdo vltimum opus explet. Vndè consultum est, vt communio sit vltimum. Vid. Layman.

§. II.

Quotuplex sit Indulgentia, & quomodo differat à Iubileo?

RESp. 1. Indulgentia alia est totalis sive plena, plenior, plenaria, plenissima, quæ non tantùm pœnitentiam iniunctam per Confessarium, vel Canones, aut secundùm hos iniungi debitam; sed etiam omnem Purgatorij pœnam tollit. Nec differt à Iubilæo, nisi accidentaliter, privilegijs quibusdam, vt quod in Iubileo licita sit dispensatio in certis votis, absolutio à reservatis, & censuris, & quod Confessarius quivis approbatus possit eligi. Vid. Sà: *V. Indulg.* Bon. *d.* 6. *q.* 1. *p.* 2.

Indulgentia alia est partialis, qualis est vnius, vel aliquot annorum: item septenæ, quadragenæ, carenæ, &c. item tertiæ partis peccatorum, per quas non significatur tolli tantam durationem Purgatorij, sed tantam pœnam remitti, quanta deleretur per ieiunium vnius, aut aliquot annorum, aut quadraginta dierum in pane, & aqua, secundùm Canones olim imponi solitum. Porrò quando Indulgentijs plenarijs adduntur aliquot anni, vel remissio tertiæ partis peccatorum, id secundùm diversas sententias, vel ad diversos concedentes referendum est, vel facit ad cautelam, vt si fortè causa Indulgentiæ non fuerit sufficiens, saltem valeat ad illos annos lucrandos; vel vt adiuncta concedatur pro alio tempore, actione, & loco; vel deniquè, vt ea per modum suffragij possit alijs applicari. Vid. Bellarm. *c.* 9.

Resp. 2. Circa Iubilæum notanda sequentia.

1. Anno Iubilęi in Vrbe durante, suspendi solent tantisper extra Vrbem omnes Indulgentiæ plenariæ, quoad vivos, etiam in carceribus, (non tamen in periculo mortis constitutos, vt contra Laym. *l.*5 *t.*7. *c.*8. *nu.* 2. docet Bon. *d.* 6. *q.* 1. *nu.* 2. ex declaratione Vrban. VIII. facta anno 1625. neque quoad defunctos) itemque alię facultates, v.g. absolvendi à casibus Bullę Cœnę, commutandi vota, dispensandi, &c. concessę in ordine ad lucrandas plenarias Indulgentias. Non suspenduntur autem Indulgentiæ personis particularibus, aut ab alio, quàm Papa concessæ; nec privilegia Religiosorum, v.g. absolvendi à reservatis, &c. quia tantùm suspenduntur facultates concessæ in ordine ad Indulgentias. Ita Sanch. Henriq. &c. apud Dian. *p.* 1. *tr. de Bulla Cruc.* Fill. Bon. *l.c.* Benzon. & deniqué Lug. *d.* 20. *s.*8. *n.* 145. ex declaratione Vrbani VIII. anno 1625. Similiter neque suspenditur facultas concessa Episcopis per Trid. *s.* 24. *cap.* 6. absolvendi, & dispensandi cum suis subditis, in omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis; item nec dispensandi in irregularitatibus, in impedimentis matrimonij, aut petendi debitum, &c. quæ ex iure communi illis competunt. Zerola verb. *Annus* S. §. 4. Quint. *in append. t.* 8. *d.* 16.

2. Etsi probabile sit, quod docet Nav. sępiùs lucrifieri posse Indulgentias intra Iubilæum, extensum ad duas septimanas; contrarium tamen verius est,

est, quod Congregatio Cardinalium declaravit, vt habet Bon. ex Suar. Sanch. *d.* 6. *q.* 1. *p.* 5. *n.* 32. qui tamen affirmat in anno Sancto posse obtineri toties, quoties opera præscripta præstantur, idque ex declaratione Vrbani VIII.

3. Satisfaciet tunc. 1. Qui Sabbatho ante primam Dominicam confitetur, vt habet Laym. Bon. & praxis fidelium. Item qui confitetur, & communicat vltima Dominica claudente Iubilæum. Cætera tamen opera debere fieri antè, & quidem intra vnam hebdomadam, docet Lugo *d.* 27. *n.* 105. contra Bon. *q.* 1. *p.* 5. 2. Qui ordinem inter opera præscripta non servavit. 3. Si quis intra illud tempus cœperit confessionem, quam materialiter, imperfectam oportet differri longiùs, potest tunc absolvi à reservatis, & commutari vota: posteà verò extra tempus Iubilæi absolvi ab omnibus, etiam quæ oblitus est reservatis, ac in oblitis etiam dispensari: imò potest posteà omnia facere Confessor finita confessione, quæ anté: quia cœptà causà manet potestas delegati, donec finiatur. Ita Sà, Less. *l.* 2. *c.* 40. *dub.* 16. Bon. Laym. Sanch. *l.* 4. *c.* 54. Dian. *t.* 2. *misc. Res.* 11.

4. Qui neglexit lucrari Iubilæum in patria, potest alibi, dum ibi durat, lucrari. Sanct. Vgel. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 151. Imò etiam in patria, si tempore publicationis ex invincibili ignorantia notitiam illius non habuit. Borten. Dian. *loc. cit.*

5. Quando duobus diebus immediatis occurrunt duo Iubilæa, quorum singula confessionem, & communionem requirunt, non opus est bis confiteri, & communicare, dummodò perseveres in gratia: alia tamen opera repetenda sunt. Tur. *p.* 2. *d.* 31. *d.* 64. Vid. Dian. *p.* 4 *t.* 4. *R.* 166.

CAPVT II.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

DVBIVM I.

Quis sit Minister?

RESpond. Est Sacerdos approbatus ab Episcopo, saltem respectu secularium, & habens iurisdictionem. Est certum. Ratio primæ partis sumitur ex Ioannis 1. *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis, &c.* Ratio secundæ sumitur ex Trid. *sess.* 23. *c.* 15. *de reform.* vbi decernit, nullum posse audire confessiones sæcularium, nisi habeat beneficium Parochiale, vel approbationem ab Episcopo. Addidi *respectu sæcularium*; quia circa confessiones regularium Cò-cilium nihil videtur mutasse: vndè ij cuivis, etiam non approbato, quem Prælatus præfecerit, possunt confiteri; intelligè, quantum est ex vi Concilij; quia Gregorius XV. statuit, vt monialium Confessarius ab Ordinario approbetur. Ratio tertiæ partis ex Florentino, & Trid. *l. c.* quia absolutio est actus iudicialis, qui requirit subditos. *Vndè resolves.*

1. Nullo casu, vel dispensatione hoc Sacramentum validè administratur à non Sacerdote

2. Vbi Trid. est receptum, (secùs alibi) nullus Sacerdos, etiam Regularis, validè absolvit, nisi sit approbatus, vel Parochus; cui non solùm intra, sed etiam extra Diœcesim suam, validè delegatur iurisdictio, potestque eligi in Confessarium, ab omni habente potestatem

statem eligendi, quandiu tamen retinet Parochiam. Ita Fill. *l.* 1. *t.* 7. Fag. Suar. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 146.

DVBIVM II.

Quid sit approbatio, & à quo petenda?

RESpond. 1. Approbatio non est collatio iurisdictionis, sed tantùm publicum iudicium de aptitudine personæ, ad audiendas confessiones, essentialiter prærequisitum (supposito iure Tridentini) ad iurisdictionem recipiendam. Ita Sanch. *l.* 6. *de matr. d.* 28. & alij *Vndè resolves.*

1. Etsi Doctores, & Licentiati, hoc ipso quod promoventur, censeantur secundùm quosdam, approbati á Papa, vt notat Sà: *V. Confessor*; probabiliùs tamen est, quod ipsi etiam egeant approbatione, licèt non deceat, vt ipsi, vel Lectores in Theologia, examinentur.

2. Etiam Parochus, qui reliquit beneficium Parochiale, debet approbari, si velit audire confessiones.

3. Non requiri hanc approbationem, ad auditionem venialium docet Dian. *p.* 2. *t.* 2. *mis. Res.* 44. ex Valero. Et ratio esse videtur, quod approbatio tantùm requiritur in ordine ad iurisdictionem; hanc autem quivis Sacerdos pro venialibus, (vtì & mortalibus, à quibus, ritè, quis est absolutus) habet, collatam ab Ecclesia in ipsa ordinatione, ideóque ab iis absolvere potest, vt habet Bon. *d.* 5. *q.* 7. *p.* 2. *num.* 8. Vasq. Suar. Lugo *d.* 18. *s.* 3. *d.* 21. *num.* 1. vbi docet, ab Ecclesia in Trid. non approbatum reddi incapacem iurisdictionis, tantùm in ordine ad mortalia non priùs confessa.

4. Parochi non possunt ascisceere cooperatores, nisi Parochos, vel approbatos, vt habent Fag. *p.* 2. *l.* 7. *nu.* 42. Sancius, &c. ex declaratione Cardinalium contra Ledesm. & alios. V. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 146. & Bonac. *d.* 5. *q.* 7. *p.* 4. §. 1.

5. Qui habet potestatem eligendi Confessarium, non potest eligere nisi approbatum, vel Parochum.

6. Ad approbationem non necessariò requiritur examen, modò adsit iudicium prudens de sufficientia. Conin. Layman.

7. Non sufficit approbatio petita, & negata, doceur communiter, contra Navar. Henriq. & Dian. *p.* 1. *t.* 2. *R.* 24. Etsi probabiliter cum prædictis docuerint Con. & Laym. regulares Mendicantes, si ab Episcopo repellantur, cùm manifestè idonei sint, & Prælatis suis præsententur, posse nihilominus pro confessionibus sæcularium exponi, vt habetur Clementinâ, *Dudum.* §. *Statuimus*: Istis tamen privilegijs Trid. & Vrbanum anno 1628. derogasse, notat Lugo *de pœnit. d.* 21. *nu.* 29. & 51.

Resp. 2. Approbatio petenda est ab Episcopo, & quidem proprio, scilicet Sacerdotis, vt intelligunt Suar. Con. Regin. Fil. & allj: vel (vt probabiliter vult Vasq.) pœnitentis. Ratio est, quia est actus iurisdictionis, vel saltem auctoritativa declaratio; ergo debet fieri à Superiore. Porró nomine Episcopi etiam intelliguntur Prælati habentes iurisdictionem Episcopalem, vt quidam Abbates, & Capitulum Sede vacante, non autem Provinciales, aut Generales Ordinum *Vndè resolves.*

1. Religiosi, etiam exempti, debent approbari ab Episcopo loci, in quo degunt: quia illius, quoad hunc actum, sunt subditi.

2. Epis-

Universidad de Deusto Biblioteca

2. Episcopus in sua Diœcesi non potest approbare Sacerdotem alienum, nisi subdatur illi saltem ad tempus.

3. Episcopus potest approbare per se, vel Vicarium Generalem, vel alios quoscumque Deputatos; quia non est actus ordinis, sed iurisdictionis.

4. Approbatio potest fieri, cũ restrictione ad certum genus personarum, locum, tempus, &c. Navar. Suar. Vasq. contra Vegam.

5. Episcopus peccat, si Sacerdoti (præsertim Regulari) idoneo, sine causâ sufficienti neget approbationem. Bon. Vasq. *art.* 3. *d.* 3. Lugo. *d.* 21. *s.* 3. *nu.* 54. Sanch. &c.

6. Approbatio semel absolutè concessa, non tantùm non extinguitur morte concedentis, sed nec revocari potest sine iusta causa: ex causa tamen; v.g. mutatione morum, iudicij, &c. potest, vt docent Suar Fill. & alij. Quod si fiat absque causa rationabili. Con. Suar. & quidam alij, censent, revocationem esse nullam: alij, illicitam tantùm Fil. *t.* 7. *c.* 9. *q.* 12. In dubio autem, an ex iusta causa revocatio sit facta, præsumendum esse pro Prælato, docet Lugo *nu.* 67.

7. Ex iusta causa possunt, præsertim à successore Episcopo ad examen revocati, non tantùm sæculares, sed etiam regulares. Docent tamen quidam, Mendicantes habere privilegium, vt non possint revocari ab eodem, à quo antè sunt approbati: sed contrarium docent Suar. & Lug. *d.* 21. *nu.* 61. & 62.

8. An approbatus ab vno Episcopo, possit in alia Diœcesi, sine nova approbatione, recipere iurisdictionem, controvertunt DD. ac licèt vtraque sententia olim videri potuerit probabilis, post decretum tamen Vrbani VIII. anno 1628. apud Lugo *disp.* 21. *sect.* 2. *nu.* 29. negativa omninò tenenda est. Vid. Avertam. *q.* 16. *s.* 8.

DVBIVM III.

Quid, & quotuplex Iurisdictio Confessarij, & vndè eam habeat?

RESP. Est authoritas aliqua in alium; vt subditum, in quem, in foro interno, accipit potestatem, distinctam à potestate Ordinis; hæc enim datur per Sacramentum Ordinis, & omni Sacerdoti, nec tolli potest; illa per externam concessionem Ecclesiæ, nec omnibus Sacerdotibus, potestque ab ijs tolli: ac nisi adsit, invalida èst absolutio. ex Trid. *sess.* 14. *c.* 7. Est autem duplex: ordinaria, & delegata. Ordinaria est, quam habent ij, qui ex vi proprij officij curam animarum habent, vt Papa, Episcopus, Parochus (huc revocantur Archiepiscopi, erga subditos suorum Episcoporum, tunc tantùm, quando actu visitant) Archipresbyteri, Archidiaconi, Prælati Religionum, Vicarius perpetuus Episcopi, vel etiam Parochi. Delegata dicitur, quæ legitimè datur ab habente ordinariam; idque vel tacitè, vel expressé, vt à Papa pro tota Ecclesia, ab Episcopo pro Diœcesi, à Parocho pro Parochia: hoc discrimine, quod Papa possit dare invitis Episcopis, & Parochis, non contrà. Ac licèt exterior iurisdictio expiret morte delegantis, non tamen hæc interior, nisi successor revocet, vt docent Sanch. Suar. Nav. Con. contra Sylv. & Vasq. Vid. Laym. *cap.* 10. *nu.* 22. porrò huiusmodi potestatem delegatam absolvẽdi quemcũque, à quibuscunque peccatis, in articulo, seu periculo mortis: (hæc enim pro eodem sumuntur in iure, vt Vid. Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *Res.* 57. 71. & 72.) habet ex iure communi quivis Sacerdos, etiam excommunicatus, & degradatus, si alius desit: quod addo, quia, præsẽte Parocho, vel proprio Sacerdote, id non posse, docent Vasq. Bon. Con. Reg. &c. commun. licèt contrarium probabile putet Dian. *p.* 1. *t.* 5. *R.* 5. & *p.* 4. *t.* 4. *R.* 167. ex Angl. Henriq. Comit. & Sà, confirmatque Tamb. *de exp. conf. l.* 3. *c.* 7. Ex consuetudine, quivis toleratus absolvere potest à venialibus, & mortalibus aliàs confessis. Ex privilegio, Religiosi Mendicantes, quosvis fideles absolvere possunt iuxta tenorem suorum privilegiorum. Ex concessione Ordinarij directa, quicunque Sacerdos approbatus, cui id ille committit. Denique ex indirecta is, qui audit eum, qui habet potestatem eligendi Confessarium, quales sunt. 1. Ex iure, Episcopi omnes, etsi sint tantùm titulares; item Superiores Episcopis, vt Archiepiscopi, &c. item Prælati ijs inferiores, exempti, vt Abbas exemptus, (non tamen Abbatissa) Generalis, Provincialis, Prior, (salvis tamen privilegijs Ordinum.) Vid. Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *Res.* 1. & 2. 2. Ex consuetudine Cardinales, (qui etiam domesticis de confessore providere possunt;) item Pastores, imó multis locis, etiam cæteri Sacerdotes sæculares, vt docent Valent. Sà Suar. *dist.* 27. *s.* 3. (Religiosi tamen tenentur eligere tales, quales illis permittunt statuta;) item Reges, & Principes, (quorum tamen privilegium ad familiam non extenditur;) denique domestici Pontificis. 3. Ab homine eam habent, quibus sive Pontifex, sive Episcopus, sive Parochus concessit. *Vndè resolves.*

1. Qui habet potestatem delegatam, non potest eam subdelegare alteri cùm diversa sit potestas vtendi iurisdictione, & eam delegandi. Excipitur. 1. Nisi hoc ipsum concessum sit. 2. Nisi sit delegatus ad vniversitatem causarum v.g. si cui committeretur officium Parochi absentis, vel nondum Sacerdotis; talis enim aliqua exercitia iurisdictionis, alteri ex præsumpta voluntate Ordinarij subdelegare posset, non tamen integrum officium. Vide Layman. *hic. lib.* 5. *t.* 6.

2. Cùm iurisdictio respiciat subditos, exerceri in eos potest, tam à delegato quàm ordinario, quocumque loco, fuerit, vt docent Sanch. Henriq. Suar. *in* 3. *p. t.* 4. *d.* 18. *sess.* 1. & 7. & alij.

3. Probabile est, quod absolutus in articulo mortis, non teneatur se posteà sistere superiori, vel alteri, pro reservatis, (nisi hæc habeant annexam censuram) vt docent Nav. Suar. Merc. Fil. *t.* 7. *cap.* 10. *q.* 6. *n.* 288. Bon. *d.* 5 *q.* 7. *p.* 1. *num.* 13. quia directè absolutus fuit. contra Hurt. Vide Dian. *p.* 4. *t.* 4. *Res.* 199.

4. Improbitas, aut inscitia proprij Sacerdotis non dat iurisdictionem alteri: ideòque tali casu expectandum est, aut ad Superiorem recurrendum. Si tamen ignorantia esset tanta, vt confessio illi facta foret invalida, aut illicita, neque esset alius privilegiatus, aut habens iurisdictionem, licere alteri confiteri, docet Navar. Vasq. *in* 3. *p. t.* 4. *q.* 92. *ar.* 2. *dub.* 3. Hurt. *d.* 10. *dif.* 15. Vid. Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *Res.* 201. & *p.* 8. *t.* 1. *Res.* 86. ex Cap. *Placuit*; *de pœnit. dist.* 6. Idem licere, quando quis proprio non potest confiteri sine gravi periculo, docent Tol. Sylv. & Medin. qui idem concedit, quando proprius non vult, aut non potest

Universidad de Deusto Biblioteca

potest audire, vel iniustè negat facultatem confitendi alteri, v.g. Parochus concubinæ. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 79. ex Henr. & alijs 4. Verum ista communiter refutantur ab alijs.

5. Etsi graviter peccare possit propterea, si neget suis facultatem adeundi alterum, modò præsumere possit eos iustè petere: si tamen iniustè neget, probabilius videtur, eos invalidè ab alieno absolvi, vt docent Sotus, Suar. Laym. etsi non improbabiliter Sylv. Henriq. Mai. Palud Richard. Tol. & Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 79. putent, quod validè, præsertim si sine periculo salutis, famæ, vel simili, non liceat suo proprio.

6. Cùm iurisdictio acquiratur ratione domicilij, vel quasi domicilij, vel etiam actualis habitationis; hinc, ij, qui duobus locis habent domicilium, vel quasi, possunt vtrobique absolvi, vt scholares, milites, mercatores, item vagi, & peregrini possunt absolui à Parocho loci, in quo versantur. Vid. Layman. *hic*, Vasq. &c.

7. Validè absolvit is, qui audit confessiones, præsente, vel sciente, vel non contradicente Ordinario, v.g. Episcopo, vel Parocho, cui constet eum aliũdè non habere iurisdictionem: quia tunc præsumitur tacitè eam dare: sufficit enim vt rectè docet Fill. & Fag. *præc.* 2. *l.* 7. *c.* 2. facultas interpretativa, & præsumpta; modò præsumptio fundetur in signis, quæ indicent consensum præsentem, vt fit in casu proposito (vtì etiam v.g. si Parochus, qui iam absens est, aliàs significaverit id sibi gratum esse) nam existimatio de futuro consensu, vel ratihabitione, quòd scilicet quando resciverit, futurus sit contentus, non sufficit; quia consensus futurus non dat iurisdictionem pro tempore præsente; quo datur absolutio. Vide Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res* 68. Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 35. Bec. Conin. qui addit peccare, si de consensu dubitans, incipiat audire.

8. Peccat, qui absolvit cum iurisdictione dubia, nisi necessitas vrgeat; qualis est, v.g. quia pœnitens diu non est confessus, vel debet communicare, nec alius adest; tunc enim licitè absolvit cum conditione hac, *si possum*, & cum onere (etsi Salas *in* 2. *tr.* 8. *d.* 1. hoc onus non agnoscat) aliàs iterùm confitendi habenti iurisdictionem certam. Expedit autem tunc veniale aliquod adijcere, à quo directè, & à cæteris, indirectè saltem absolvatur. Ita Regin. Suar. Con. *d.* 8. *dub.* 6. *num.* 43. Quòd si tamen ex probabili ratione dubium resolvat, (nimirum habere se iurisdictionem) etsi cum formidine oppositi, absolutè absolvit licitè, vt docet Suar. & Præp. Lugo *d.* 19. *num.* 49. tum quia tunc practicè, & moraliter est certus: tum quia Papa eo casu dat facultatem, vtì & in sequentibus casibus. 1. Quando communi errore, verbi gratia, ob titulum coloratum, putatur aliquis esse Pastor, seu habere iurisdictionem, qui non est, ob censuram, vel alium defectum. Bon. *d.* 5. *q.* 5. *s.* 2. *p.* 3. *nu.* 11. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 22. Quod etiamsi desit titulus coloratus, probabile esse docet Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 122. ex Pontio, Molfes. & Sanct. Item *p.* 2. *t.* 2. *mis. R.* 43. si quis bonâ Fide tali confiteatur: verùm id communiter ab alijs negatur. 2. Cùm quis ex consuetudine, præscriptione, aut bonâ fide absolvit, aut nescit potestatem suam revocatam, vt habent Sylv. Nav. Henriq. Mald. *in.* 3. *p. q.* 19. *ar.* 5. Sanch. *mor. lib.* 1. *c.* 9. *num.* 35. Sal. Vasq. Vid. Dian. *p.* 1. *t.* 13.

p. 1. *t.* 13. *Res.* 1. 3. Quando secundùm probabilem sententiam iudicatur quis habere iurisdictionem, & Sacerdos sequitur favorabilem. Bon. *l.c.* Quia quando communis est error, Ecclesia dat iurisdictionem propter publicam vtilitatem Vid. Suar. Diana. *ll. cc.* Lugo *disp.* 19. *num.* 28.

9. Nemo tenetur vnquam Parocho confiteri, ne quidem in Paschate, Lugo *d.* 19. *s.* 2. *num.* 28. *&c.* cum Dian. *p.* 8. *t.* 1. *Resol.* 88. Quare Parochi frustrà nolunt, vt Parochiani confiteantur Mendicantibus, etiam in Paschate, cùm habeant privilegium pro omnibus Christi fidelibus, Suarez, Con. Henr. Reg. Zerola. *c.* 15. *q.* 3. & commun. apud. Bonac. *d.* 4. *q.* 1. *s.* 2. *p. vlt.* adeò vt qui docent, confessos Regularibus, etiam in Paschate, teneri iterùm eadem confiteri suo Parocho, fiant suspecti de hæresi. Dian. *p.* 4. *t.* 8. *Resol.* 102. & alij. Vi tamen huius privilegij non possunt absolvere eos Religiosos, aut Religiosas, qui non habent facultatem extra suũ Ordinem confitendi, vt ex communi notat Rodr. & Comp. priv. Societatis. *V. absolutio*, §. 1. & ex his Laym. *hic.* Quia privilegio generali non censetur derogari consuetudini, vel statuto particulari, nisi id exprimatur. Vsus tamen fert, vt Regulares peregrinantes, ex præsumpta voluntate Superiorum, si Ordinis socium non habeant, à quovis alio, etiam sæculari, absolvantur, exceptis reservatis: in quæ si Religiosi Societatis extra domicilium incidant, videant ordinationes Præpos. Generalium *c.* 6. *num.* 6. Laym. *hic.*

10. Quód si Superiores Regularium Monialibus sibi subiectis (idem est de Monialibus subiectis Episcopo) non concedant aliquoties in anno alium Confessarium, potest, & tenetur illis eum dare Episcopus, quód si nec is faciat, ipsæ eligere possunt. Quint. *t.* 3. *s.* 26. *ex declaratione Card.* apud Barb.

DVBIVM IV.

Quid sit reservatio Casuum, & quis habeat potestatem reservandi, & absolvendi ab ijs?

RESP. 1. Reservatio hæc, est negatio iurisdictionis circa aliquod peccatum. Ac certum est in Ecclesia potestatẽ esse, quędam peccata reservandi, à quibus inferiores Confessarij non possunt absolvere, vt sic subditi meliùs dirigantur, & absterreantur à peccatis, quorum difficilem remissionem vident: quanquam nisi graves causæ sint, non debeat quivis, neque qui potest, quidvis facilé reservare, neque difficulter veniam dare absolvendi à reservatis, ne alioqui cedat in destructionem, quod debet in ędificationem. Porrò etsi quivis ordinarius potestatem habeat reservandi, in Parochis tamen consuetudo eam abrogavit. V. Suar. *d.* 30. *s.* 5. C. de Lug. *d.* 15. *s.* 6. §. 3. *Vndè resolves.*

1. Cùm non sit obligatio confitendi venialia, ea frustrà reservantur, (etsi fortasse possint saltem à Papa,) ideòque sola mortalia, eaque nonnisi externa, graviora, opere consummata, prudenter reservantur. Vndè Clem. VIII. statuit, vt Prælati Religionum, siquidem velint, vndecim tantùm casus reservare possint, nec plures sine consensu Capituli generalis pro tota Religione, vel Capituli Provincialis pro Provincia. Quod tamen de culpà tantùm, non censuris intelligendum est: potest enim Prælatus

aliquid præcipere, sub excommunicatione sibi reservata. Casus autem Clementis sunt sequentes.

1. Apostasia à religione, etiam retento habitu. 2. Nocturna, ac furtiva é Monasterio egressio. 3. Veneficia, incantationes, & sortilegia. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. Furtum mortale de rebus Monasterij. 6. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 7. Iuramentum falsum in iudicio legitimo. 8. Procuratio, consilium, vel auxilium ad abortum fœtûs animati, etiam effectu non secuto. 9. Occisio, vel vulneratio, seu gravis percussio cuiuscunque personæ. 10. Falsificatio manus, vel sigilli Officialium Monasterij. 11. Malitiosum impedimentum, retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, vel contrà.

2. Is, qui confitetur reservatum mittendus est ad Superiorem, (suadebit tamen charitas, imó aliquando coget, vt ipse Confessarius, tacitâ personâ, & casu, à Superiore veniam petat absolvendi) Quòd si Superior adiri non possit, & sit causa vrgens, v.g. timor infamiæ, vel scandali, ex omissione confessionis, vel communionis, tunc potest inferior absolvere à reservatis, cum onere, vt pœnitens se posteà Superiori sistat. Quod etiam verum est, quamvis casus censuram reservatam annexam habeat. Porrò eo casu peccata non reservata tantùm confiteri, sufficere putant probabiliter Sotus, Corduba, & Gab. Ant. Paulus, Dian. *p.* 2. *t.* 4. *Resol.* 104. & Lugo *d.* 4. *de Euchar. num.* 86. non improbat D. Thom. tamen Suar. & alij commun. docent omnia esse confitenda: quod tutius est.

3. Si Superior iniustè neget facultatem absolvendi à reservato, posse ab alio Confessario, etiam directè absolvi, affirmat Henriq. & Dian. *p.* 2. *t.* 4. *Res.* 29. esse probabile. Sed rectiùs negat Laym. *lib.* 3. *tr.* 6. *cap.* 13. Lugo *d.* 20. *num.* 188.

4. Peccant Superiores, si sine iusta causa difficiles se præbeant in concedentis licentijs pro absolutione reservatorum. Quin. *t.* 3 *sing.* 13. ex Fag. Con. & alijs 10. Et si ex negatione timeatur grave subditi detrimentum, peccant contra charitatem, & iustitiam. Lugo. Dian. *p.* 6. *t.* 6. *Res.* 6.

5. Si Superior Confessario Regularium ad hoc deputato neget facultatem absolvendi, Confessarius autem iudicet debere concedi, potest is pro ista vice absolvere. Aversa. *q.* 17. *sect.* 5. Lugo. *d.* 20. *s.* 4. referens sic decl. rasse Clementem VIII. haberique in quarto tomo Bullarij, Bulla 29. Vrbani VIII. & Quint. *t.* 3. *s.* 11. dicens non esse dubium ea de re: additque ex alijs 7. probabile esse, idem posse, si viro Religioso, pio, docto, & prudenti (licét non ex designatis defactò) neget. Dian. *p.* 3. *t.* 3. *Res.* 126. & *p.* 6. *t.* 6. *Res.* 56. & *p.* 9. *t.* 3. *Res.* 15. ex Pellizario (qui vult idem esse, si pœnitens ipse petat) & alijs. Imò Quint. *l c.* censet probabile, quod idem fieri possit, si Superior adiri nequeat, & vrgeat tempus celebrationis; vel communionis; v.g. quia sine nota non potest abstinere, cùm alij omnes communicent *Ibid.* ex Trul. & alijs 6. Deniquè Dian. *p.* 3. *t.* 2. *Res.* 26 notat ex Suar. *de Relig. to.* 4. *lib.* 2. *cap.* 19. Regulares semel sine licentia suorum Superiorum posse absolvi à reservatis.

6. Nihilominùs certum est, posse aliquando Superiorem, iustis de causis, negare

negare facultatem, & cogere subditum, vt ad se veniat. Lugo *l.c.* Nam si ex casu reservato grave scandalum, vel damnum communitatis timeatur, potest Superior negare absolutionem, donec pœnitens, per se, vel Confessarium, Superiori det sufficientem notitiam ad illud evitandum: aliàs non est satis tutus, nec dispositus ad absolutionem. Quare si Confessarius eo casu vrgeat absolutionem, debet is attendere, vt pœnitens obligationi suæ satisfaciat in adhibendo remedio communi malo, vel damno, si sit eius periculum, quia nisi hoc faciat, non potest absolvi, non ex defectu iurisdictionis, sed quia non est dispositus. Ad hoc tamen requiritur, vt & obligatio pœnitentis certa sit, & alia remedia adhiberi non possint. Suar. *to.* 4. *de Rel. l.* 8. *c.* 5. *nu.* 10.

7. Peregrinos quoad reservationem iudicandus est iuxta Diœcesim, in qua versatur: in qua, quæ reservata sint, discant Pastores ex Agendis, aut consuetudine.

8. Superior auditis solis reservatis, potest ab ijs absolvere, & reliqua inferiori committere, ex causa vrgente: qualis tamen non est multitudo negotiorum, vt docent Suar. Fern. & Fil. sed alia gravior; tum quia etiam occupatissimus potest dare facultatem adeundi alterum, cum onere posteà comparendi: tum quia integritas confessionis est de iure divino.

9. Qui à Superiore absolutus est à reservatis, potest ab jisdem posteà absolvi à quovis: quia non sunt ampliùs materia necessaria confessionis.

10. Qui bonâ fide confitetur, nesciens suum casum esse reservatum, vel Sacerdotem carere potestate circa illum validè quidem absolvitur, cum onere tamen comparendi. Præp. Similiter si Confessarius probabiliter credit non esse reservatum (esto reverâ sit) valet absolutio. Less. Dian *p.* 9. *t.* 9. *Res.* 29.

11. Qui confitens habenti potestatem ordinariam, delegatamve in reservata, oblitus est inculpabiliter reservatum, potest illum posteà confiteri, etiam inferiori, & absolvi. Quod etiam valet (saltem si prior habuerit potestatem ordinariam) etiamsi prior absolutio ob indispositionem, vel alium defectum pœnitentis, invalida fuisset. Ratio est, quia is intendit absolvere quantùm potuit; ergo saltem sustulit reservationem, quod fieri potuit absque Sacramento. Vide. Præp. *in* 3 *p. q.* 9. *d.* 4. *nu* 24. Mœrat. *t.* 3. *d.* 30. *s.* 3. Diana. *p.* 4. *t.* 4. *Res.* 124.

Resp. 2. A reservatis absolvere potest. 1. Ipse reservans. 2. Eius in spirituali iurisdictione Superior. 3. Cui ipse delegavit. 4. Sacerdos inferior, quando superior adiri non potest, v.g. à reservatis Papæ, absolvere potest Episcopus eos, qui Romam ire non possunt.

Resp. 3. Extra periculum mortis (de quo V. dicta *dubio superiore*) nullus inferior per se, & directè absolvere potest, si ex iure, vel privilegio concedatur.

Dicitur. 1. *Per se*: quia de indirecta, & per accidens colligitur ex dictis.

Dicitur. 2. *Nisi &c.* quia à casibus Papalibus absolvere potest Episcopus, per se, vel Vicarium, quando sunt occulti, vt docet. Nav. *c.* 27. *Vndè resolves.*

Mendicantes ex vi iuris communis non possunt absolvere à reservatis Episcopo; quia vt sic non habent potestatem maiorem Parochis: & privilegium, quod circa hoc habuerunt, sublatum est decreto Vrbani VIII. Anno 1628. Excipit

tamen Aversa cum Dian. *p.* 8. *t.* 7. *Res.* 71. eos casus, qui Episcopis à iure tantùm reservantur. Imó Quintan. *to.* 1. *t.* 3. *s.* 14. affirmat, Regulares adhuc posse absolvere sicut ante decretum, eò quòd hoc in Provincijs nõ sit promulgatum, quod Dian. *p.* 9. *t.* 6. *Res.* 51. non audet probare, nisi ad Episcopum non pateat recursus; tunc enim ab ipsis reservatis posse absolvere, sicut possunt à Papæ reservatis. Gran. Dian. *p.* 5. *t.* 14. *Res.* 58. vt etiam. Præp. *q.* 19. *d.* 1.

Resp. 4. Si Confessarius dubiter, an pœnitens lapsus sit in mortale reservatum, siquidem dubium sit positivum, potest (sequendo opinionem probabilem, & iudicando probabiliter non esse reservatum) absolvere. Si verò dubium sit negativum, posse absolvere negant, aliqui, vt Arm. &c. Probabiliùs affirmant Suar. Fil. Henr. Hurt. Bonacina. Lugo *ar.* 20. *s.* 2.

DVBIVM V.

Quod sit officium, & obligatio Confessarij?

RESp. 1. Munus Confessarij est absolvere dispositum, & non alium; item curare rectitudinem istius iudicij præsertim quando cœptum est; & Reos iuvare, ac monere, cum prudentia tamen. Ratio primi, ne sit iniurius pœnitenti. Ratio secundi, ne fiat sacrilegus. Ratio tertij est eadem; & quia debet curare, vt absolutio sit efficax. *Vndè resolves.*

1. Etsi interdum vtiliter differatur absolutio, etiam eius qui potest licitè absolvi: id tamen rarò nec ferè nisi de pœnitentis consensu faciendum; quia potest vergere in grave eius periculum, vel damnum. Vide Dian. *p.* 1. *t.* 4. *Res.* 35.

2. Absolvendus est, qui adhæret sententiæ probabili quia est dispositus.

3. Moraliter ei constare debet de bonà dispositione pœnitentis; aliàs absolvendo peccabit mortaliter.

4. Non licet absolvere. 1. Qui nullam præbet materiam: qualis tamen non est, qui post absolutionem mox confitetur, cuius erat oblitus. 2. Qui cùm possit, non est paratus restituere, & proximas peccandi occasiones fugere. Vid. Navar. *c.* 15. Suar. *d.* 32, *s.* 2. 3. Ignorantem ea, quæ omnes scire tenentur, v.g. decem præcepta, & quæ ad fructuosam confessionem, & communionem spectant: vndè talis communiter priùs est instituendus, vel aliò mittendus ad instructionem. Vid. *suprà. l.* 2. *t.* 1. *c.* 1.

5. Rudiores ordinariè iuvandi sunt, nisi sint incapaces instructionis, vel ob pœnitentium multitudinem fieri non possit, nec videatur expedire, vt dimittantur, vel sint peregrini, qui mox communicare, & obire debeant: tunc enim, si alioqui bonâ fide agunt, & temporis angustiæ, vel pœnitentium multitudo, longum examen, vel instructionem non permittant, sufficire aliquando integritatem formalem docet Lay. *c.* 13. *nu.* 10. qua scilicet auditis aliquibus peccatis, absolvantur, cum onere redeundi ad confessionem pleniorem.

6. Si Confessarius notet pœnitentem ignorante aliqua necessaria ad hoc Sacramentum, tenetur eum instruere, & admonere officij, quantum fieri potest; v.g. si nesciat illa, quæ necessitate medij sunt ad salutem necessaria, debet ea docere; item obligatum ad ponendum odium, ad restitutionem honoris famæ, aut bonorum, aut ad occasionem pecca-

peccatorum tollendam, aut amovenda, vel reparanda scandala, aliave damna, quæ intulit; aut ad corripiendos delinquentes, iuvandos indigentes, ad denuncianda delicta, vel delinquẽtes in prejudicium communitatis, vel innocentium; & deniquè si quam censuram incurrerit, &c. tenetur ea de re monere, & hortari ad satisfactionem, quam si recuset, negare absolutionem: quia alioqui se ipsorum criminum participem, & sacrilegij Reũ faciet. Aversa *q.* 16. *s.* 12.

7. Tenetur monere eum, qui ex ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili, est in malo statu; quia aliàs nec ipsi, nec Sacramento consulet, cùm pœnitens sit indispositus. Si vero ignorantia sit invincibilis, v.g. si bonâ fide, teneat rem alienam, aut sit in matrimonio irrito, tenetur quidem monere, & instruere quando speratur fructus, nec timentur incommoda graviora; quę si prudenter metuantur, aut fructus non speretur, non tenetur, imó non potest; (excipit Lugo *de pœn. d.* 32. *num.* 24. nisi silentium officiat bono communi;) quia debet bonum pœnitentis procurare, ac consequenter licitè etiam suadet, vt secundùm suam ignorantiam operetur, v.g. Caiæ, vt reddat debitum Titio, quem invincibiliter credit suum esse maritum, cùm non sit. Vid. Sanch. *l.* 2. *de matr. d.* 38. Nec obstare, etiamsi sit in præiudicium tertij particularis, ait Lugo, & Tamb. *de exp. conf. l. c. c.* 4 Hinc si Confessor prævideat pœnitentem non restituturum, si ipsi detegatur nullitas tituli, quem pro se esse putat, non esse illi talem nullitatem à Confessario non interrogato detegendam. Quòd si tamen pœnitens ipse dubitet; ac roget, tenetur dicere veritatem (quia tacere, esset errorem approbare) prudenter tamen non plus dicendo, quàm rogatur, v.g. si roget Titius, an post votum simplex castitatis matrimonium contractum valeat, possitque, ac teneatur reddere debitum, respondeas, quod sic, tacendo obligationem non petendi debitum. Vid. Lay *hic*, & Lugo *l. c.*

8. Quando Confessarij Principum, Prælatorum, aliorumque Magnatum sciunt ipsos non satisfacere officio, v.g. circa collationem Beneficiorum, electionem ministrorum, subditorum gubernationem, circa eleemosynas ex bonis Ecclesiasticis faciendas, &c. regulariter tenetur Confessarius monere pœnitentem de sua obligatione: aliàs si absolvit, suis humeris peccata illa imponit, & cœcus cœcum ducens, ambo in foveam inferni cadunt. Ratio est, quia in talibus rarò est ignorantia invincibilis: rarò item contingit, vt illa secum non adferãt scandalum in subditis, existimantibus illa licere; vel certè nõ afferant damnum cõmune. Si tamen videat ignorantiam esse invincibilem, neque ex illa sequi scandalum, aut damnum cõmune; cõtrà verò admonitionem fore in maius malum pœnitentis, aut allaturam scandala, vel incommoda, potest secundùm paulò antè dicta dissimulare, nisi interrogetur. Ita Lugo *d.* 22. *nu.* 37.

9. Si etiam pœnitens teneretur (licèt sub peccato mortali) ad aliquid adeò difficile, vt non crederetur tunc æquo animo accepturus, & alia vice meliùs susceptur us, posset prudens Confessor tunc illum relinquere in bona fide excusante à peccato, & monitionem differre in tẽpus opportunius, ne tertius à confessione abstineat, graviusque detrimentum incurrat. Tamb. *c.* 14. Lug. *d.* 22. *s.* 2. *n.* 27.

10. Minùs rectè dispositus excitandus est ad dolorem, & propositum emendationis, propositâ peccati fœditate, bonitate Dei, & periculo damnationis, &c. Item remedia opportunè præscribenda contra futura.

Resp. 2. Vt Confessarius licitè hoc Sacramentum administret, debet esse in gratia, alioqui peccabit mortaliter: item debet esse talis, vt p r hoc non exponatur, proximo periculo peccandi mortaliter. Pars prior constat ex dictis *de Sacr. in genere.* An verò audiens plures vna quasi vice morali, tot numero peccata committat, alij negant, vt Rodr. alij affirmant, vt B n. *hic.* Pars post rior patet. *Vndè resolvitur hic casus.*

Confessor conscius sibi peccati mortalis, tenetur antequam audiat, vel saltem absolvat pœnitentem, ipse confiteri, vel conteri de suo peccato. Si tamen vocatus improvisò ad moribundum, recolligere se tam subitò non possit ad contritionem eliciendam (vel bonâ fide putet se elicuisse) non peccat absolvendo Præp. Lugo, Tambur. *l.* 3. *c.* 2. §. 3.

Resp. 3. Si malè absolvit, committendo defectum essentialem, v.g. si non protulit formam, vel absolvit à reservatis, vel non subditum, tenetur inducere ad repetendam confessionem, si sine scandalo, infamiâ, fractione sigilli, & nocumento suo possit; sin minùs, non tenetur. Si non absolvit à censurâ, potest ab eâdem (si, vel quando habuerit potestatem) absolvere absentem. Bon. *de cens. in communi. d.* 1. *q.* 3. *p.* 6. ex Suarez. Fil. *tr.* 11. *c.* 10. *q.* 6. Reg. Navar. Rodriq.

Si non interrogavit sufficienter numerum, speciem, vel alias circunstantias, regulariter ad nihil tenetur, nisi ad pœnitentiam agendam: monere enim extra confessionem non debet, cũ Iudiciũ sit finitum. Si tamen redeat ad confessionem idem pœnitens, debet moneri de defectu commisso; quia alioqui hæc confessio non erit integra, cùm quædam non sit debitè confessus.

Dixi, *si non interrogavit*; quia si positivè dixit, non teneri confiteri numerum, speciem, &c. debet monere, si sine gravi scandalo, & detrimento potest; quia est causa: quod alter præceptum grave (scilicet confitendi illa peccata) violet. Lugo *d.* 22. *s.* 3.

Si neglexit monere de restitutione, moneat, siquidem commodè potest; (vel in confessione, vel extra, obtentâ priùs ab ipso veniâ; eâ verò negatâ ad nihil vltra teneri, docet Tambur. *l.* 3. *c.* 8. ex Sanch. contra Suarez.) quia tenetur ex charitate: si non commodè potest, Deo commendet. Laym. *l.* 5. *t.* 6. *c.* 9. Henriq. Suar. Sylv. Mercer. *in* 3. *p. q.* 9. *ar.* 1. Dian. *p.* 4. *Res.* 198. *& p.* 3. *t.* 4. *Resol.* 109. Quòd si tamen (ex gravi, seu mortali culpa contra ius alterius) dixisset, eum non teneri ad restitutionem, vel aliter, (v.g. opinionem falsam persuadendo) esset causa efficax, cur non restituat, vel aliundè detrimentum accipiat ipse, vel alius; tenetur ipsemet restituere, nisi moneat tempestivè, priusquam pœnitens fiat impotens; quia actione suâ fuit iniusta causa damni. Si verò sine gravi culpâ id fecit, tenetur nihilominùs monere pœnitentem, si commodè potest; alioqui ipse obligatur, sicut casu priore. Si non commodè potest, excusabitur. Vid. Suar. Con. *d.* 8. *d.* 17. Bon. Dian. *p* 1. *t. mis. Res.* 1. Lugo *d.* 22. *s.* 3. *nu.* 61. *& supra lib.* 3 *t.* 5 *c.* 2. *d.* 1. *ar.* 2. *casu* 12.

Quæ-

Quæres. Quæ, & quanta sit obligatio Confessarij audiendi pœnitentes?

Resp. 1. Quivis Sacerdos (etiam simplex, quando non est alius paratus) tenetur in extremâ necessitate, v.g. in periculo mortis audire, & absolvere volentem confiteri. Ratio est lex charitatis.

Resp. 2. Parochus, & quivis Sacerdos curatus tenetur audire confessionem sui subditi, non tantùm in casu necessitatis, aut præcepto confessionis vrgente, sed etiam (saltem per se, vel alium) quoties pœnitens id rationabiliter petit; v.g. si sit in gravi aliqua difficultate spirituali, vel velit promereri Iubilæum &c. Quia tenetur eius bonum spirituale promovere. Suar. Vasq. Lugo, &c. Si tamen nimis frequenter, vel intempestivè peteret, excusaretur. Aversa *q.* 16. *s.* 11. Quòd si etiam semel tantùm, vel bis negaret, aut differret, non peccaturum graviter, ob levitatem materiæ, docet Suar. contra Bon. admittitque Aversa *l.c.* si non petat ex vrgenti occasione, v.g. solemnis festi, &c.

Resp. 3. Quotiescunque pœnitens ex mera devotione vult confiteri, Parochum teneri illum audire, contra Sylv. Reg. &c. docent Azor, Suar. Con. Bon. Molf. Lugo, &c. Sed rectè limitat Avers. *l. c.* si non adsint alij Confessarij delegati, & Parochus non legitimè impediatur.

Resp. 4. Reliqui Sacerdotes, per se loquendo, non tenentur audire confessiones, si tamen audire cœperint, tenentur absolvere, nisi quid obstet, neque possunt remittere ad alium. Quia pœnitens eo ipso habet ius ad absolutionem, nec potest fructu, & gratia Sacramenti privari. Averse *l.c.*

DVBIVM VI.

Quæ scientia, & prudentia requiratur in Confessario?

Resp. 1. Vt Sacerdos ritè absolvat, debet quantum moraliter fieri potest, omnia peccata pœnitentis intelligere, quia alioqui is frustrà teneretur recensere. *Vndè resolves.*

1. Peccat, qui absolvit eum, cuius peccata per negligentiam non satis intellexit: quia fert sententiam incognitâ causâ. Validam nihilominùs esse absolutionem, sive propter somnum, &c. vt dictum suprà *c.* 1. *dub.* 3. *ar.* 4. sive propter cantum, vel linguam impeditam pœnitentis (sine huius tamen culpâ) aliqua non intellexerit, docet Dian. 3. *p. t.* 4. *Res.* 109. *& p.* 4. *t.* 4. *Res.* 198. Item Laym. *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 9. ex Henr. Suar. Sylv. Merc. *in* 3. *p.* eò quòd essentia, & effectus Sacramenti consistere possit, absque integra, & specifica peccatorum explicatione, si sine culpa pœnitentis omittantur. Vid. Dian. *l.c.*

2. Si tamen pœnitens post confessionem, intelligat, vnum, vel plura mortalia non fuisse intellecta, debet ea repetere in sequenti confessione, sive apud eũdem, sive alium Confessarium. Laym. Dian. *ll.cc.*

3. Confessarius absolvens ex ignorantia, quem absolvere non poterat, dupliciter peccat; nimirùm ignorantia eorum, quæ ad officium suum spectant: & indebitè absolvendo. Tann. *in* 1. 2. *d.* 4. *q.* 9. *dub.* 1. *num.* 12. Lugo, *d.* 16. *s.* 4 *num.* 185.

Resp. 2. Vt Confessarius validè absolvat, requiritur, & sufficit cognoscere peccata, saltem sub confusa ratione pec-

cati. Vt verò licitè; requiritur ea scientia, vt possit ferre prudens iudicium in hoc foro. Ideóque scire debet. 1. Quæ sint mortalia, quæ venialia, saltem ex genere suo. 2. Species, & circunstantias necessariò explicandas. 3. Spectantia ad restitutionem bonorum, & famæ. 4. Casus reservatos, & excommunicationes saltem communiores. 5. Censuras, & irregularitates communiores, pro Sacerdotibus. 6. Requisita in pœnitente ad bonam dispositionem. 7. Remedia peccatis opportuna. Circa quæ omnia notantur hæc tria.

Primó, sufficere, si ea sciat mediocriter, ita vt saltem norit prudenter de omnibus dubitare, & doctiores se, vel libros consulere.

Secundò, maiorem, minoremve requiri, ac sufficere scientiam pro diversitate locorum, & pœnitentium. Bon. *d.* 5. *q.* 7. *p.* 2. §. 2.

Tertiò, graviter peccare; tum eum, qui sine sufficienti scientia huic muneri se ingerit; tum eum, qui talem sine necessitate constituit, aut cùm possit corrigere, tolerat. Lay. *l.* 5 *c.* 13. Bon. *l.c.* Lugo *Vndè resolves.*

1. Si pœnitens advertat, Sacerdotem non percipere peccati gravitatem, tenetur illum monere se peccasse mortaliter.

2. Qui sciens prudens confitetur ei, quem scit suam conscientiam dijudicare non posse, tenetur confessionem repetere apud peritiorem; quia graviter peccavit sic confitendo.

Resp. 3. Prudentia requiritur, tum in instructione, monitione, curatione pœnitentis; tum in interrogatione. Et quidem si prudenter iudicet integrè esse confessum, v.g. quia benè instructus, potest, & solet adhibere diligentiam debitam, non tenetur quidquam interrogare; aliàs tenetur, vt habet communis. (Dian. tamen *p.* 2. *t.* 15. *Res.* 7. ex Navar. & Valero negat esse mortale, non examinare aliquam circunstantiam ex oblivione. V. etiam Lugo *d.* 22.) quia tanquam iudex debet curare integritatem iudicij, & tanquam Medicus, vt morbi, & vulnera perfectè detegantur: cavendo interim. 1. Ne examen sit curiosum de non necessarijs, vndè Confessarij existimatio, Sacramenti dignitas, & pœnitentis profectus minuatur. 2. Ne sit indiscretum, vt v.g. de ijs, quæ moraliter certum est à tali non solere committi; vel ex quibus discat peccare pœnitens, vel de inverecundis inverecundé, vel de numero nimis anxié, si ex dictis probabiliter æstimari possit. 3. Ne sit intempestivum; & sinatur priùs se explicare quantum potest, ne importunitate terreatur. Quod verò quidam monent, expedire vt pœnitens inter confitendum non interrumpatur, id Lugo *d.* 22. *n.* 15. vniversim non probat, præsertim, si cõfessio non sit brevis; quia facilé aliqua excidũt è memoria. *Vndè resolves.*

1. Si Sacerdos advertat pœnitentem, etiam post sufficientem diligentiam peccatum aliquod, aut circunstantiam necessariam, omittere, probabilius, ac verius est, per se loquendo, teneri interrogare; etsi negat Sà V. *Confessor*, & Medin. docens, si diligenter examinatâ conscientiâ, vnius sit oblitus, non teneri Confessarium illud revocare in memoriam, nisi cedat in damnum proximi: quod Vasq. *q.* 93. *dub.* 7. *num.* 3. videtur dicere esse probabile: verùm alij reijciunt. V. Lug. *d.* 22.

2. Etsi Confessarius, cui evidenter constat peccatum pœnitentis, quod tamen ipse negat, non debeat illum absolvere; quando verò ex aliorum relatione, vel suspicione id habet, standum est pœnitentis confessioni, cui in hoc foro, tam pro, quàm contra se fides habetur. (*Suar. to.* 4. *d.* 32 *s.* 3. Fagund. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 4. *n.* 38. citati à Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 105.) vtroque tamen casu prudentis Confessarij est. 1. Cauté, & à longè, tum propiùs interrogare. 2. Si nihilominùs neget, prudenter iudicare, an non potuerit oblivisci, vel confessus esse alteri, vel putare non esse peccatum, vel simili de causa excusari, ita vt debeat absolvi. Dian. *l.c.* ex Sylv. Nav. Tol. &c. 3. Si peccatum illud norit ex confessione complicis, non vti illa scientia nisi in genere, quærendo, an non aliud conscientiam gravet, & excitando ad maiorem contritionem, ob periculum indirectæ relevationis; aut etsi complex dederit veniam, ob periculum scandali. Vid. Laym. *c.* 24.

3. Interrogationes in materia castitatis, debent esse paucæ, & cautæ, ne vel occasionem det investigandi, aut traducendi confessionem aut ignorantem doceat, aut offendat, aut se, vel illum periculo exponat. Ac si hæc timeat, potiùs pati debet aliquid deesse integritati materiali. Et quidem si in hac materia negantur cogitationes, non opus est progredi ad opera: rudiores tamen, cogitationes negant, verba, & opera rogati fatentur; quod illas non equè agnoscant, aut advertant. Vid. Layman. *hic c.* 13. Conin. *d.* 7. *dub.* 7. Fagund. *Præcept.* 4. *l.* 4 *c.* 2. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 99.

†

IHS

CAPVT III.

De Adiunctis Pœnitentiæ.

DVBIVM I.

Quid sit sigillum confessionis, & qui ad illud teneantur?

Resp. 1. Sigillum hoc, est, obligatio iuris divini strictissima in omni casu, etiam quo integri Regni salus periclitaretur, ad tacendum, etiam post mortem pœnitentis, dicta in confessione) idest in ordine ad absolutionem Sacramentalem) omnia, quorum relevatio Sacramentum redderet onerosum, vel odiosum. *Vndè resolves.*

1. Violatio huius sigilli duplicem habet malitiam, Sacrilegij contra reverentiam Sacramento debitam, & iniustitiæ, ex pacto virtuali inter pœnitentem & Confessarium de secreto isto servando omni casu. Dian. *p.* 5. *tr.* 11. *Res.* 2. ex Fag. Kellison. &c. Neque hìc datur parvitas materiæ. Dian. *p.* 5. *t.* 5. *R.* 8. ex Mald. Bald. &c.

2. Non inducitur hæc obligatio. 1. Per confessionem factam fictè, v.g. ad furandum, illudendum, vel Sacerdotem pervertendum, etsi hoc casu adhuc prudenter tacendum sit. Vid. Dian. *p.* 5. *t.* 11. *Res.* 26. 2. Si quis extra confessionem accipiat aliquid sub sigillo confessionis: quia tantùm est obligatio secreti naturalis, gravior, aut levior pro rei exigentia.

3. Non frangitur sigillum. 1. Si in genere dicas, Titium tibi confessum esse venialia, aut esse probum, innocentem; modò non dicas in ijs circunstantijs, ex quibus colligi possit, alios esse nocentes, vel confessos mortalia. 2. Si dicas,

cas, N. tibi esse confessum (etsi in certis circunstantijs hoc quoque periculosum sit) Layman. *c.* 4. *num.* 21. Imó si pœnitens verbo, vel facto, (v.g. clám accedendo) significaverit se nolle, sciri quód sit confessus, Confessarium revelare sigillum volunt. Reg. Navar. & Mercer. apud Dian. *p.* 5. *t.* 11. *Res.* 47. Quia pœnitens confitendo Confessario extraordinario veniret in suspicionem gravioris criminis, quod Tamb. *in append. c.* 3. dubiè confirmat asserens se vereri, ne talis accedat ad fractionem sigilli. 3. Si peccata ita referas, vt moraliter loquendo, persona innotescere non possit; neque communitas aliqua etiam parva infametur, vt quod ibi talia vitia regnent. Vid. Dian. *p.* 2. *t.* 15. *Res.* 13. id enim esset contra sigillum. Vndè Turr. apud Dian. *p.* 5. *t.* 11. *Res.* 45. & Tamb. *in append. c.* 3. reprehendunt Superiorem localem, qui Provinciali fortè dicat, in sua domo sæpè postulari licentiam absolvendi à reservatis: quia potest redundare in ignominiam, & damnum domûs, etsi idem Tamb. *c.* 4. *num.* 2. dicat probabile esse, quod non sit contra sigillum, si dictæ licentiæ petitæ fuerint extra confessionem. 4. Si vtaris notitiâ extra confessionem acquisitâ, imó ipsum peccatum, quod aliundè tibi innotuit, aperias, modó nullam circunstantiam ex sola confessione notam; nec certiús referas, quàm extra confessionem nosti: quo in casu opus est magnâ cautelâ, & tutissimum est silere. Lay. *c.* 14. *num.* 16.

4. Quando plures, v. g. studiosi, vel aulici, &c. tenentur ferre testimonium confessionis, Confessarium teneri id dare, etiam ijs, quos non absolvit, docet Con. *disp.* 6. *dub.* 1. Fag. & Dian. *p.* 3. *t.* 11. *res.* 22. tum ne id negando prodat aliquo modo sigillum, & pœnitentem: tum quia dando mentitur, cùm tantùm testetur, esse confessum. Verùm Bon. *d.* 5. *q.* 6. *s.* 5. *p.* 4. & Lugo *d.* 23. *sect.* 3. docent, tali schedam negare, non esse contra sigillum, (idemque concedit. Aversa *q.* 18. *s.* 2. si non constet pœnitentem accessisse adhunc Confessarium;) tum quia nihil dicit, sed tantùm non approbat testimonio positivo confessionem, ad quod non tenetur; nec quidquam facit ex quo possint cognosci delicta pœnitentis: tum quia aliàs via aperiretur fraudibus, & multi improbi Parochos in Paschate deciperent: tum quia potest esse consuetudo, vt scribatur, absolutum esse, quod falsum erit si scribat, & si omittat, sigillum franget: tum quia scandalosum erit, & iniquum, publicæ meretrici perseveranti (vtì & occulto peccatori, sic pallianti suam iniquitatem) testimonium dare confessionis: neque Confessario imputandum erit, quod eum positivè non defendat.

5. Sub sigillum cadunt, 1. Omnia peccata pœnitentis, tam futura, quàm præterita, (si quidem hæc animo se accusandi sint manifestata: secùs si per modum simplicis narrationis, vel vt Confessarium ad simile peccatum induceret Dian. *p.* 5 *t.* 11. *Res.* 25. ex Suar. & alijs 8.) ideoque peccat mortaliter, qui sive directè, sive indirectè aperit aliquod veniale in particulari, etiam leve Titij, quia materia sigilli parvitatem non habet, vt est omnium ferè sententia apud Dian. *p.* 5. *t.* 5. *Res.* 8. & Tamb. *in append. c.* 8. vel qui in genere dicit, eum sibi confessum esse aliquod mortale, vel casum reservatum, vel excommunicationem, vel non absolutum ob indispositionem. Imò Confessorem qui dicat absolutè: Ego Petrum

Petrum non absolvi, frangere sigillum dicit Dian. *p.* 5. *t.* 11. *resolut.* 42. ex Suar. & aliis 9. 2. Etiam peccata complicis, sive prudenter, sive imprudenter detecti. Suar. Vasq. & commun. apud Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 11. An verò liceat interrogare de complice, ad eius correctionem faciendam, illamque ex licentia pœnitentis facere, affirmant Suar. & Fagund. contra Bon. Lorcam, Nugnum, & alios Thomistas. Dian. *p.* 5. *t.* 4. *Resol.* 113. Lugo *d.* 16. *nu.* 426. vbi docent, posse aliquando pœnitentem à Confessario obligari, & cogi ad manifestandum complicem extra confessionem. 3. Pœnitentia imposita, si gravis sit, hoc est, quæ consuevit iniungi pro mortali, (qualis nunc esset, ait Dian. *par.* 5. *t.* 11. *Resol.* 31. Corona B. V. non verò Miserere) Aversa. *q.* 18. *s.* 6. 4. Peccatorum circunstantiæ, quas taceri pœnitentis interest, etsi dictę sint post absolutionem; v.g. si sputius sacros Ordines susceperit, si nobilitatem iactaverit, &c. Bona verò pœnitentis, & cætera impertinentia, quæ per accidens interponuntur, nec odium Sacramento pariunt, v.g. propositum Religionis, vel matrimonij, sæpé quidem (si nimirùm pœnitens ea recta velit) sub obligationem secreti naturalis, non tamen Sacramentalis, cadunt. Excipiunt Tan. & Con. nisi pœnitens talia dixerit in ordine ad explicanda peccata: tunc enim sigillo Sacramentali claudi, tenent cum Dian. *p.* 5. *t.* 11. *Resol.* 5. Idem de virtutibus, & vitijs affirmat Gran. cõtra Reg. & Mald. apud Dian. *l.c. Res.* 10. de defectibus naturalibus (v. g. illegitimè natum esse) & de virijs occultis corporis. Con. Hurt. & Kellison. contra Gran. Mald. &c. qui ea sub sigillum cadere absolutè aiunt apud Dian. *l.c. resol.* 29. Item de ijs, quæ alios concernunt, & tamen peccata non sunt. Mald. & Dian. *l.c. Res.* 38. Deniquè de scrupulis (cõtra Conin. & Gran. qui eos sigillo claudi absolutè affirmant, & contra Marchant. qui absolutè negat) idem tenet Lugo, nimirum si pœnitens scrupulositatem confiteatur, aut ad declaranda peccata, vel conscientiam afferat, ait cadere sub sigillum; quia est in obliquo, saltem materia confessionis. Secùs, si non cognoscatur ex pœnitentis relatione, sed videatur, & percipiatur, v.g. ex modo confitendi. Item dicit de alijs defectibus naturalibus, v.g. quód sit blæsus, rudis, hebetis ingenij, &c. Et sic excusat Confessarium, qui de pœnitente dixit, quod impertinentijs, & nænijs caput sibi frangat. Vid. *d.* 23. *sect.* 3. *nu.* 60. Gran. tamen id improbat, & Con. apud Dian. *p.* 5. *t.* 11. *Res.* 50. ait esse periculosum, & posse facilè frangi sigillum indirectè. Deniqué Tambur. *in append. c.* 3. doctrinæ isti nec quidem vt probabili acquiescit, atque eam à Dian. *l. c.* immeritò vocari communem, cui Gran. Hurt. Palaus, Bauny, &c. refragentur: aliterque limitans ipse ait: si isti defectus, v.g. esse blæsum, rudem, scrupulosum, &c. sint passim noti, non cadere sub sigillum; secùs si sint ignoti: quia confessio immunis esse debet ab omni odio.

Resp. 2. Ad sigillum tenentur omnes, ad quos quomodocunque notitia Sacramentalis confessionis pervenit: qualis est, 1. Confessarius, qui si de auditis in cõfessione rogetur, potest negare, etiamsi opus est, cum iuramento, subintelligendo, quód possit dicere, vel potiùs (vt dicit Lugo *d.* 23.) quòd sciat scientiâ vtili ad respondendum interroganti extra confessionem, (excipit Henr. & Granad. cum

cum Dian. *p.5. t.11. Res.* 43. nisi ex illa negatione sequeretur confessionem non fuisse integram; v.g. si de publica meretrice rogaretur, an non esset confessa fornicationem: tunc enim declinando directam responsionem dicendum esse; illam confessam esse peccata sua, & se functum officio suo.) Imò si peccatum suum salvo sigillo non possit confiteri, debet omittere; quia sigillum strictiùs obligat, quàm integritas confessionis.2. Superior, cui se sistit absolutus à reservato, vel à quo petitur licentia absolvendi à reservato. Suar. Lugo, &c. contra Henriq. Vasq. Con. & Pal. qui secreto tantùm naturali teneri volunt. 3. Interpres. 4. Qui furtivè, vel casu aliquid audit, licèt inculpatè. 5. Omnes, quibus aliquid sacrilegè revelatum est: vndè de hoc nec inter se colloqui possunt. 6.Laicus,qui pro Sacerdote est habitus. 7. Doctor, vel alius, qui cum venia pœnitentis consulitur,vt habet communior sententia, contra Vasq. Vid. Dian.*par.2. tract.15. Res.*15. 8.Qui alterius rudis confessionem scripsit. 9. Qui scriptam invenit,ac legit,vt docet Rod. Fag. Mald. &c. apud Dian. *par.* 3. *t.* 4. *Res.* 112. *& p.* 5. *tr.* 11. *Res.* 27. contra Suar. Bon. & Laym. quorum sententia probabilis est. Iuxta quam, etsi talis teneatur secreto naturali, peccetque mortaliter, si gravia, ac diffamantia vulget; secùs tamen, si sciens levia tantùm esse, ea legat ex curiositate. Vndè consequenter in casu gravissimæ necessitatis,talem confessionem scriptam liceret revelare, (excipit Lugo, nisi tamen per scripturam voluerit confiteri vt mutus, vel petere facultatem absolvendi à casu reservato. Vid. *d.* 23. *num.*48.) 10. Etiam secundùm aliquos,ipse pœnitens. Verùm probabilius est, cum tantùm teneri secreto naturali, ratione materiæ, si ea id requirat, tacere audita à Confessario. V. Laym. Dian. *p, 5. t.* 11. *Res.* 8. *Vndè resolves.*

1. Extra confessionem,cum licentia pœnitentis potest agi de auditis in confessione, sive cum ipsomet, sive cum quocumque alio, etsi periculosum sit. D. Thom. Suar. Præp. Tan. &c. Circa quam licentiam requiritur.1.Vt sit formalis, & expressa: nam præsumpta, tacita, interpretativa, virtualis(etiam in bonum ipsiusmet pœnitentis) non sufficit Fagund. *p.* 2. *l.* 6. Tan. Mald. & cæteri DD. communiter. 2. Vt sit libera, ac spontanea, non vi, iniuria, dolo,vel per preces importunas extorta,vel etiam per metum reverentialem ipsius Confessarij obtenta. Henr. Fagund. *l.c.* Dian. *p.* 5. *t.* 11. *Res.* 10. *&* 24. 3. Non revocata nam pœnitentem pro libito, etiam sine causa, eam revocare semper posse,docent Fagund.& Dian. *ll cc.* 4.Non opus esse, vt habeatur in scripto, Suar. Fag. *ll. cc.* Imò si dubium sit, an Confessor cum licentia locutus fuerit, Sacerdoti potiùs, quàm pœnitenti credendum, ex Graff. & Henriq. affirmat Dian. *l.c. Res.* 4. vel etiam quàm hæredibus; v.g. si ex licentia defuncti revelet restitutionem ab ijs faciendam. Tan. & Mald. qui tamen monet,eo casu non esse dicendum eam deberi ex delicto, sed solùm quod talibus tantùm dari voluerit, satiùsque suaderi moribundis, vt talia secreto codicillo hæredibus iniungant. Vid. Dian. *l.c. Res.*32. 5. Perindè esse, sive ea licentia detur verbo,sivé facto quòd quidem æquivaleat expressè concessioni, v.g. si pœnitens extra confessionem incipiat loqui cum Confessario de dictis in confessione; tunc enim posse hunc prosequi, docent Aversa *q.* 18. *s.* 7. Tamb. *in append. c.*2. ex Bon.

2. Frangitur sigillum, si cum pœnitente, extra confessionem, sine eius venia,agas de auditis in confessione,aut ea te scire ostendas. Quod verum putat Sanch. contra Suar.& Laym.etiamsi cum eo tractare velles de essentiali errore in ea commisso, quem illi significare, sine eius venia, non licere,docent Regin. Fag. Bon. & alij contra Filliuc. Turrian. &c. apud Dian. *p.* 3. *t.* 4.*Res.* 87. Dixi, *extra*;quia intra confessionem potest fieri mentio præcedentium,vt patet ex praxi Confessariorum, qui ob recidivam arguunt, & absolutionem aliquando negant. Ita Henr. Præp. Gran. Mald. &c. apud Dian. *p.* 5.*t.* 11. *Res.*20, vbi ipse cum Fagund. negat id licere sine expressa licentiâ pœnitentis, nisi de ijs,quæ is iterùm confitetur, vel saltem tangit. V. Dian. *l.c. & p.* 2. *tr.* 1. *misc. n.* 12. *&* 9. *p.* 9. *tr.* 11. *Res.* 18.

3. Frangit sigillum, qui dicit se in tali Monasterio audivisse grave peccatum, tametsi non nominet personam. Dian. *p.* 5. *t.* 11. *Res.* 35. & alij. 3. cum Malder. Additque graviter peccare eum qui dicit in hoc, vel isto Ordine Religioso, hoc,vel istud peccatum fuisse admissum, quod ex sola confessione novit; imó nec de Civitate, vel certo loco quo quis confessiones audivit, licere dicere, quod gravia fiant, vel talia,& peccata committi soleant (nisi id aliundè constet) docent Hurt. Kellis. & Mald. apud Dian. *l.c. Resol.* 35. quia potest redundare in gravamen, & infamiam ipsius Communitatis, & fortè etiam Civium in particulari,quando Civitas non est ampla, & pœnitentes suspecti;atque adeò confessio fieret illis odiosa. Vid. Dian. *l.c. & Resol.*36.vbi cum Mald.docet, Confessarium, qui paucos habet pœnitentes sibi subditos, (v.g. Moniales huius Monasterij) scandalum dare,si coram illis concionetur de vitijs auditis in confessione; quia confessæ facilè suffunduntur pudore.

4. Notitiâ in solâ confessione acceptâ, nullo casu vti licet, si periculum sit revelationis, saltem indirectæ. Verùm si nullum sit periculum, vt vel pœnitens, vel vsus scientiæ innotescat, etsi probabile sit, licere vti ad alterius gubernationem, v.g. negando suffragium ei, quem ex sola confessione scit indignum esse, vel claudendo ostium, per quod quis noctù ingreditur ad peccandum: item cognitâ proditione futurâ, monendo de diligenti custodiâ: impediendo clàm matrimonium,quando scitur impedimentum, vt docent Vasq. Henr. Nav. &c. Contrarium tamen verius videtur, quod docent Fumus,Sanc. Con. Laym. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 76.*& p.* 5. *t.* 11. *Resol.* 3.& alij; quia hæc doctrina posset pœnitentẽ absterrere à confessione: Et quidem Superioribus Religionum talis gubernandi modus prohibitus est anno 1594. cùm in *Societate* Iesu iam antè idem statutum esset, prohibitumque contrarium docere. Vid. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *Res.* 202. Contrà verò ad sui ipsius gubernationem licere tali casu eâ scientiâ vti, videri probabilius, v.g. abstinendo à calice, in quo scitur esse venenum,deflectendo à silvâ,in qua paratam sibi mortem scit ex vnius latronis confessione, docent *Sylv.* Henriq.Con. Laym.*hic cap.*15. contra *Suar.* Dian. *p.* 5. *t* 11. *Res.* 46. Excipit Lugo, nisi actio, vel omissio Confessarij induc-

cat

cat notitiam peccati, vel damnum afferat confitenti; contra Conin. *disp. 9 dub. 4. &c.* qui putat licere, etsi indè mors pœnitenti immineret à socijs inferenda. Vid. *l.c. n.* 108.

5. Deniquè facere aliquid ex quo soli pœnitenti innotescere possit, id fieri ex notitia confessionis, esse contra sigillum negant D. Th. Bon. Sot. Vasq. &c. affirmant Sylv. Val. Con. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 46. Idque confirmant Fagund. Gran. Lugo, & Avers. *q.* 18. *s.* 8. si tale sit, quod pœnitenti ruborem, vel molestiam afferat, v.g. si vultum ei austeriorem ostenderet, vel eum declinaret; secùs si ei sit gratum, vel saltem confessionem odiosam, aut difficiliorem non reddat; v.g. si audisset eum ad indignationem, aut odium provocatum, vel in tentationem incidisse ex certo facto, vel dicto ipsius Confessarij, indéque ipse à talibus factis, vel dictis abstineat, &c.

DVBIVM II.

Quale sit præceptum, & quæ obligatio confessionis?

RESP. Præceptum confitendi, tum Divinum, tum Ecclesiasticum, sub mortali obligat omnes, ac solos baptizatos, qui habent mortale illud, in articulo mortis; hoc verò postquam ad annos discretionis pervenerint, & simul vt confiteantur proprio Sacerdoti, vel alteri, cum eius veniâ, semel in anno; computando ab vna confessione ad aliam vt quidam docent; vel ab initio Ianuarij ad finem Decembris, vt habet communior; vel deniquè à Paschate ad Pascha, vt consuetudo ferè obtinuit, propter Communionem Suar. *d.* 35. *s.* 2. Vasq. *q.* 90. *a.* 2. Lug. *d.* 15. *s.* 3. 4. 6. & 7. Con. *d.* 5. *dub.* 6. *Vndè resolves.*

1. Tenentur hoc præcepto. 1. Hæretici, & Apostatæ, pueri doli capaces, saltem post septennium. Vid. Dian. *p.* 4. *t.* 3. *Res.* 51. Lug. *l.c. s.* 7. *num.* 144. & 149. 2. Ingrediens periculosam navigationem, vel conflictum. 3. Mulier tenera primùm paritura, vel quæ solet habere partus difficiles. 4. Reus morti adiudicatus. 5. Qui signa habet mortis naturalis.

2. Improbabile est, quod docet Sà: *V. Confessio*, Ecclesiam non obligare ante pubertatem; cùm anni discretionis citiùs attingantur, & constet mortaliter peccari posse sub annum nonum, vel decimum, imó antè. Vndè si talis puer, crasso saltem modo, videatur cognoscere, Deum per hoc, vel illud offendi, ostendatque dolorem, & propositum, ac præcipua fidei mysteria cognoscat, debet absolvi; secùs tamen, si non notetur sufficiens vsus rationis: si verò dubium sit, potest, (imò in articulo mortis debet) absolvi sub conditione. Vid. Laym. *l.* 5. *t.* 6. *c* 5. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *Res.* 53. & Lugo *l.c. & d.* 17. *num.* 22. vbi docet etiam extra articulum mortis, & obligationem præcepti, talem esse sub conditione absolvendum, ne gratiâ Sacramentali privetur.

3. Non obligatur qui tantùm habet venialia, etsi consuetudo habeat, & cogi etiam quisque possit, vt in Paschate saltem se sistat Pastori, vt cum reliquis eum ad Communionem admittat; ad quod Pastor tenetur, si alter dicat, se mortalis culpæ non esse conscium. Suar. *d.* 36. *l.* 2. *&c.* communiter.

4. Probabile est, eum, qui vno anno, sive cum, sive sine culpâ suâ non satisfacit præcepto, teneri adhuc quamprimùm

primùm potest, anno sequente: quia terminus non apponitur, ad finiendam, sed ad non differendam obligationem. Ac proindè talem toties peccare mortaliter, quoties oblatam occasionem negligit, vt docent Bon. *d.* 5. *q.* 5. *s.* 2. Suar. Vasq. Lugo *l.c. num.* 176. contra Sylvest. Val. Laym. Dian. &c. qui dicunt perseverare in vno eodemque peccato.

5. Satisfaciunt ij, qui confitentur Mendicantibus, etiam in Paschate; quia hi habent facultatem à Sacerdote proprijssimo omnium fidelium, & Pastore Pastorum. Ita communiter omnes contra Glossatorem, & Auctorem *Parochiani obedientis*, contra quos *vide in Responsis* Francisci Fontani, *editis Viennæ Austriæ anno* 1644. allegatam auctoritatem duorum Conciliorum Generalium, Viennensis, & Tridentini, 20. Pontificum 50. Doctorum, & præter totius orbis consensum, multorum quoque Parochorum, testantium, eos esse optimos Parochianos, qui Regulares adeunt & ab ijs instituuntur, *vt sup. l.* 3. *t.* 2. *cap.* 1. *dub.* 3. Item Nav. Azor, Fag. Trul. *l.* 3. *c.* 4. *d.* 2. *nu.* 6. Dian. *p.* 8. *tr.* 1. *Res.* 88.

6. Non obligatur ante finem anni, qui habens mortale, timet ne illud obliviscatur, Conin. Henriq. Lugo *d.* 14. *nu.* 41. & alij, contra Med. &c. Si tamen prævideret, se non habiturum occasionem confitendi deinceps toto hoc anno, deberet prævenire, etiam in medio anni. Lugo *dis.* 15. *s.* 6. *nu.* 182.

7. Probabilius est, imo certum post damnationem oppositæ Sententiæ ab Alexandro VII. non satisfieri præcepto Ecclesiæ, per confessionem invalidam, vt docent Suar. *d.* 36. *s.* 7. Fil. Lay. *d.* 16. *s.* 6. §. 5. Item, nec per confessionem venialium, vt docet Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *Res.* 206. ex Hurt. & Mercero.

8. Excusantur ab hoc præcepto. 1. Qui physicè non possunt; v.g. quibus deest Confessarius. 2. Qui moraliter non possunt; v.g. qui prudenter timent revelationem sigilli, vel qui non possunt sine notabili incommodo vitæ, fortunarum, &c. Con. Tamb. *c* 4. § 3.

TRACTATVS V.

De Extrema Vnctione, & Ordine.

CAPVT I.

Quid sit Extrema Vnctio, & quæ circa eam observanda?

RESP. 1. Est Sacramentum à Christo institutum, ad ægroto periclitanti de vita, conferendam salutem animæ, vel etiam corporis, per vnctionem olei benedicti, & orationem Sacerdotis S. Thom. *in* 4. *dist.* 23. *q.* 1. *ar.* 1. *Vndè resolves.*

1. Materia eius remota, est oleum benedictum, quod in pixide chrismali signatur littera I. (in cuius defectu non licet vti chrismate: si tamen vsus sis, nihil repetendum esse docet Laym. *lib.* 5. *tr.* 8. *cap.* 2. *num.* 3.) idque renovandum est quotannis in Cœna Domini, veteri exusto, si tamen novum haberi non possit, licet vti antiquo. Laym. *l.c.* & si hoc non sufficiat, aliud consecratum, vel in necessitate non consecratum, (in minore tamen quantitate quàm vetus est) addere. Etsi Dian. *p.* 6. *t.* 6. *Res.* 44. ex Less. & alijs. 4. dicat contrarium habere praxim Ecclesiæ, vt scilicet paulatim, & per vices (si ita requirat necessitas propter copiam infirmorum) longè etiam maior

for quantitas addatur, quàm ab Episcopo fuerit consecrata initio. Bon. *d.* 7. *q.* 1. *n.* 8. ex Possev.

2. Materia proxima, est vnctio certarum partium corporis, ac saltem quinque sensuum; vel si mutilati sint, vicinarum partium, facta à Sacerdote, non simpliciter necessario contactu immediato manus, nam, peste grassante, potest vti virga oblonga oleo tincta, quam posteà comburat. Sylv. Chapeavil. Vid. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 167. Quidam etiam Doctores putant, vnam tantùm vnctionem esse de essentia Sacramenti. Ideóque in periculo pestis, & simili necessitate, sufficere vnum tantùm organum magis obvium, vel potiùs caput, quòd in eo sensus maximè vigeant, vngere, dicendo: *Per istam, &c. quicquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum, tactum, &c.* Et quidem pro hac sententia citantur varia Pastoralia, Agendæ, & D. Lovan. Sylv. *in* 3. *par. q.* 33. *ar.* 2. Lay. *l.* 5. *tract.* 8. *c.* 3. qui eam non omninò improbabilem, Tan. & Marchant. *in Horto Pastorum*, qui omninò probabilem, & in praxi visitatam. Dian. *par.* 3. *t.* 4. *Res.* 168. qui in praxi tutam dicit, citansque pro ea *p.* 8. *tr.* 1. *Res.* 21. Gran. Amic. Aversam, affirmat Pontificem id posse permittere, & denique Escob. (citans Beccanum *c.* 25. *q.* 7. *nu.* 6.) & Barbosa in Trid. *sess.* 14. *c.* 1. id permittit. Verùm cùm alij Doctores communiter repugnent, tutius saltem erit (quod suadent. Laym. & Dian. *ll. cc.*) eo casu vnum oculum, aurem, manum, narem, & os velociter sine Crucis forma vngere, dicendo vnicam formam, complectentem reliquas. Illud verò certius est, pedes, aut renes inungere, non esse essentiale, imò quoad renes, non est decens, præsertim in fœminis, & viris Religiosis, ideòque omitti solet. Henr. Sà, Tol. Suar. Bellarm. *c.* 10. *in fine.*

3. De essentia huius Sacramenti est. 1. Vt organa 5. sensuum, quæ inunguntur nominentur. Palaus. *t.* 4. *c.* 26. Aversa *s.* 4. *&c.* communiter. Licèt Dian. *p.* 8. *t.* 7. *Res.* 56. Regin. contrarium censeat probabile; imó ad valorem sufficere, si inter vngendum omnes sensus dicas: *Per istas sanctas vnctiones indulgeat tibi.* 2. Verba illa: *Per hanc sanctam vnctionem*, etsi Palaus *l.c.* dicat valere, si tantùm omittas; Ly *sanctam.* 3. Verba deprecativa: *Indulgeat tibi Deus.* Hinc formam imperativam. v.g. *Per hanc, &c. remittatur tibi quidquid, &c.* non valere dicit Palaus *l.c.* Dian. *l.c.*

4. Hoc Sacramentum tantùm dandum est morti propinquis, ex morbo, vulnere, partu, vel senectute; quia hi soli sunt infirmi. Quod si morbo liberati rursùs periclitentur, iterandum est; & quidem in diuturnis morbis, quoties, erit periculum novum, neque expectandum, (sub gravi culpâ. Quintan. *t.* 5. *s.* 9.) donec sensibus careant, vel omninó sint desperati. In dubiò verò de vita, detur sub conditione. Laym. *l. c.* ex *S.* Th. Sylv. Suar. *d.* 40.

5. Si conferatur infirmo communi morbo, sive non graviter, vel periculosè laboranti, non est validum. Suar. Pal. Gran. Amic. &c. comm. Ac licét, Less. Vigers, & Quint. contrarium putent probabile; concedunt tamen sic inunctum iterùm inungendum esse (etiam in eodem morbo) quando periculosè laborare cœperit, ob mutatum statum infirmitatis, additque Quint. mortaliter fuisse. Quint. *t.* 5. *sect.* 7. Dian. *p.* 9. *t.* 6. *Res.* 46.

6. Ad

6. Ad Sacramentum hoc cum fructu recipiendum, in eo qui rationis est compos, & conscius peccati mortalis (si non confiteatur) requiritur contritio saltem existimata; neque sufficit attritio Bonacin. *d.* 7. *quæst. vn. p.* 5. *nu.* 2. ex Reg. *l.* 28. *c. vlt. art.* 73. Ordinarié autem, nisi obstet causa rationabilis (v.g. si ob vomitum communicare non possit) præmittenda est confessio, & communio, ob Ecclesiæ consuetudinem, quæ vnctionem tanquam minùs necessariam ad salutem, postponit. Vid. Bon. *l.c. num.* 13. Licèt autem per se loquendo; confessio non necessariò præmittatur, cùm per contritionem se disponere possit, per accidens tamen requiri potest, v.g. si post Viaticum peccasset mortaliter, & timeretur post vnctionem defuturum tempus confessioni: tunc enim priùs audiendus, & absolvendus esset; quia Sacramenta magis necessaria tali casu priùs sumenda sunt. Fill. Barb. Dian. *p.* 5. *t.* 3. *Res.* 92.

7. Pueris habentibus sufficientem rationis vsum ad peccandum, tametsi sacram Eucharistiam non accipiant; non rectè negatur Extrema-Vnctio, cùm indè nonnumquam solus ipsorum dependere possit. Suar. 3. *p. t.* 3. *d.* 70. *s.* 1. Graf. Angl. Zamb. apud. Lay. *l.* 5. *t.* 8. *c.* 4. *num.* 2. qui Parochos quorundam locorum excusat, per consuetudinem toleratam ab Episcopis, si non dent pueris ante annum 14. vel 15. excepto casu necessitatis, quo puer, quem rationis vsum consecutum esse constet, aliud Sacramentum ante mortem suscipere non possit. Vid. Chapeavil. *c.* 5. *q.* 17. Ac licèt Parochus in confessione cognoverit, puerum nunquam actualiter peccasse, debere tamen illum inungere contra Nugn. & Sancium docent Suar. Regin. Fil. Conin. &c. cum Dian. *p.* 3 *t.* 4. *Res.* 181. Si verò dubium sit, an puer vsum rationis habeat, vngendus est sub conditione. Dian. *p.* 5. *t.* 3. *Res.* 85. & Sanch. Zamb. & Lugo.

8. Minister est solus Sacerdos proprius, sive Pastor; sine cuius veniâ si extra necessitatem alius det, validum quidem est, sed graviter peccat. Sylv. Sotus, Con. *d.* 9. *nu.* 8. & Religiosus incurrit excommunicationem Papalem. Suar. Reg. *l.* 18. *num.* 40. Posse tamen Regulares hoc Sacramentum (vti, & Viaticum) in articulo mortis suis familiaribus ministrare docet Dian. *p.* 5. *t.* 3. *Res.* 52. ex Mancino, &c. In necessitate verò, vt si Pastor absit, vel dare nolit, nec superior possit adiri pro petenda licentia, licité ministrat quivis non excommunicatus, aut suspensus, (etiam Regularibus, contra Gavant. docent Præp. Hern. Bern. Gran. Dian. *p.* 5 *t.* 3. *Res.* 82.) censetur enim tunc Papa dare licentiam. Lay. Regin. Suar. &c. *l.c.* Dian. *Res.* 176.

9. Sufficit Sacerdos sine ministro in necessitate, nec in eâ fœmina adhibenda est, quod si tamen fiat, veniale esse docet Quint. *t.* 5. *s.* 6. In ea posset etiam vnus vnam, alius aliam partem inungere, pronunciando tamen formam illi vnctioni respondentem Bon. *l c. &c.* commun. Non tamen potest vnus inungere aliquem sensum, & alius formam pronunciare: neque vnus vnum oculum, alter alterum. Vid. Dian. *p.* 9. *t.* 5. *Res.* 36. Quòd si Sacerdos non possit progredi, supplenda erunt per alium, quæ restant. Tan. Præp. Merat. qui apud Dian. *p.* 5. *t.* 3. *Res.* 87. notat licere etiam alteri vnctiones ab initio repetere, perindé acsi

Z prior

prior nullam earum inchoasset.

10. Etsi in administratione huius Sacramenti servanda sint omnia præscripta in Rituali, Agenda, vel Manuali; mortale tamen non esse, administrare in necessitate sine superpelliceo, vel stolâ docent Quint. & Leand., conceditque Amicus. Et Diana. *p.* 8. *t.* 1. *Res.* 79. id excusat ab omni peccato, si infirmus non sit capax alterius Sacramenti, & ista haberi non possint, contra Suar. Regin. &c. Imò etiam extra necessitatem non esse mortale. 1. Omittere Psalmos Pœnitentiales, Litanias, & cæteras preces, docent Pal. & Gran. Dico, *extra*; quia in necessitate gravi, v.g. tempore pestis, vel morte imminente, statim vngendus est sine præmissis orationibus; quæ tamen posteà supplendæ sunt, si supervivat infirmus. Bonac. *d.* 7. *p.* 6. *num.* 8. 2. Deferre ad ægrum, vel administrare sine lumine Lean. citans Possev. Quint. *t.* 5. *s.* 13. Barb. *de Offi. Paroc. cap.* 22. 3. Si solus sine ministro administret: imó hoc in necessitate permittunt. Tol. Sà, &c. Vid. Diana. *p.* 9. *t.* 6. *Res.* 36. 4. Si vngat aliter, quàm in formam Crucis. Suar. Bec. Laym. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *Res.* 178.

11. Pastor ratione officij tenetur sub mortali dare ijs, qui petunt, nisi iusta causa excuset; etiam tempore pestis modò possit absque periculo vitæ, cum eo enim non teneri, docent Tan. Dian. *p.* 5. *t.* 3. *Res.* 93. Si peste infecti sint confessi, posse sine peccato omitti, absolutè docet idem Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 174. *p.* 5. *t.* 3. *Res.* 83. & 93. & *p.* 8. *t.* 5. *Res.* 21. ex Villalob. Tan. Amico, Franc. Lug. &c. Suar. Fill. Con. Bon. Laym. *ll. cc.*

12. Sacerdos curatus peccat mortaliter, si petentem negligat inungere; vel differat cum probabili periculo, ne sine vnctione moriatur æger, (nisi iusta causa excuset) quia in gravi non præstat id, ad quod tenetur ex iustitia, Alius verò Sacerdos, si absente Parocho licitè, & facilè possit, tenetur ex charitate, sed sub veniali tantùm; nisi tamen ægrotus valde indigeret, v.g. si alioqui sine omnibus Sacramentis esset moriturus: quod aliud nullum suscipere possit, tunc enim quidam graviorem obligationem agnoscere videntur. Vid. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 170. Lay. *l.* 5. *t.* 2. *c.* 7. *nu.* 3.

13. Parocho vesperi timenti, ne noctù vocetur ad ægrum, non licet retinere domi sacrum oleum, vt vocatus possit venire expeditùs. Licèt venialem culpam in eo tantùm agnoscat Barb. *de Paroch. c.* 22. ex Possev. item Quint. *t.* 5. *s.* 10. vbi tamen à mortali non audet excusare eum, qui semper domi retineret.

14. Decens est, vt stupa comburatur: quia ad singulas vnctiones nova adhibenda est, nisi aliud habeatur in Agenda. Lay. *l. c.* Sà.

Resp. 2. Effectus eius principalis est, roborare animam contra tentationes dęmonis in morte. Secundarius est. 1. Delere reliquias peccatorum. 2. Tollere pœnas restantes. 3. Aliquando etiam sanitatem corporis conferre, si expediat. S. Thom. Sylv. Suar. *d.* 41. *s.* 1. *Vndè resolves.*

Huius Sacramenti non sunt capaces. 1. Puer ante vsum rationis; etsi sufficiat ea ætas, qua possunt peccare. Nav. Suar. *l. c.* 2. Perpetuó amentes: alijs verò delirantibus, si antè petiverint, aut petituri fuissent, si cogitassent, aut ostenderint signis doloris, dari potest, & debet. Sylv. Henr. Lay. Et si tales vnctioni resistant, ligandos esse, vel fortiter tenendos ait Zamb. apud Dian. *p.* 5. *t.* 3. *R.* 84. qui cum Barb. *de eff. Par. c.* 22. dicit esse necessarium, quando phreneticus non potest aliud Sacramentum suscipere.

2. Muti, surdi, & cœci à nativitate sunt capaces, atque adeó debent inungi prope organa sensuum, quibus carent: etsi exteriùs per illa non peccarint, potuerunt tamen peccare per interiores potentias, quibus illa respondent. Possev. Nald. Præp. Dian. *p.* 5. *t.* 6. *Res.* 11.

3. Non suscipere hoc Sacramentum, per se loquendo, secluso que scandalo, & contemptu, non est peccatum mortale. Suar. Laym. Tan. Escob. &c. (multò minus peccant mortaliter domestici, si id non procurent.) Veniale tamen esse, docet Conin. *disp.* 19. *dub.* 18. contra Nugn. vid. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 170. *p.* 8. *t.* 1. *Res.* 58. & *p.* 5. *t.* 3. *R.* 97. vbi notat ex Tan. non censeri contemnere, qui sciens prudenter omittit tempore apto, & oblata commoditate. Contrarium tamen vult. Tol. presertim si probabiliter deinceps non sit futura commoditas.

CAPVT II.

De Sacramento Ordinis.

DVBIVM I.

Quid, & quotuplex sit Ordo, & quæ eius materia?

RESp. 1. Ordo est Sacramentum, quo traditur potestas circa Eucharistiam ritè administrandam. Ordines vniversim sunt septem. Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium. Quod rursus est duplex, Minus, & Maius, sive Episcopatus. Vndè quidam octo numerant. Prima verò tonsura non est Ordo, nisi latè, sed tantùm dispositio ad Ordines, per quam quis fit Clericus, & capax Beneficij Ecclesiastici, ac privilegiorum Clericalium. Ex ijs tres posteriores dicuntur Maiores, sive sacri, ob annexum votum solemne castitatis, (etsi ordinatus per gravem metum, vel nimijs blanditijs, & importunitate parentum probabiliter eo non teneatur, nisi spontè ratificaverit. Sanch. *disp.* 29. Azor. Filliuc. *l.* 10. *c.* 4. *quæst.* 3. Con. *num.* 150. Bon. *de matr. quæst.* 3. *p.* 9.) reliqui Minores, quos cum Vasq. alij Sacramentum esse negant, alij cum Bellarm. Con. Fil. &c. communiùs, & probabiliùs affirmant. Et quidem vnum, vel perfectione, ac fine, vel vnitate attributionis. Vide Fil. *tr.* 9. *c.* 1. Bon. *d.* 8. *q.* 2.

Resp. 2. Materia remota Ordinum, est aliquod instrumentum, traditum ordinandis; in signum potestatis spiritualis. Proxima est eiusdem traditio, & acceptio. Cuius contactum physicum, & immediatum, etsi non esse essentialem aliqui probabiliter doceant, cum Sà, Henr. Regin. Laym. Dian. *tr.* 4. *de Sacr. nu.* 158. & alijs, quos citat: contrarium tamen communius est, ac tutius, vt alterâ saltem manu tangatur; imó ex præcepto ad scrupulum vitandum, vtrâque manu, & quidem omnia, v.g. calix cum patena, hæc cum hostia, vt docet Fil. idque simul cum prolatione verborum Episcopi. *Vid.* Layman. *l.* 5. *t.* 9. *c.* 5. Bonacina. *d.* 8. *q.* 1. *punct.* 3. Vid. Dian. *p.* 8. *t.* 1. *res.* 40. & 42.

Resp. 3. Ostiarius ordinatur traditione clavium Ecclesiæ; Lector libri lectionum, Exorcista, libri exorcismorum;

Acolythus ampullarum vacuarum, vel saltem vnius, & candelabri cum cereo extincto; quia eius est præparare lumen, vinum, & aquam ad Missam; Subdiaconus traditione calicis vacui, cum vacua patena superposita; quia illius est hæc ad Missam præparare; Diaconus impositione manus libri Evangeliorum; quia eius est cathechizare, cantare Evangelium, & cum facultate Parochi prædicare, baptizare, Eucharistiam dare, vide supra. Sacerdos traditione calicis cum vino, & patenæ cum pane, addita forma, qua datur potestas sacrificandi, deindé impositione manus, addita alia forma, qua datur potestas remittendi alijs peccata. V. Fil. *t.9. cap.*2. Reg. Bon. Dian. *p.*3. *t.*4. *Res.*186. 187. & 188. & *p.*8. *l.c. Ex dictis resolves.*

1. Potest Episcopus extra Diœcesim suis subditis conferre primam tonsuram: quia non est Ordo. Bon. & alij 4. cum Dian. *p.*4. *t.*4. *Res.*143. contra Sanch. Barb. &c.

2. Quando dubium occurrit, an Ordo sit verè collatus; v.g. quia materia fuit dubia, iterari potest, & debet sub conditione. Quando veró sunt rationes vtrinque probabiles pro nullitate, & validitate, ait Diana *part.* 5. *t.* 3. *Res.* 47. ex Gran. posse iterari sub conditione, imó debere, si sit Episcopalis, vel Sacerdotalis, v.g. si Sacerdos, vel Episcopus non tetigisset vasa sacra, aut illud instrumentum, in cuius porrectione imprimitur character. Excipit tamen Sacerdotem, qui immediatè tetigit patenam, sed non Hostiam. Eum veró, qui non tetigit Calicem, & patenam, dum forma proferebatur, sed pauló póst, posse quidem ad maiorem animi sui quietem sub conditione iterùm ordinari, non tamen est necessarium, docet Lug. *Resp. mor. l.*1. *d.* 33. Rectè autem notat Dian. *l.cit.* etiamsi quis timeat, ne invalidè ordinatus sit, aut non recordetur se tetigisse sacra vasa, aut non tetigisse imaginetur, non illicò iterandum esse Ordinem, cùm sola oblivio, vel timor non sufficiat ad prudens, ac rationabile dubium, vel probabilitatem.

Resp. 4. Episcopus non potest ordinare nisi subditos, vel ratione originis (si scilicet in eius Diœcesi sint nati,) vel ratione domicilij ex voluntate isthic perpetuó habitandi: vel ratione beneficij in sua Diœcesi existentis. Dian. *p.* 8. *t.* 2. *Res.*8. Laym. Præp. &c. comm. Quocumque autem horum modorum sint subditi, licitè eos ordinat, vt habetur *in C. Cùm nullus. De tempore ord. in 6.* & ex communi Henr. Less. *l.*2. *c.* 34. *d.* 29. *Vndè resolves.*

1. Qui in vna Diœcesi est natus, in altera habet domicilium, in tertia beneficium, à quovis trium istorum Episcoporum potest Ordines, vel dimissorias accipere. Præp. *q.*1. *d.*14. Laym. *l.*5. *t.*9. *c.*9. Dian. *p.*8. *t.*2. *Res.*8. & 9. vbi cum Aversa, & alijs 3. contra Barbos. dicit, etsi ab vno eorum acceperit Ordinem vnum, posse alterum ab alio accipere.

2. Potest quis ordinari vt originarius, vbi ipse, vel pater eius est natus. Barb. Zerola, Aversa, & alij 9. cum Dian. *p.*8. *t.*2. *Res.*12. Non tamen potest ordinari ab Episcopo, in cuius Diœcesi natus est fortuitó; v.g. quia mater ibi iteneris, vel negotiorum causâ degebat: qui non contrahit ibi ius originis, sed vbi parentes domicilium habent, ibi enim natus esse censetur. Sanch. & alij 8. cum Diana *p.* 8. *t.* 2. *Res.* 11. contra Hurt.

Qui

3. Qui in diversis Episcopatibus habet duo domicilia, in quibus æqualiter (etsi non mathematicé) habitat, potest ab vtriuslibet loci Espiscopo ordinari: quia vtrique est subditus ratione domicilij. Præpos. *l c.* Sanch. Aversa, &c. cum Dian. *p.*8. *t.*2. *Res.*14. eius tamen filius ab illo tantùm, in cuius Diœcesi est natus. Quod si fortuitó extra vtriusque Diœcesim sit natus, ab vtrovis potest ordinari; quia vterque censetur eius Episcopus originis, cùm non sit potior ratio de vno, quàm de alio. Præp. Dian. *l.c.* Natus autem ex fornicatione, matris potiùs, quàm patris domicilium sequitur. Præp. Dian. *l.c. Res.*18.

4. Qui plura habet in diversis Diœcesibus beneficia, potest à quolibet illorum Episcoporum ordinari. Garcia. Præp. *l.c.* &c. Dian. *p.*8. *t.*2. *Res.*25.

5. Studiosi, qui in Vniversitate habitant (etiam vltra decennium) animo redeundi in patriam, non contrahunt ibi domicilium, atque adeò ab eius loci Episcopo ordinari non possunt. Imò si isthic ducant vxorem, nec filij eorum: sicut enim is non dicitur Episcopus domicilij respectu patris; ita nec Episcopus originis respectu prolis, quę nata fingitur in domicilio patris. Dian. *p.* 8. *t.*2. *Res.*15. & 17.

DVBIVM II.

Quæ requiruntur in ordinando?

Resp. 1. Ad validam ordinationem requiruntur, & sufficit, vt sit mas baptizatus. S. Th. 3. *p. q* 39. *art.*2. Conin. *d* 20. *dub.*10. Vasq. Fil. *t.*9. *c.*4. *q.*2. *Vndè resolves.*

1. Incapax Ordinum est, & quidem iure divino. 1. Fœmina. Vasq. Reg. Fil. *l.c.* 2. Hermaphroditus, in quo sexus fœmineus prævalet. Fil. *l. c.* Quód si autem in eo incipiat prævalere sexus fœmineus post ordinationem validam, non potest validè consecrare, vel absolvere: licèt characterem Sacramentalem retineat. Lugo *Res. mor. l.*1. *d.*31. 3. Non baptizatus, *Ibid.*

2. Validé ordinantur. 1. Perpetuò amantes, cœci, muti, privati manibus, etsi iure naturali sint inhabiles. 2. Irregulares, etsi iure Ecclesiastico sint inhabiles, maneantque ab eorum vsu suspensi. 3. Pueri in cunis, qui tamen ad castitatem non tenebuntur vi voti, nisi id ratificaverint. Tol. Henr. Azor *l.* 13. *c.*14. Bon. *l.c.*

Resp. 2. Vt Ordo licitè, & secundùm iura Ecclesiæ ritè sumatur, aut non incurratur censura, requiritur in recipiente, præter statum gratiæ. 1. Vt non sit Neophytus, vel infamis, vel hermaphroditus, vel irregularis, suspensus, excommunicatus. 2. Animus clericandi. Trid. *sess.*23. *c.*4. sine quo si primam tonsuram, vel Ordines minores accipiat, videtur peccare saltem venialiter (nisi iusta causa excuset) quia fraus est levis, *vid. suprà l.*4. *c.*2. *d.*1. *ar.* 3. Similiter venialis inconstancia videtur, sine iusta causa statum Clericalem deserere. 3. Vt sit confirmatus. Trid. *sess.*23. *c.*4. & quidem secundùm. Bon. *d.* 8. *p.*5. *nu.*10. sub mortali, secundùm Sotum, & Con. sub veniali. 3. Litteræ dimissoriæ (etiam pro primâ tonsurâ) Episcopi proprij, sive originis, sive beneficij, sive domicilij. Vid. Dian. *p* 3. *t.*4. *Res.*194. 4. Examen coram Episcopo, de scientia necessaria ad vsum cuiusque Ordinis: nam Tridenc. *sess.*23. *c.*4. pro primâ tonsurâ requirit, vt sciat fidei rudimenta: item legere, & scribe-

Universidad de Navarra Biblioteca

scribere: & de quibus probabilis sit coniectura, quod Clericatum elegerint, non sæcularis iudicij fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præstent. Pro Minoribus, vt linguam Latinã intelligant. Pro Subdiaconatu, & Diaconatu, cognitionem eorum, quæ ad istos Ordines spectant. Pro Sacerdotio tantam scientiam, vt populum docere possit necessaria ad salutem, & administrare Sacramenta. 5. Titulus sustentationis, vt beneficij, vel patrimonij, vel paupertatis, in regularibus. Trid. *s.*21. *c.*2. Vid. Bon. 6. Ordo inter receptionem vnius, & alterius; cuius inversio, v.g. suscipere Diaconatum ante Subdiaconatum, erit mortale; Episcopatus ante Sacerdotium, erit etiam invalidus. 7. Tempus, sic minores conferuntur quâvis Dominicâ, vel festo, & quidem tali, quod ex præcepto Ecclesiæ celebretur etiam in foro, vt Sylv. Azor, Barb. &c. comm. docent. Ac licét Præp. Fag. Tan. Gav. &c. putent sufficere quodvis festum duplex in Ecclesia, eamque sententiam. Dian. *p.*5. *t.*13. *Res.*47. vocet tutam in praxi: eam tamen ex decreto Vrbani VIII. reiectam esse monet, C. Lugo *lib.* 1. *Resp. mor. d.* 43. Eosdem autem posse ex recepta Episcoporum consuetudine, etiam feria sexta, vespere ante Sabbatum, quo omnes Ordines iure conferri possunt, notat Diana *p.*2. *t.*6. *Res.*28. ex Henr. Reg. &c. maiores veró Sabbathis Quatuor temporum, & Dominicæ Passionis, ac Hebdomadæ Sanctæ. 8. Interstitia temporum. Sic maiores nonnisi post annum ab alterius susceptione conferri possunt, ex Trid. *sess.*23. *cap.*11. 13. & 14. in quo tamen Episcopus ob necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiæ, potest dispensare. Eodem tamen die, nonnisi de licentia Papæ, duo Ordines maiores possunt dari: Minores veró omnes, dispensante Episcopo, possunt dari eodem die; & si consuetudo sit, simul cum Subdiaconatu. Navar. *c.*25. Henriq. *l.*10. *c.*11. Vasq. Suar. Sá: V. *Ordo*, Laym. *l.*5. *t.*9. *c.*8. 9. Locus, scilicet pro solemni collatione, Ecclesia; pro privata, Sacellum, 10. Ætas, in quâ ordinarius Episcopus non potest dispensare; & sic pro prima tonsura, & minoribus, requiritur saltem septennium completum, licèt Quintan. *t.*6. *s.*21. contra Sanch. &c. putet sufficere inchoatum. Pro Acolytho, annus 12. completus. Fil. *tr.*9. *cap.*4. *nu.*28. Pro Subdiaconatu, vigesimus secundus; pro Diaconatu, vigesimus tertius; pro Sacerdotio, vigesimus quintus; omnes incepti, pro Episcopatu, trigesimus completus. Vid. Bon. *d.*7. *q.*1. Fil. *tr.* 9. *cap.*4. Lay. *l.*5. *tr.*9. *cap.*6. & 7. Dian. *p.*3. *tr.*4. *Res.* 192. Si autem dubium sit, an quis ætatem requisitam habeat, v. g. pro Sacerdotio, an annum 25. ingressus sit, ordinari non potest. Sanch. Lay. Bard. *d.*6. *c.* 11. *p.*6. §.2. *vid. suprá lib.*1. *tr.*1. *c.*2. *dub.*3. Peccat autem tam ordinans, quàm ordinatus, si ordinetur qui non habet qualitates requisitas.

Quæres. Quæ sint officia ordinatorum?

Resp. 1. Ostiarij est, claves Templi servare, aperire, & claudere eius ianuas; arcere eos quibus non licet interesse sacris, campanas pulsare, quæ intra Ecclesiam sunt custodire, ei qui prædicat aperire librum. 2. Lectoris munus est, legere in Ecclesia lectiones veteris, & novi testamenti: item docere catechumenos rudimenta, fidei Christianæ. 3. Exorcistæ munus est, manus imponere supra vexatos à spiritibus immundis, ad

ad illos adiurãdos, & eijciendos, item ad exorcizandos catechumenos. 4. Acholythi munus est præparare ampullas vini, & aquæ ad sacrificium Missæ, & porrigere Subdiacono, ferre cereos ad idem sacrificium, & illi ministrare, vndè, & cerofrarius dicitur. 5. Subdiaconi munus est, immediatè subordinari Diacono ad sacrificium Missæ, Calicem, & patenam illi tradere, vrceolum cum aqua præbere, aquam ad lavandas manus infundere, Epistolam ex officio, & solemniter in Missa legere. 6. Diaconi munus est, cantare solemniter Evangelium in Missa, ministrare immediatè Sacerdoti in omnibus quæ pertinent ad Missæ sacrificium, vestire Altaria, Crucem ferre, & deniquè ex commissione Sacerdotis prædicare, & baptizare. 7. Presbyteri munus est, offerre sacrificium Missæ, absolvere à peccatis, baptizare, benedictiones aquæ, & similes facere, populum doctrina, & exemplo pascere. *Vid.* Escob. *Ex* 8. *t.* 7. *c.*1.

TRACTATVS VI.

De Matrimonio.

CAPVT I.

De Sponsalibus.

DVBIVM I.

Quid sint sponsalia?

RESp. Sunt promissio voluntaria, deliberata, & mutua, signo sensibili expressa, futuri matrimonij inter personas iure habiles.

Dicitur. 1. *Promissio*: quia propositum non sufficit, cùm non inducat obligationem. Vndè qui diceret, *volo te accipere, habere* aut *ducere in vxorem*, non contraheret sponsalia, vt Bon. *q.*1. *p.* 1. docet ex alijs: quia hæc verba non promissionem, sed propositum promissionis tantùm significant, nisi tamen ex circunstantijs aliud colligatur.

Dicitur. 2. *Voluntaria, & deliberata*, scilicet deliberatione sufficiente ad peccatum mortale, cùm sponsalia sub mortali obligent. Dian. *p.*3. *tr.*4. *Resol.*273. ex Sanch. Pontio, &c. etsi Bon. *q.* 1. *p.* 4. *nu.* 4. plus requirat. Vndé regulariter non sunt valida ante septennium completum, vt docet Con. *dist.* 21. *ar.*5. Sanch. *lib.* 1. *d.* 16. nisi malitia, & prudentia suppleant ætatem. Dian. *p.*3. *tr.*4. *Res.* 274. Pontius, &c. (quod tamen quidam negant sufficere, cùm ius determinarit ætatem) imó nec post septennium, si de vsu rationis sufficienti non constet, vti neque, si vi, dolo, errore, vel ignorantia circa substantiam, aut notabilem conditionem substantialem fiant, secundùm dicta de voto, & contractibus.

Dicitur. 3. *Mutua*; vndé si Titius promittat nuptias Caiæ, & hæc acceptet sine repromissione, neuter obligatur; quia cùm contractus sponsalium sit onerosus, & reciprocus, non potest claudicare; involvit enim conditionem, *si tu repromiseris*. Quod si tamen Titij promissio fuisset absoluta, ac gratuita, & acceptata à Caia, solus Titius obligaretur, non vi sponsalium, sed simplicis promissionis. Ita Sanchez. *lib.* 3. *d.* 3. contra Pontium, apud Dian. *par.* 3. *tr.* 4. *Res.* 244.

Dicitur. 4. *Signo expressa*: quia contractus inter homines non fit nisi signo externo. Vndè non sufficit ad sponsalia taciturnitas Caiæ, etiam cum consensu inter-

Universidad de Deusto Biblioteca

interno in promissionem matrimonij, quod Titius ei promittit. Si tamen pater, vel mater pro filio, aut filia, aut curator, pro eo cuius curam habet, præsente, & non contradicente, (dummodò metus absit) contrahat, valida erunt; quia in hoc casu, ius accipit taciturnitatem, pro expressione consensus. Sanch. *lib.* 1. *d.* 22. Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *Res.* 276. imò etiamsi pro absente: saltem si is resciens id expresse, vel tacitè, signo aliquo sufficienti ratificet. Sanch. Pontius, Dian. *p.* 4. *t.* 4. *Res.* 271. contra quos Sot. & Henriq. ne hoc quidem requirunt, sed tantũ vt resciens non contradicat. Quod Conin. admittit, si per ipsos tutores, vel parentes ijs proponatur; tunc enim si taceant, censeri consentire.

Dicitur 5. *Inter habiles*, idest, quæ & ætatem à iure præscriptam habeant, & nullo impedimento prohibeantur. *Vndè resolves.*

1. Quando verba, vel signa sunt dubia, in foro conscientiæ standum est intentioni contrahentium, si de illa constet: in externo autem communi intelligentiæ, & sensui verborum, ita tamen, vt potiùs inclinetur in favorem matrimonij, Vid. Dian. *p* 3. *t.* 4 *Res.* 205. Bon. *q.* 1. *p.* 1.

2. Verba de præsenti, inter impuberes, apta ad matrimonium, (cùm hoc ex iure positivo sit nullum) habent vim sponsalium. Ratio est ex interpretativa intentione contrahentium: quia actus, quando non valent eo pacto quo fiunt, valent meliore modo quo possunt; sponsalia autem virtute continentur in matrimonio. Laym. *l.c. nu.* 17.

3. Ad sponsalia non sufficit. 1. Si dicas, *non ducam aliam, quàm te*; quia sunt verba merè negantia, & potes ducere nullam. Bon. *q.* 1. *p.* 7. *nu.* 13. 2. Dicere; *contraham tecum, si Papa dispensaverit.* Barbos. & alij 10. cum Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 290. contra Sanch. Con. & Pont. ac proindè licitum est vtrique contrahenti, ante, & post impetratam à Pontifice dispensationem altero invito resilire. Si tamen impensæ magnæ factæ sint, causà dispensationis, eas tenebitur refundere resiliens. 3. Subarrhatio annuli, & missio munerum iocalium, nisi consuetudo patriæ aliud habeat. Ratio est, quia potest fieri ex alijs causis. Quod si tamen verba vnius præcesserint, tunc immissio annuli, & verbum *recipio* operantur sponsalia, vel etiam matrimonium, pro ratione promissionis, vt docet Fil. quia recipiendo sic annulum, tacitè consentit; itemque si habito inter amicos tractatu de matrimonio, sponsus missit arrhas & munera iocalia, eaque sponsa acceptavit. Laym. *l.* 5. *t.* 10 *c.* 2. 4. Sponsalia metu gravi contracta, licèt iuramento firmata, sunt invalida: quia iuramentum metu extortum non firmat contractum, imó probabiliter nec obligat, adeòque relaxatione non indiget. Sanch. Barb. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 278. *suprà l.* 3. *t.* 2. *c.* 2.

DVBIVM II.

Quæ, & quanta sit obligatio Sponsalium?

RESP. 1. Obligant ad ineundum matrimonium, sub peccato mortali: si tamen terminus non sit præfixus, sufficiet, si promitens impleat, quando à promissario requiretur, vel pro more Regionis. Ratio prioris patet ex natura contractus onerosi in re gravi. Ratio posterioris est, quia id, est commune omni debito. Sanch. *lib.* 1. *d.* 28. Con. *disp.* 22. *dub.* 1. apud Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 245. Pontius tamen *ib.* vult obligari statim post contractum. *Vndè resolves.*

1. Resiliens cogi potest ad matrimonium, etiam à Iudice per censuras; quod tamen rarò expedit, ob periculum infœlicis exitus.

2. Si Iudex secundùm allegata, & probata cogat ad matrimonium, licèt à parte rei revera coactio sit iniusta, valet matrimonium. Sanch. & M. Perez, contra Texed. apud Dian. *p.* 9. *t.* 8. *Res.* 26.

3. Fornicatio sponsæ, est circunstantia in confessione exprimenda: quia mutat speciem, & constituit iniustitiam quę in sponsa gravis est, ideòque mortalis habetur, vt si quis rem alteri promissam notabiliter corrumpat: quod tamen sponsus non censetur facere fornicando, cùm in viro fornicatio non tanti æstimetur, nisi aliud accedat. Sanch. *l.* 1. *d.* 2. Con. Fag. Fil. &c. probabiliter, contra Laym. Azor, &c. vid. Lug. *d.* 16. *num.* 176.

4. Qui simulato animo promisit, per se loquendo, non obligatur ad nuptias, tametsi damnum creatum debeat resarcire. Dixi, *per se*: quia si facta promissione puellam induxit ad copulam, tenetur illam ducere. Bon. *l.c. p.* 2. vbi excipit, si puella esset longé inferioris conditionis, (v.g. quoad nobilitatem vel divitias) tunc enim non teneri ducere, (v.g. virum nobilem, filiam agricolæ) præsertim si illa fuerit conscia disparis statûs, seu conditionis, eó quod tunc decipi potiùs voluerit, quàm decepta sit: vndé nec teneri eo casu illam dotare. Secús tamen, si ipsa inæqualitatem status ignoravit, aut si ipse non fictè, sed ex animo matrimonium promiserit. Ita Bon. *q.* 1. *p.* 3. *nu.* 7. *& seq.* ex Vasq. Molin. *d.* 106. Sanch. *l.* 1. *d.* 10. Vid. Less. *l.* 2. *c.* 10. *d.* 3. Lay. *c.* 1. *nu.* 10 & M. Perez, *d.* 2. *s.* 3.

5. Sponsalia posteriora contra priorum fidem inita, tametsi iurata sint, aut copula, etiam accesserit, sunt invalida, Sanch. & Villal. Contrarium tamen tenent Conin. & Pont. cum Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 210. Matrimonium tamen post sponsalia contractum cum altera, est validum, licèt iniustum. Bon. *p.* 5. *&* 7. Lay. *c.* 1. *nu.* 5.

6. Liberi, qui parentibus inscijs contraxerunt sponsalia, etiam cum ijs, qui imparis sunt conditionis, v.g. ignobilis cum nobili, licèt peccarint, tamen obligantur: nec à parentibus possunt impediri, quominùs servent fidem datam. Laym. *l.c. nu.* 12. ex *S.* Th. &c. nisi scandalum magnum ex matrimonio timeretur. Dian. *p.* 9. *t.* 7. *Res.* 71. ex Molin. Sanchez, &c.

7. Resiliens culpabiliter à sponsalibus perdit suas arrhas, & tenetur ad alterius partis reddendas, ac ad restitutionem, quanti eius intererat talem contractum impleri.

Resp. 2. Vbi Tridentinum non est receptum, sponsalia iure antiquo transeunt in matrimonium per quævis signa externa, materiali affectu exhibita, v.g. per copulam. Dico, *vbi Trident. &c.* quia vbi hoc receptum est, hæc signa non tenent, si sint clandestina, ideòque graviter in ijs peccari potest. *Vndè sequens casus resolvitur.*

Sponsis non licent tactus impudici, cùm proximè disponant ad copulam, & pollutionem, etsi liceant amplexus, & oscula in signum amoris. Sanch. *l.* 9. *d.* 47. Vid. Dian. *p* 2. *t.* 17 *Res.* 6. *& t.* 1. *mis. Res.* 31. *& p.* 4. *Res.* 131.

DV-

Universidad de Deusto Biblioteca

DVBIVM III.

Quomodo dissolvantur Sponsalia?

RESp. 1. Dissolvuntur sequentibus casibus. 1. Per matrimonium validum cum aliâ initum. Bon. *p.* 7.

2. Per mutuum consensum, sicut quivis contractus. Lay. *c.* 2. *nu.* 8.

3. Si superveniat impedimentum dirimens matrimonium. Bon. *p.*8. *nu* 5.

4. Per atrox crimen alterius sponsi, solvuntur ex parte innocentis: quale censetur, 1. Fornicatio, sive spiritualis, vt hæresis, sive corporalis, tam sponsi, quàm sponsæ, post sponsalia: & sponsæ etiam ante illa, sed à sponso ignorata, licèt per vim facta Bon. *part.* 8. Imò si sponsa permittat se tangi impudicé ab alio per oscula, & amplexus, potest sponsus resilire à sponsalibus; sed non vice versa: quia etsi sponsus id faciat, non est dedecus sponsę, nec mutatio alicuius momenti. Reg. Sanch. Dian. *p.*3. *t.*4. *R.* 283. Limitat autem Con. & Laym. nisi talia oscula, & tactus sint ita frequentes, vt indicent valdè propensum sponsi animum in alteram, vt meritò timeri possit, ne sponsæ non sit fidem servaturus. Si autem vterque sponsus fornicetur post sponsalia, neutrum posse resilire docent Palaus, & Bon. contra Con. Reg. Sanch. Laym. & Pont. qui soli viro id eo casu permittunt, eò quod delicta sint imparia, & longé gravius damnum immineat ipsi propter incertitudinem prolis. Dian. *l.c. Res.*284. 2. Furtum grave, homicidium, &c. vel simile, quod grave damnum, vel infamiam pariat. Bon. *p.*8. *num.* 12.

5. Si notabilis mutatio accidat, vel detegatur, quę si à principio cognita fuisset, à sponsalibus deterruisset; qualis esset, v.g. 1. Inimicitia, vel odium grave inter sponsos. Quò refertur morum asperitas, vel sævitia, post sponsalia primùm cognita: item iustus timor, ne ex matrimonio scandala, & gravia odia nascantur inter parentes, vel consanguineos. Layman *c.*1. *num.*78. Bonacina. *p* 8. *num* 8. *&c.* 2. Si alteruter incidat in lepram, paralysin, morbum Gallicum, &c. si graviter multiletur, vt amissione oculi, nasi, vel aliter graviter deformetur, præsertim sponsa, vel sponsus reddatur ineptus ad opificium exercendum, vel adquirendum officium, ad sustentationem familiæ necessarium. Dian. *p.*3. *tr.*4. *Res.*85. ex Sanch. *l.*1. *d.*57. Conin. *d.* 23. *dub.*7. Laym. & Bon. *ll. cc.* Non tamen tenetur spontè aperire tales defectus qui reddant nuptias minùs quidem appetibles, non tamen perniciosas, præsertim si aliquam infamiam habeant adiunctam; (v.g. si sponsa vi, vel spontè fuisset corrupta) dummodò tamen contrarium positivè, verbo, factove non simulet; potestque interrogatus licitè dissimulare, & contrahere matrimonium. Si veró defectus sint perniciosi, v.g. morbus contagiosus, gravis infamia, sive personalis, sive generis, aut familiæ, non licet (etiamsi post sponsalia contracta in eos inciderit) contrahere cum eorum ignaro, nisi similes defectus ipse patiatur. Con. Pont. Dian. *p.* 5. *t.*4. *Res.* 28. vbi ex Conin. & Sanch. contra Pont. Nav. &c. infert, sponsam post sponsalia corruptam, posse sponsum, defectûs istius occulti ignarum, cogere ad standum sponsalibus, & contrahendum matrimonium. 3. Si magna alterius debita detegantur, vel grave sit periculum fortunarum, famæ, morbi, paupertatis, &c. vel

vel sponsa dotem promissam afferre nequeat, vel deniquè si sponsus incipiat vagari cum incommodo sponsæ Bon. *l.c.* Quòd si defectu sponsę detecto, dubitet sponsus, an si eum ab initio cognovisset, contracturus fuisset, tunc si defectus ille censeatur gravis, ac notabilis, præsumetur pro sponso, cui liberum erit resilire. Sanch. Bon. Tancred. *t.*1. *l.*1. *d.*65. secùs, si defectus sit levis. Bard. *l.*6. *cap.*11. *part.*7.

6. Si alter sine alterius licentiâ proficiscatur in terram longinquam: quia censetur renunciare suo iuri. Laym. *l.c.* Bon. *part.*6.

7. Si sint inita cum conditione, certo tempore contrahendi matrimonium, liberatur obligatione is, per quem non sterit, quominús sit contractum. Lay. *num.*16.

8. Solvuntur, licèt sint iurata, per susceptionem ordinis sacri, vel ingressum alterius in religionem, aut votum eam ingrediendi. Lay. *l.c.* Bon. *part.* 5. Nec obstat, si hic posteà ad sæculum redeat, vt docet Sanch. *l.*1. *d.*24. licèt Præpositus, Fil. & alij putent, talem ex parte sua prioribus sponsalibus teneri, vtì etiam ad damna resarcienda sponsæ, si quæ passa esset. Vndè non posset ingredi religionem, si sponsam defloraſſet, nec aliter, quàm per matrimonium posset resarcire damnum. Vide Dian. *p.*3. *tr.*4. *Res.*207. Bon. *l.c.*

9. Probabile est, solvi etiam per votum simplex castitatis, vt docent Suar. Azor, alijque, cùm hoc sit de meliore bono; etsi contrarium doceant Fil. Sanch. Conin. & alij: eó quod Deus non acceptet promissionem rei alteri promissæ, & in alterius præiudicium. Vndè etiam in foro externo talis solet compelli, vt vel fidem servet, vel intret religionem. Interim post tale votum alteri parti datur ius sponsalia solvendi, eò quod vovens resilierit, & censeatur iuri suo renunciasse. Vid. Bon. *p.*5. *nu.*13.

10. Per matrimonium validum dissolvitur, saltem quoad eum, qui non contraxit matrimonium; quoad eum verò qui contraxit, non extingui obligationem; si alter expectet, sed suspendi, & matrimonio isto soluto, teneri ad implenda priora sponsalia, docet Pont. contra Sanc. qui vult omninò dissolvi. Vide Dian. *p.*3. *t.*4. *Res.*209.

11. Si sponso nova superveniat hæreditas, ita vt illi sponsa iam sit inæqualis, non habet ideò ius resiliendi: quia non est deceptus in conditione sponsæ, in qua nulla facta est mutatio. Idem est de sponsa, si ipsi hæreditas nova superveniat. Sanch. Conin. Reginal. Dian. *p.* 3. *t.*4. *Res.*286.

Resp. 2. In supradictis causis, quando manifestæ sunt, non requiritur authoritas Iudicis ad dissolvenda sponsalia, alioqui requiritur. Quod si sponsus cognito suo iure resiliendi, nihilominùs carnaliter cognovit sponsam, censetur tacitè suo iuri renuntiasse, & sponsalia ratificasse. Laym. *c.*1. *nu.*23.

CAPVT II.

De Matrimonio secundùm se.

DVBIVM I.

Quid sit, quæ eius materia, forma, & minister?

RESp. Est Sacramentum inter baptizatos, quo vir, & mulier sibi mutuò legitimè corpora sua tradunt, ad perpetuam vitæ societatem, vsum prolis suscipien-

cipiendæ, & remedium concupiscentiæ. Materia ex qua, & proxima, est mutuus cõsensus, externis signis expressus, quatenùs habet rationẽ traditionis. Forma autem, est idem consensus, quatenùs habet rationem acceptationis. Suar. *t.3 d. 2. s. 1. n.11.* Sanch. Vasq. Minister non est Sacerdos, sed ipsi contrahentes, quia hi ponunt materiam, & formam. Porró matrimonium dicitur ratum, quando contractus est factus, etsi non sit secuta copula carnalis. Consummatum veró dicitur, quando ea secuta est. *Vndè resolves.*

1. Validé, & licité contrahi potest cum pacto continentiæ, sine intentione prolis, & remedij concupiscentiæ. Ratio est, quia non pugnat cum essentia matrimonij. Et patet exemplo B. Virginis, & S. Ioseph.

2. Non videtur licitum, contrahere tantùm propter voluptatem carnis, vel vanitatem; quia finis debet saltem esse honestus. Navarr. *cap.21.nu.7.* Sanch. *l.2. d.29. quæst.3.*

3. Licitè contrahitur in remedium concupiscentiæ, (nihil aliud intendendo) modò proles positivè non impediatur: hoc enim sub mortali non licet. Con. *dub.25. d.2.nu.16.* Pontius *l.1.c.21.* Hurt. *d.4.* Perez *d.18. s.7. nu.6.* ex 1. *Corinth. 7.* Hinc etiam coniuges possunt abstinere ab vsu coniugij, & optare, ne plures accipiant liberos, quàm possint alere, dummodò, vt dixi, positivè non impediant, nec abortum procurent. Perez *l. c.* Bon. *q.4. p.1. nu.12.* Nav. *cap.16. &c.*

4. Licité etiam contrahitur ob fines honestos, extrinsecos fini intrinseco Sacramenti (qui est mutua animorum coniunctio, & coniugum sanctificatio) non contrarios, v.g. ad pacem inter Regna, vel illustres familias componendam, vel splendorem familiæ conservandum. Ita contra Sanch. & Sylv. docent Præp. Pont. Gaspar. Hurt. Dian. *p. 3. t.4. Res.219.* M. Perez *disp.18. lib.7. nu.7.* vbi cum Dian. *l.c.* etiam permittit ob divitias, & nobilitatem.

5. Validè, sed illicitè contrahitur cum intentione negandi debitum, vitandi prolem, vel etiam non educandi, mœchandi, &c. nisi tamen talis intentio in pactum deducatur; idest, nisi adijciatur tanquam conditio obligans ad aliquid contrarium essentiæ matrimonij. Vndè invalidé contrahit, qui vinculum matrimonij vult tantùm durare per annum, vel reservat sibi potestatem adulterandi, vel non reddendi debitum debitè exigenti. V. Perez, *s.6. &c. ll.cc.*

6. Contrahentes, vt non peccent, debent esse in gratia, etiam tunc, quando per Procuratorem contrahunt: quia verum Sacramentum suscipiunt, licèt dormiant. Secùs est de Procuratore, per quem contrahunt. Vti, & de Sacerdote copulante: quia nec suscipit, nec administrat Sacramentum, sed tantùm vt testis assistit. Cardin. de Lugo *de Sacr. d. 8. s.9. num.155.*

7. Coniux habet potestatem in alterius corpus, sed non ad exercendam libidinem, generationi adversantem.

8. Requiritur consensus de præsenti, verbo, scripto, aut nutibus expressus: sufficit tamen. 1. Exprimere per alium, vt si parentes pro filijs contrahant his tacentibus. Vide Dian. *p.3. t.4. Res.272.* Sufficit etiam. 2. Si alterius consensui præcedenti, & non revocato, alterius accedat. Vndè si quis coram Parocho non verè consenserit, satisfacit consentiendo posteà. Vid. Dian. *l.c. Res.292.*

Queres

Quæres. An sufficiat consensus conditionatus?

Resp. 1. Sufficit conditionatus, sub conditione de præterito, vel præsenti, stante conditione; qua tunc contractus non suspenditur.

Resp.2. Sufficit sub conditione necessariâ de futuro, dummodó contrahentes non intendant suspendere tantisper consensum, v.g. *duco te, si cras Sol oriatur.* Item sub conditione de futuro impossibili, v.g. *Si Cœlum tetigeris*; vel de futuro turpi, modó non repugnet substantiæ matrimonij, & consensus sit absolutus, v.g. *Si patrem occideris.* Ratio est, quia tales conditiones habentur pro non adiectis. Sanch. *l. 5. d. 15.* Mol. Filliuc. Less. *l.2. c.10. d.15.* Layman. Bonacina.

Resp.3. Non sufficit sub conditione de futuro, quæ sit contra substantiam obligationis matrimonialis, v.g. si prolis generationem impedire velis maleficio, vel victum comparare adulterio. Patet *ex C. fin. de condit. vid.* Sanch. *l.5. d. 10.* Con. *d.29. dub.3.* Fil. &c.

Resp. 4. Consensus sub conditione honesta de futuro, est contractus sponsalium tantùm, & non matrimonij, quia hic debet esse de præsenti. Ob quam rationem non incipiet validari matrimonium sine novo consensu, postquam conditio impleta fuerit, vt docet D. Thom. cum alijs apud Sanch. etsi Fil. Laym. & alij quidam, putent contrarium esse probabile, eó quód contractus celebratus sub conditione honesta futura, hac impleta, purificetur. Quod concedit Bonac. *q.2. p.10. num. 20.* si contrahentes in eodem consensu manserint, saltem virtualiter.

DVBIVM II.

De vsu Matrimonij.

ARTICVLVS I.

An vsus Matrimonij, sive actus coniugalis sit licitus?

Resp. Per se est licitus; & honestus. Quod est de fide, & patet ex 1. *Corinth. 2. Vxori vir debitum reddat.* Per accidens est illicitus in sequentibus casibus.

1. Si matrimonium à parte rei sit nullum: quod tamen si vterque ignorat, non peccat, nisi materialiter. Si vterque, vel alter id certò sciat, non potest, quocunque etiam periculo proposito, vti matrimonio: Vndè si non potest sine periculo vitæ, aut famæ, detegere impedimentum, nec sperare dispensationem, debet vel ingredi religionem (si nondum consummavit) vel fugere, vel petere divortium, ob coniugis sævitiam, v.g. vel adulterium, si tale sit; vel certè omnia incommoda pariter sustinere. Bonac. *q.8. p. 8. num. 16.*

2. Si matrimonium sit dubium. Et quidem si alter tantùm dubitet, is non potest petere debitum: reddere tamen tenetur, cùm alter habeat ius petendi. Si vterque dubiâ fide contraxit, vel dubitat de eius valore, neutri petere, aut reddere licet ante veritatis indagationem. Vasq. Sanch. Dian. Bard. *d. 6. c. 11. p.7. §. 3.* Secùs post eam. Bon. *q. 4. p.4. vid. suprà l.1. t. c.2. d.3.*

3. Si fiat cum gravi periculo vitæ, aut sanitatis. Nisi tamen sit causa gravis; cui damnum corporale videatur postponendum; v.g. periculum incontinen-

tinentiæ in se, vel comparte. Bon. *p.6. nu.8.* M. Perez *d.50. s.4. nu.5.*

4. Si fiat pravo fine, v.g. tantùm voluptatis causâ. Quod tamen DD. cõmuniter, vt Sanch. *l.9.d.11.* Bon. *q.4.p. 6.* censent esse tantùm veniale, contra Pontium, qui vult esse nullum: verum damnatum est ab Innocentio XI. proposit. 9. Opus conjugij absolam voluptatem exercitum omni penitus carere culpa, & defectu veniali. Videatur. Cassianus, à S. Elia. Puente Hurtado. Nullum autem erit, si delectatio non quæsita sentiatur, vel ad eam se excitent, quando copula debita redditur. Sanch. *l.9.d. 11.&c.* vide etiam Dian. *p.3. t.4. R.216.* Bon. *p. 6.* M. Perez. *d. 49. s. 2. nu. 6.*

5. Si exerceatur mente adultera, vt si dum accedit ad suam, imaginetur aliam, vt animum pascat, quod est mortale. Sanch. Bon. *p. 6. num. 7.*

6. Si fiat modo indebito, v.g. 1. Si non servetur vas naturale: quod multi docent esse veram sodomiam, alij esse grave peccatum contra naturam. *Vide 6. præcept.* 2. Si sine iusta causa situs sit innaturalis, præposterus, &c. quod aliqui dicunt esse mortale, alij, secluso periculo effusionis seminis, veniale tantùm, etsi grave, & graviter increpandum. Dian. *p. 3. t.4. Res.204.* 3. Si alter coniugum ex morositate, vel alia ratione seminationem cohibeat; quod quidam generatim dicunt esse mortale, quia finis actus coniugalis, scilicet generatio, impeditur: quidam tamen, vt Præp. & Sanch. dicunt, in fœmina nullum esse. Vid. Bon. *p. 6. nu.15. & part. 1.*

7. Si loco indebito, v.g. sacro, qui indè violetur, vel in loco publico.

8. Si absque vrgente causa fiat tempore indebito. 1. In magna solemnitate vt Paschæ, vel pridiè Communionis. Vide Perez. *d. 49. s. 3.* 2. Quando vxor est gravida, saltem si sit periculum abortus Nav. Sylv. Sanch. Con. Fil. *num. 337.* Hoc enim si non sit non erit saltem mortale: quod enim tunc fine suo frustretur semen, non sequitur per se ex actu. Vndè Dian. *p. 3. tr. 4. Res. 204.* & Con. *d. 34. dub. 9.* nullum peccatum agnoscunt. 3. Quando vxor laborat fluxu menstruo. Quod tamen non esse mortale, contra Azor, docet Sanch. *l.9.d.21. num.2.* Imó aliqui apud Dian. *l.c.* vt Pontius *lib.10. cap. 11. & cap. 14. num. 5. & 6.* docent, nec veniale esse, si periculum vrgeat, quod Sanch. *l.c.* docet esse probabile, additque M. Perez, si ob finem honestum fiat, nullum esse, & teneri reddere debitum vxorem, si maritus exigat. Vid. *d. 49. sect. 3.*

Ex dictis casibus consequenter resolvitur, licitum esse vti matrimonio. 1. Prolis causâ, etsi hæc non necessariò debeat intendi, dum exercetur; dummodó positivè non impediatur; imò etiam aliquando simplici affectu licitè excludatur, v.g. à paupere, ne nimiùm prolibus gravetur. 2. Ad vitandum periculum incontinentiæ in se, vel comparte. Mart. Perez. *d. 40. sect. 2.* ex Con. Pont. Hurt. &c. contra Sanch. qui vult esse veniale, nisi tamen stimuli carnis aliter sedari non possint. 3. Valetudinis causâ, vel propter alios fines extrinsecos: quia honestum ex natura sua, & relatum ad vnum finem, licitè refertur ad alium isti non repugnantem, vt docent Sà, Con. Laym. *l. 5. t. 10. c. 4.* Mart. Perez. *d 49. sect. 2. num. 4.* vide Dian. *p. 2. t. 4. Res. 218.* Solius tamen sanitatis causa vti, probabile est esse veniale, vt docet S. Thom. Henriq. Lay. *l.c.* contra M. Perez, &c. *l.c.*

Que-

Quæres. An, & quando liceant tactus, aspectus, & verba turpia inter coniuges?

Resp. Tales actus per se ijs licent: quia cui licitus est finis, etiam licent media, & cui licet consummatio, etiam licet inchoatio. Vndé licitè talibus naturam excitant ad copulam, quod si verò separatim, & sine ordine ad copulam, verbi gratia, voluptatis causa tantùm fiant, sunt venialia peccata, eó quod ratione statûs, qui illos actus cohonestat, habeant ius ad illos. Nisi tamen, vt sæpè contingit, sint coniuncti cum periculo pollutionis, aut coniuges habeant votum castitatis; tunc enim sunt mortalia, vt dictum est suprà *l. 3. t. 4. c. 2. d. 4.* Dian. *p. 3. t. 4. Res. 204. & 216. Vndè resolves.*

1. Coniux venialiter tantùm peccat. 1. Tangendo seipsum ex voluptate, & tactum non ita expresè referendo ad copulam, vt contra Vasq, & alios probabiliter docet Sanchez. *l. 9. d. 41.* 2. Oblectando se venereè, sine periculo pollutionis, de actu coniugali cogitato dum abest compars, vel actu exerceri non potest. Fil. Laym. Tann. Mald. cum Dian. *p. 3. t. 4. Res. 224.* contra. Navar. Azor, &c.

2. Peccat graviter. 1. Vidua, quæ se venereè oblectat de copula olim habita, quia est illi illicita per statum. 2. Bigamus, qui in actu coniugali cum secundâ exercito, repræsentat sibi priorem, & de ea carnaliter delectatur; quia est permixtio cum aliena. Laym. *l.1. t.9. c.6. vide suprà l.3. t 4. c.2. & l. 5. c. 1. dub.2. ar.2.*

(***)

ARTICVLVS II.

An actus coniugalis sit præceptus, & debitus?

Resp. 1. Etsi coniuges nullâ lege obligentur ad vsum matrimonij, tenentur tamen per se ex iustitiâ sibi reddere debitum, si alter ab altero expressè, vel tacitè (verecundiâ scilicet obstante) petat. Ratio prioris est, quia non tenentur vti suo iure. Ratio posterioris sequitur ex natura contractûs mutui. S. Tho. *in 4. d 32. q.1. ar. 2. &c.* communiter *ex t. Cor. 7. Vndè resolves.*

1. Neuter tenetur, per se loquendo ad petendum debitum, etsi per accidens aliquando teneatur, vel ex charitate, v.g. ad avertendum periculum incontinentiæ imminens coniugi. Mart. Perez. *d. 50. s. 2. nu. 4. & 5.* vel ex iustitiâ legali, eò quod salus publica periclitetur, nisi proles nascatur.

2. Coniuges tenentur ad cohabitationem, nec potest alter ab altero invito diutiùs abesse, sine necessitate; quia hæc obligatio sequitur ex obligatione reddendi debitum. Sanchez *l. 9. d. 4.* Conin. *d. 34. d. 2. num. 19.* Perez, *d. 50. s. 3.*

3. Peccat mortaliter, qui coniugi serió, & instanter petenti debitum negat; quia est res gravis, & debetur ex iustitia: intellige, nisi petens, precibus, aut alia ratione honesta, averti possit, & petitio non sit immoderata, (nam si sæpè petẽti semel verbis negetur, citra periculum incontinentiæ, videtur esse tantùm veniale, ob levitatem materiæ: & aliquando, si nimis immoderatè, & iusto sæpiùs petat, nullum, secundùm Pe-

rez.

rez *d.* 50. *f.* 4.) nec sit alia iusta causa negandi. Bon. *q.* 4. *p.* 1. ex Sanch. Fil. &c. Iustam autem (secluso periculo incontinentiæ vtriusque) esse censet Mart. Perez *l. c. nu.* 6. si plures nascantur filij, quàm possint alere.

4. Peccat graviter vir, vel mulier, si se impotentem reddat, etiam medijs aliàs licitis, v.g. ieiunijs, &c. invitâ comparte. Imò si aliter non possit reddere debitum, licitè non observat ieiunia Ecclesiæ; sicut & vxor, si notabiliter ijs fiat deformior; Bon. *l.c.* Sanch. *l.* 9. *d.* 3. *nu.* 11. Reg. Con. Fil. *num.* 306. *&c.* Perez *d.* 50. *f.* 2.

5. Coniux tenetur reddere debitum, quamvis illicitè petenti, si redditio hìc, & nunc non sit illicita, v.g. petenti voluptatis causâ, vel ligato castitatis voto, vel die festo, &c. Vide Sanchez *lib.* 9. *d.* 6. Pont. *lib.* 9. *c.* 3. Conin. *d.* 34. *dub.* 6. Perez *d.* 50. *f.* 5. Quia malitia alterius non dat illi ius negandi quod suum est. Non tamen tenetur reddere petenti, sine gravi causa, modo innaturali, vel in loco publico, vel sacro, &c.

6. Non tenetur reddere. 1. Si alter alteri debitum remiserit, v.g. si consensu mutuo, voverint castitatem, vel auctoritate publicâ celebrarint divortium 2. Si petens sit amens; quia talis non est capax vsus dominij, nec petit cum ratione, & humano modo. Quod etiam valet in ebrio. Simpliciter tamen vti petere, ita & reddere licet, tam ebrio, quam amenti; nisi esset periculum fœtus eneandi Navar. *c.* 16. Sylv. Laym. *cap.* 1. *nu.* 9. 3. Si alter mœchatus sit; quia *frangenti fidem, fides fragitur eidem*: nisi tamen ipse quoque sit adulter, vel causa adulterij.

7. Etsi is, qui matrimonio contracto, sciens prudens voluntariè cognovit consanguineam vxoris, in primo, vel secundo gradu, non possit petere debitum, tenetur tamen reddere. Idem est de eo, qui inscia comparte vovit castitatem, post matrimonium consummatum. Si tamen antè vovisset, videtur obligari ad ingressum religionis, saltem primo bimestri: (nisi tamen matrimonium consummaverit) imò etiam post, si vxor consentiat, de quo plura vid. apud Laym. *c.* 11. *nu.* 10.

Resp. 2. Coniux non tenetur reddere debitum, si indè grave damnum, vel periculum sibi, vel proli meritò timeat. Perez *d.* 50. *f.* 4. Vndé non tenetur sequentibus casibus.

1. Si illud petat maritus morbo contagioso laborans, v.g. Gallico, peste, lepra, &c. (nisi tamen hæc ante matrimonium cognoverit, & non sit nimis gravis.) Bon. *q.* 4. *p.* 1. *num.* 8. Perez *d.* 50. Sanch. *l.* 9. *d.* 14. Lay. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *cap.* 1.

2. Si petat ab vxore laborante febri, vel alio morbo, cui copula noceret. Bon. *q.* 4. *p.* 1. *nu.* 4. ex Sanch. &c. Item Perez. *l. c.* ait, vt quidam volunt tempore menstrui. Bon. *q.* 4. *p.* 3. *num.* 11. *& p.* 6. *num.* 10. contra Sanch. Hurt. Perez *d.* 49. *f.* 3. aut cùm vxor est gravida, & ex redditione periculum mortis (vel etiam abortûs) probabile timetur proli iam conceptę. Imò tunc nec petere, nec reddere licitum est, vt per se patet, ait Laym. *c.* 1. *nu.* 7. & esse mortale dicit Perez *d.* 49. *f.* 3. (addens ex Sanch. Con. & Hurt. cessante periculo prolis, vsum matrimonij licitum esse) aut si non possit vxor edere fœtum, nisi mortuum. Bon. *d.* 4. *p.* 1. *& 2. nu.* 14. (Laym. tamen

tamen *c.* 7. *nu.* 7. dicit eo casu licere reddere, imó, & petere: quod Bon. *l.c.* concedit, si fiat ob periculum incontinentiæ) aut non possit edere nisi cum præsenti periculo vitæ, Bon. *l. c. nu.* 7. Lay. *l.c. nu.* 6. Quod tamen ad vitandam incontinentiam, aut alia gravi ex causa, eam posse permittere, & debitum reddere, insinuat. Laym. *l.c* ex Sanch. *lib.* 7. *d.* 102. *num.* 11. Deniqué propter grave periculum morbi (non tamen propter ordinarios dolores partûs) potest coniux negare debitum, etiamsi in altero esset periculum in continentiæ. Sanch. Præp. Palaus, Dian. *p.* 6. *t.* 7. *Res.* 64. *& p.* 9. *t.* 7. *Res.* 4.

3. Si alter debitum exigat innaturali modo; nisi tamen ex negatione timeantur graviora mala, v.g. rixæ, odium, incontinentia.

Quæres. An aliquando liceat impedire prolis generationem?

Resp. Possunt quidem coniuges ex gravi causa aliquid facere, ex quo per accidens sequatur effusio seminis: peccant tamen, si in vsu matrimonij, vel post vsum faciant aliquid, quo impediatur conceptio, aut semen conceptum rejiciatur. Ratio prioris est, quia non impeditur generatio, ne quidem indirectè, sed tantùm permittitur vt non fiat, quod licet, ex causa rationabili. Ratio posterioris est, quia agunt contra fidem, & finem principalem matrimonij. Vndè tales non excusat paupertas imminens, aut periculum ex partu. *Vndè resolves.*

1. Licitè interrumpitur actus coniugalis, etsi ex natura concitatione secutura sit pollutio, dummodó sit iusta causa interrumpendi; v.g. si ex continuatione immineat periculum morbi, vel mortis ab hoste, vel aliquis alius interveniat. Vide Perez *d.* 49. *f.* 9.

2. Peccat probabiliter fœmina, quæ in vsu matrimonij animum aliò distrahit, ne natura excitetur, venialiter tamen, vt Perez *l.c. n.* 7. docent ex Sanch.

DVBIVM III.

An, & quibus ex causis possit fieri divortium?

Resp. 1. Etsi Matrimonium inter Christianos ex se sit indisolubile quoad vinculum; (Vide Sanch. & Perez, *d.* 20. *f.* 9. *& d.* 55. *f.* 4.) solvitur tamen quoad illud sequentibus casibus.

1. Si alter coniux moriatur: De quo si certum est, rursùs nubere potest: quód si interim alter mortuus non sit, fama tamen, & indicia sufficientia habeantur, excusatur nubens, neque ex dubio superveniente, an prior vivat, debent separari, cùm forté non vivat; ideòque matrimonium sit validum.

2. Si ex coniugibus infidelibus, altero ad fidem converso, alter maneat infidelis (saltem nisi pacificè cohabitare velit, sine contumelia Creatoris:) idque ex dispensatione divina, in favorem fidei vt patet ex 1. *Cor.* 7. 15. Perez *d.* 29. *f.* 4. *&c.* commun.

3. Si ante matrimonij consummationem (ad quam intra primum bimestre, quod ad deliberationem datur, non tenentur, nec cogi possunt sine iniuria) alter intret religionem, in eâque profiteatur. Perez, *loc. cit.* &c communiter.

4. Si Papa ex alia iusta causa dispenser

Universidad de Deusto Biblioteca

penset ante consummationem, sicuti eum posse probabilior sententia affirmat. Nav. Bell. Perez *d.* 20. *s.* 7.

Resp. 2. Manente vinculo matrimonij, licitè fit divortiũ, & separatio quoad thorum, & cohabitationem, ad tempus, vel in perpetuum, ob gravem, & iustam causam qualis est.

1. Alterius coniugis culpabile adulterium: (per quod hic etiam intelligitur omnis species luxuriæ, in qua caro cum aliâ dividitur, qualis est bestialitas, sodomia, etiam intra eundem sexum. Bon. *q.* 4. *p.* 5. *num.* 2. contra Fill. Sanch. Perez. *d.* 56. *s.* 1. *ex Matth.* 5. *ex Cap. Gaudemus*, *C. ex litteris*, non tamen mollities, vel pollutio, oscula, tactus, vel amplexus impudici. Bon. Sanchez Perez *ll. cc.* licèt propter similia ad tempus possit aliquando fieri separatio, vt nocens emendetur,) tunc enim innocens religionem ingredi, aut sacros etiam Ordines suscipere potest, nocens verò non, nisi cum innocentis consensu. Excipitur tamen ab hoc casu. 1. Si vterque coniux particeps sit eiusdem criminis. Sanc. *l.* 10. *d.* 6. Bon. *l.c.* 2. Si innocens alteri condonarit. Quod aliqui eum fecisse cẽsent, si eam post adulterium intellectum rursùs cognoverit. Bon. ex Con. Henr. Fil. Perez. *s.* 3. vbi vide plures casus exceptos.

2. Sævitia mariti, vel vxoris. Ex qua si grave periculum comparti imminet, potest separatio peti à Iudice; imò si mortem minetur, vel venenum paret, potest divertere ante Iudicis consensum Vide. Bonacina. *loc. cit.* Laym. Perez *sect.* 5.

3. Si coniux compartem trahat in peccatum, v.g. sollicitet ad hæresim, veneficium, &c. tunc enim innocens potest se separare, imò tenetur, si periculum sit grave. Laym. *l.* 5. *t.* 10. *p.* 3. *c.* 7. *num.* 16.

4. Morbus contagiosus, v.g. lepra. Quod si tamen sine gravi detrimento possit cohabitare, ad id tenetur, aut saltem ad habitare, & ministrare, nisi alter remittat.

5. Hæresis, vel Apostosia, superveniens matrimonio. Quo casu, si separatio facta sit iudicio Ecclesiæ, non tenetur coniugem conversum recipere, saltem ex iustitia: nam ex charitate aliquando tenetur, vt si sit periculum incontinentiæ. Bonacina Laym. *loc. cit.* Perez *d.* 57. *s.* 1.

6. Mutuus consensus. Ex quo licitè se separant, vel thoro, sive ad tempus, sive in perpetuum, ob finem spiritualem, vel etiam habitatione. Quod tamen non solet permitti, nisi vterque ingrediatur religionem, vel vxore ad religionem transeunte; (aut si vetula sit, idest sexagenaria, Azor, &c. vel saltem quinquagenaria Sanch. Bon. Barb. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 74. manente in sæculo, in voto continentiæ) maritus suscipiat sacros Ordines. Porró apud quem, & cuius expensis, facto divortio liberi sint educandi: Vide Layman. *hic l. c.* & Sanchez. Vide Perez *d.* 58. & 59. Bon. *q.* 3. *p.* 5. *num.* 11.

Quæres. An vxor teneatur sequi virum ad cohabitationem.

Resp. Teneri, quia vir est caput familiæ, & vxoris. *Excipiuntur tamen sequentes casus:*

1. Si ex sequela timeatur grave onus, vel periculum, v.g. vitæ, pudicitiæ, vel salutis; vel vxor à viro peregrè non alatur.

2. Si vir post matrimonium factus sit vagus, nec facile sit sequi; secùs tamen, si antè fuit vagus, idque ipsa scivit.

3. Si in contractu matrimonij additum fuit pactum de non mutando domicilio, & nulla gravis necessitas vrgeat.

CAPVT III.

De impedimentis matrimonij.

DVplicis generis sunt impedimenta: quædam illicitum tantùm, alia insuper irritum matrimonium reddunt. Priora dicuntur impedientia, posteriora dirimentia.

DVBIVM I.

Quæ sint impedimenta impedientia tantùm?

REsp. Præter peccatum mortale, & excommunicationem, sex potissimum reddunt matrimonium mortaliter illicitum, scilicet.

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque cathechismus, crimen, sponsalia, votum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Dicitur 1. *Vetitum*, id est, prohibitio Ecclesiæ, quæ fit ab Episcopo, vel Parocho, ob dubium impedimenti alicuius, vel inhabilitatis inter copulandos Vide Bon. *q.* 1. *p.* 14. *n.* 1.

Dicitur 2. *Tempus feriatum*, quod secundùm Trident. *sess.* 24. *c.* 10. *de reform.* incipit nunc ab Adventu Domini vsque ad Epiphaniam inclusivè, & à die Cinerum vsque ad octavam Paschę inclusivè. Quo tempore non prohibetur ipse contractus, aut eius consummatio, sed tantùm nuptiarum solemnitates, vt est benedictio nuptiarum, solemnis sponsæ in domum sponsi traductio, solemniora convivia, & tripudia, &c. Neque Trid. *sess.* 24. *c.* 1. prohibet matrimonium consummari ante benedictionem, sed tantùm hortatur, ne fiat: Vide Bon. *loc. c.* Sanch. *l.* 7. *d.* 7. Con. *d.* 30. Fil. *t.* 10. *p.* 2. *c.* 9. M. Perez *d.* 43. *s.* 10. *n.* 7.

Dicitur 3. *Cathechismus.* Quod impedimentum contrahitur ab eo, qui respondet pro infante, quando supplentur cæremoniæ post baptismum collatum in necessitate: sed videtur sublatum per Trid. secundùm Sanchez, Fagund. Conin. Fil. &c. qui ideó monent Parochos, vt in libro distinguant Patrinos Cathechismi, à patrinis Baptismi. Vide. Bon. *loc. cit.*

Dicitur 4. *Crimen*, vt 1. Incestus cum consanguinea coniugis in primo, vel secundo gradu, scienter admissus, (qui impedit matrimonium cum quacumque alia persona. Vide Perez *d.* 23. *s.* 5.) vel cum propria matre, vel filia. 2. Raptus alienæ sponsæ. 3. Vxoricidium. 4. Presbytericidium. 5. Susceptio propriæ prolis ex Baptismo, ad impediendam redditionem debiti. 6. Publica pœnitentia, quandiù durat. 7. Matrimonium cum Moniali. Verùm hæc per non vsum sunt sublata, vt Laym. *hic c.* 15. ex Nav. Sanch. *l.* 7. *d.* 17. Con. *d.* 30. *dub.* 3.

Dicitur 3. *Sponsalia*, scilicet cum aliâ contracta, & non dissoluta Conin. *d.* 30. *dub.* 3. Sanchez Fil. Bonac. *l. c. n.* 5.

Dicitur 6. *Votum*, scilicet simplex, sive castitatis, sive religionis, sive non nubendi. Vid. Sanch. *l.* 7. *d.* 13. Reg. *l.* 31. *c.* 24. *nu* 184. Bon. *l.c. nu.* 7.

Dixi, in responsione, *potissimùm*: quia præter suprà dicta, alia tria impedimenta numerantur.

Primum, est clandestinitas, etsi enim valeat

valeat matrimonium clandestinè contractum, vbi Tridentinum non est receptum, non licet tamen sub mortali. Vbi autem Tridentinum est receptum, saltem quoad punctum matrimonij, est irritum, de quo sequenti dubio.

Secundum, omissio benedictionis; quia sine hac, etsi validè, illicitè tamen contrahitur matrimonium, saltem primum, vt *ex C. Nostrates, & C. Sponsus q.5.* docent Bon. *q.4. p.6. nu.2.* Sanchez *l.7. d.82.* Sà, Henriq. Fil. &c. qui tamen concedunt non esse mortale; intellige, per se loquendo; nam per accidens, ratione præcepti particularis, scandali, vel contemptûs (vt si omittant, nihili faciendo, acsi esset res vana, vel vile, ac puerile haberent ei se subijcere) docet Perez *d.43. s.10. nu.4.* posse esse mortale. Dixi, *primum*: nam secundæ nuptiæ non benedicuntur, nisi primæ non fuissent benedictæ. Quod si autem alter coniugum sit viduus, alter verò primas nuptias celebret, aut saltem nunquam fuerit benedictus: etsi iure antiquo non licuerit; nunc tamen quibusdam locis consuetudo habet, vt benedicantur, vt vide Bon. *l.c.* Et patet ex Agendâ. Debet autem fieri in Templo à proprio Parocho, sine cuius licentia, si quis faciat, manet ipso facto suspensus, donec absolvatur ab Ordinario Parochi, à quo benedictio erat accipienda.

Tertium, si contrahatur matrimonium sine prævijs proclamationibus: sine quibus etsi valeat, non licet tamen sub mortali, vt habet communis, (quanquam Sanch. *l.3. d.5. nu.7.* & Gasp. Hurt. *d.5. num. 59.* putent, non esse mortale vnam omittere, quando certum est moraliter, nullum subesse impedimentum. Sed contrarium docet Perez *d. 42. s. 1. num.7.* ex Con. & Pontio.) nisi Episcopus, vel eius Vicarius dispenset, vt patet ex Trid. *s.24. c.1.* quod circa eas præcipit sequentia. 1. Vt fiant in Ecclesia, inter Missarum solemnia. Possunt tamen etiam fieri in Oratorio, vel iuxta Ecclesiam, aliove loco, confluente magno populo. 2. Vt fiant à proprio Parocho, vel alio Sacerdote de eius licentia. 3. Vt fiant in Parochia propria, & quidem vtriusque contrahentis, vtì declaravit Congregatio. 4. Vt fiant tribus diebus festivis, non immediatis, continuis tamen, idest, qui feriatis quidem diebus, nullo tamen festo, interpolentur. Vide Bon. *q.2. p.6. Vndè resolves.*

1. Licet statim post vltimam proclamationem contrahere, etiam eâdem die: non licet autem differre vltra 4. menses, intra quos si non contrahant, repetendas esse denunciationes, declaravit Congregatio *in sess.24. c.1. de reform.* Imò Rituale Romanum duos tantùm menses permittit, intra quos si non contrahatur, iubet repetere denunciationes, nisi videatur aliud Episcopo.

2. Post proclamationes, tenetur sub mortali, qui novit impedimentum, illicò denunciare quantumvis secretum esset, ad impedienda gravia mala, v. g. incestum, sacrilegium, &c. Si tamen indè alteri periculum infamiæ nasceretur, is ex charitate priùs esset monendus, vt à matrimonio desisteret. Sanch. *l.3 d.13.* Fag. *p.2. l.6. c.5.* Henr. Laym. *l.3. tr.3. p.2. c.4. nu.8. &c.* commun. contra Pontium *d.5. quæst.6.* qui negat teneri denunciare, si sit occultum. Idemque tenet Mart. Perez *d.43. s.6. nu.1. & seq.* sed cum hac limitatione, si tantùm audivit, & nescit à quo, vel si pro foro interno sit dispensatum, vel si metuat magnum scandalum, aut periculum, vel si sciat contrahentes esse in bonâ fide.

3. Contrahens ipse, legitimè interrogatus de impedimento occulto, tenetur illud fateri; vel matrimonio abstinere, nisi dispensationem pro foro conscientiæ acceperit; tunc enim fateri non tenetur, nisi Iudex aliundé habeat sufficientem probationem. Sanch. Sylv. Lay. *l.c. nu.2.*

4. Parochus, cognito impedimento, tenetur prohibere matrimonium, & remittere ad Episcopum, vel eius Officialem, neque potest assistere. Sanch. *l.3. d.15.* Mart. Perez *d.43. s.7. num. 6. &c.* contra Pontium. Nisi tamen ex sola confessione nosset; tunc enim nullo modo posset negare matrimonium, sive publicè, sive privatim petenti, neque illum admonere officij extra confessionem, licét in confessione posset, ac deberet. Et tunc, siquidem sine magno scandalo à matrimonio non possent desistere, nec vellent; suadere, vt contrahant communi cõsensu, sub cõditione, *si Papa dispenset* animo tãtisper cohabitandi vt fratres (non autem quoad thorum) donec accedat dispensatio, & iterùm contrahant. Ita ex Beia, & Pontio *l.5. c.35.* M. Perez *l.c.* qui addit, si id omnimò nolint, persistantque petere, debere Parochum assistere.

5. Potest Episcopus, vel eius Vicarius, non autem Decanus Ruralis dispensare, vel vt vna tantùm fiat proclamatio, vel vt fiant post contractum subitó factum, coram Parocho, & testibus ante consummationem, vel etiam vt planè omittantur, si iusta causa subsit, v.g. timor, ne alioqui malitiosè impediatur matrimonium, pudor contrahentium, senium, inconstantia, statûs disparitas, metus scandali, infamiæ incontinentiæ &c. Bon. *l.c.*

6. Etsi, quando per dispensationem contractum est matrimonium ante proclamationes posteà faciendas, coniux non teneatur, nec debeat alteri reddere debitum, priusquam factæ fuerint: quando tamen certi sunt nullum subesse impedimentum, non peccare mortaliter consummando, tenent Sot. Led. Texed. contra Sanch. apud Dian. *p.9. tr 8. Res.19.*

7. Etsi Parochus dispensare non possit, potest tamen in casu necessitatis per Epikeiam declarare, præceptum hoc, hìc, & nunc non obligare; v.g. si moriturus concubinam velit ducere, ob prolis legitimationem Bon. *loc.cit.* ex Sylv. Sanch. &c.

DVBIVM II.

Quæ sint Impedimenta dirimentia matrimonium?

RESP. Præter defectum consensûs de quo suprà *c.2. d.1.* sunt quæ seqq. versibus comprehenduntur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ætas, affines, si clandestinus, & impos;
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ,
Hæc sociandà vetant connubia, facta retractant.

Dicitur 1. *Error*, scilicet personæ; qui dirimit iure naturæ, v.g. si Caio volenti ducere Annam, offerat se Maria, cum qua, putans esse Annam, contrahat: quia error aufert, libertatem, & consensum requìsitũ iure naturæ ad contractũ.

Dixi, *Personæ*: quia error qualitatis, seu conditionis personæ, (excipio servitutem) non irritat matrimonium vt v.g. si pu-

Universidad de Navarra Biblioteca

si putetur esse nobilis, virgo, dives, &c. quam quis vult ducere, nec sit talis: quia hic error non tollit consensum in personam, & materiam contractûs. Aliud tamen esset, si absolutè nollet consentire in personam, nisi tali conditione affectam; aut si ipsa conditio, iuxta intentionem contrahentis, transiret in conditionem personæ: vt si quis vellet ducere primogenitam Regis, nec aliam, & tamen alia substitueretur, non subsisteret contractus. Bon. *q.* 3. *p.* 2. ex Sanch. *l.* 7. *d.* 18. Con. *d.* 31. Fil. &c.

Dicitur 2. *Conditio*, scilicet servilis, vt si homo liber ignoranter contrahat cum serva, vel servus cum serva, nullum est matrimonium. Idque secundùm sententiam communiorem iure tantùm Ecclesiastico, fundato tamen in iure naturali, cui est valdè conforme. Ratio est, quia talis contractus adversatur. 1. Bono Sacramenti, cùm servus, invito domino nequeat cohabitare coniugi. 2. Bono fidei coniugalis, cùm non possit solvere debitum ad libitum alterius. 3. Bono prolis, cùm servus omnia acquirat domino. Vbi tamen notandum, non esse propriè servos, qui sunt coloni originarij, vel ascititij. V. Lay. *l.* 5 *t.* 10. *p.* 4. *c.* 2.

Dicitur 3. *Votum*, scilicet solemne castitatis, per susceptionem Ordinis sacri, vel per solemnem professionem in religione approbatâ, spontè emissam.

Dico 1. *Spontè*: quia metus gravis irritat professionem, vt Vid. *suprà l.* 5. *c.* 1. *d.* 2.

Dico 2. *Solemne*: quia votum simplex tantùm impedit, non dirimit, (excipe tamen vota simplicia Societatis.) Vid. Laym. *l.c. c.* 3.

Dicitur 4. *Cognatio*, quæ triplex est. Prima dicitur Legalis, quæ est propinquitas personarum; proveniens ex adoptione perfectâ, (qua scilicet persona extranea assumitur in filium, vel nepotem, ita vt transeat in potestatem adoptantis; eique succedat, vel tanquam hæres necessarius ex testamento, in quarta parte, vel tanquam filius ab in testato in totum) ea enim dirimit matrimonium vsque ad quartum gradum, inter adoptantem, & adoptatum, eiusque descendentes, *C. Per adoptionem.* 3. *q.* 3. *C. Diligere* 30. *q.* 3. V de Bon. *q.* 3. *p.* 5. §. 3. *nu.* 4. & 5. Vide tamen Lay. *c.* 7. & Dian. *p.* 9. *t.* 6. *Res.* 54. vbi contra communem sententiam notat ex Henr. Less. &c. probabile esse, quod post Trident. tantùm dirimat vsque ad gradum secundum inclusivè, sicut cognatio spiritualis.

Secunda est cognatio spiritualis, quæ iure Ecclesiastico oritur inter personas aliquas, ratione Baptismi, & Confirmationis, dirimitque matrimonium (vt habetur *C.* 1. *de cognitione spirituali in* 6. *C. Veniens*: & constat ex Trid. *s.* 24. *c.* 2. Vid. Bon. *q.* 3. *p.* 5. Sanch. *l.* 7 *d* 34. Suar. 3. *p. q.* 67.) inter baptizantem, & baptizatum, & huius patrem, & matrem, item inter susceptorem, & susceptum, & huius patrem, & matrem.

Tertia est cognatio consanguinitatis carnalis, quæ est vinculum personarum, ab eodem stipite proximo descendentium, dirimitque matrimonium vsque ad quartum gradum lineæ transversæ inclusivè. Et quidem quoad primum fortassis iure naturæ: quoad reliquos tres, solo iure Ecclesiastico. Vndé etiam Pontifex in his, ex iusta causa, dispensare potest. Gradus verò lineæ rectę, probabile est, omnes iure naturæ esse prohibitos. Porrò pro gradibus consanguinitatis dignoscendis statuuntur sequentes regulæ.

Prima.

SCHEMA CONSANGVINITATIS.

Prima. In linea recta tam ascendentium, quàm descendentium, quot sunt personæ, tot sunt gradus, vna dempta, scilicet stipite; v.g. pater, & filius sunt consanguinei in primo gradu, nepos, & avus in secundo, &c.

Secunda. In linea transversa æquali (quæ est inter personas à communi stipite æqualiter distantes) quot gradibus personæ singulæ à communi stipite distant, totidem distant inter se. Vndè frater, & soror, sunt in primo gradu lineæ transversæ; patrueles, & consobrini in secundo; filij eorundem in tertio.

Tertia. In linea transversa inæquali, inter personas inæqualiter distantes à communi stipite, quot gradibus remotior persona distat à stipite, tot gradibus distant inter se. Vndè patruus, & nepos, filius, & soror patris, sunt consanguinei in secundo gradu, quæ omnia patent in adiuncto schemate.

Dicitur 5. *Crimen*: idque triplex. Primum est homicidium coniugis, ab altero coniuge, & alio tertio, sive physicè, v.g. gladio, vel veneno; sive moraliter, vt imperio perfectum, eo consilio, vt posteà inter se matrimonium contrahant. Quod si cædes tentata sit, sed non perfecta; vel perfecta, sed absque intentione matrimonij ineundi; vel cum intentione quidem eâ, sed non significatâ exteriùs, vel non communi consilio, sed ab altero tantùm, non dirimit matrimonium, nisi etiam adulterium præcesserit: tunc enim, etsi vnus tantùm cædem perfecerit, altero ignaro, dummodò id fecerit intentione matrimonij, verè dirimit. Ita Con. Ledes. Sà, Sanch. *l.7.d.78. nu.13. & d.79.*

Secundum, est adulterium, quando nimirùm duo carnaliter se cognoscunt, vivente alterius coniuge, & vel matrimonium ineunt de præsenti, vel saltem dant fidem de ineundo post mortem coniugis. Sed in hoc casu requiritur, vt promissio sit acceptata, & vterque sciat alterum esse coniugatum, si enim vel alteruter ignoret, non irritatur matrimonium, siquod posteà ineatur, coniuge mortua. Perez Conine. *d 31. num. 57. & 61.* Sanch. *l.7. d.7. num.12.* Fil. *num.256.* Vide etiam Bon. *q.3. p.6. nu.* 8. Dian. *p. 3. t.4. Res.* 198. Excusatque ignorantia quævis, etiam facti, Sanch. M. Leo in praxi *p. 2. s.* 284. Sufficit autem si adulter dubitet, vtrum tempore adulterij, & promissionis de matrimonio cum adultera, vixerit alter coniux: quia præsumitur vixisse, nisi mors probetur. Nav. Sanch. *l. 7. de matr. disp. 79.* Bard. *d.6. c. 11. §. 8.*

Tertium, est raptus, per quem persona cum violentia abducitur, libidinis exercendæ, vel matrimonij ineundi causa. S. Th. Mol. *t. 3. d.* 105. Durat autem hoc impedimentum, secundùm Trid. quandiu rapta est in potestate raptoris, etiamsi liberè consentiat. Vndè libertati restitutam ducere potest. Probabile tamen est, Tridentini decreto tantùm comprehendi raptum, qui fit causâ matrimonij. Sanch. *d.* 13. Vid. Laym.

Dicitur 6. *Disparitas cultus*, sive religionis, quæ dirimit matrimonium inter baptizatum, & non baptizatum, etiam catechumenum. Idque iure tantùm Ecclesiastico non scripto. Bon. *q.3. p.* 7. ex Conin. &c; inter baptizatos verò non dirimit, etsi impediat. Matrimonia verò cum hæreticis etsi illicita, sunt tamen valida. Vide *suprà l. 2. t. 1. c. 4. dub.* 3.

Dicitur 7. *Vis*, sive violentia, & gravis

vis metus iniustè incussus, ad matrimonium extorquendum; irritatque in vtroque foro. Et quidem iure naturæ, si á contrahente; positivo autem si à tertio sit incussus.

Addo, *gravis*, qualis scilicet cadit in virum constantem, v.g. mortis, perpetui carceris, amissionis bonorum, iniustæ excommunicationis, enormis indignationis patris valdè austeri. Quando verò metus est levis, contractus censetur spontaneus; idque ad cavendas lites, etiam in matrimonialibus, vt Sacramento consulatur. Reb. Sanch. Pont. &c. communiter cum Dian. *p. 3. t. 4. Res.* 230. *& t. Res.* 117. quamvis Navar. Gab. & Covar. id negent, si metus ita extorserit consensum, vt absque eo non fuisset. Addidi 2. *Iniustè*: quia si iustè sit incussus, valet matrimonium: talis enim non tam infertur ab alio, quàm ab ipsomet, qui causam dedit; vt si v.g. deprehenso in crimine cum filia mineris accusationem, nisi illam ducat. Addidi 3. *ad extorquendum* quia matrimonium ex metu etiam gravissimo, vndecunque, & quandocunque incusso, dummodò non ad matrimonium extorquendum, valet: tunc enim non tam contrahitur metu, quàm eligitur medium evadendi periculum: & matrimonium est simpliciter voluntarium. *Vndè resolvitur valere matrimonium in sequentibus casibus.* Vide Bon. *q. 3. p.* 8.

1. Si concubinarius metu gehennæ, vel mortis in morbo, vel naufragio contrahat cum concubina. Bon. *l.c.*

2. Si quis à Medico persuasus, non diu se victurum, nisi ducta vxore, eam ducat Bon. *l.c. nu.* 19.

3. Si in carcerem coniectus, spe evadendi, contrahat cum filia Lictoris. Sanch. *l.4. d. 12. nu.* 10. Con. *d 28. dub. 1. cap.* 3.

4. Si ad mortem damnatus, vt evadat, ducat meretricem, aut aliam. Con. *nu.* 10. Fil. *c.4. q.1.*

5. Si Princeps obsessus offerat filiam in matrimonium obsidenti, vt liberetur obsidione. *Ibid.*

6. Si raptor, vel deflorator virginis, metu mortis offerat se Iudici ad eam ducendam. Con. *num.* 22. ex Reginald. Henriq. &c.

7. Si ad mortem decumbens contrahat cum filia Medici, aliàs illi mederi nolentis. Reb. Sanch. *d.122.* Con. Fil. *n.103.* etsi alij quidam negent.

8. Etsi metus gravis incussus fuerit tantùm ad contrahendum matrimonium in genere, contractum tamen nullum esse docent Sanch. Salas. Pal. Pont. &c. cum Dian. *p. 4 t. 4. Res.* 33. contra Azor, & alios 4.

9. Quando matrimonium ex gravi metu contractum fuit, non teneri (in foro conscientiæ) per se loquendo, illud perficere, posseque altero invito resilire, etiam eum, qui liber à metu fuit; etiamsi ab ipso, seu eius culpâ illatus fuerit, docent Sanch. Villalob. Hurt. & Ochag. cum Dian. *p 3 t 4. Res. 229 & p 9 t. 8. Res.* 27. contra Con. & Pont.

Dicitur 8. *Ordo*, scilicet sacer, sive Maior, quem qui non coactus suscepit, invalidè matrimonium contrahit, vt Vid. *sup. de Sacram. Ord. & hic impedimento tertio.*

Dicitur 9. *Ligamen*, propter quod quandiu quis ligatus est coniugi adhuc viventi, invalidè contrahit cum alio: quanquam licitè, sine peccato, si moraliter sit certus de morte coniugis: qui si posteà compareat, tenetur ad eundem redire,

Universidad de Navarra Biblioteca

ratione, dimisso posteriore. V.Bon.*p.*10.

Dicitur 10. *Honestas*, hoc est, iustitia publicæ honestatis, ob quam nemo potest contrahere cum consanguineis illius, cum qua contraxit sponsalia, vel matrimonium ratum. Et quidem ante Tridentinum, & iure antiquo, hoc impedimentum dirimit matrimonium inter sponsum, & consanguineos sponsæ vsque ad 4. gradum, oriturque ex sponsalibus quibuscumque, etiam invalidis, (præterquàm ex deffectu consensûs) iure verò novo Tridentini, non oritur si sponsalia sint invalida, & irritat tantùm vsque ad primum gradum, si ex sponsalibus; ad quartum verò, si ex matrimonio rato sequatur. Vid.Bon. *p.*11. Sanch. *l.*7. *d.*68. Fill.*tr.*10.*p.*2.*c.*6. Notat etiam Dian.nõ oriri, ex sponsalibus mutuo cõsensu dissolutis. *p.*3. *t.*4. *R.*222. ex Pont. & alijs 3. contra Sanch. vtì neque ex conditionatis, donec conditio sit impleta *p.*9. *t.*6. *R.*25. ex Opatov. Oriri tamen ex matrimonio invalido, nisi sit tale ob defectum consensûs *p.*9. *t.*6.*R.*50. ex declaratione Pij V. atque adeò etiam ex clandestino. *ib. R.*53. ex Pont. Palao, Hurt. Perez, &c. contra Sanch. & Præp.

Dicitur 11. *Ætas*: quia ad valorem matrimonij, iure Ecclesiastico requiritur annus 14. viri, & 12. fœminæ completus: nisi tamen malitia ætatem suppleat, hoc est, adsit, & doli capacitas, & potentia ad copulam, de quibus iudicare prudentum est. Lay. *c.*12. *nu.*1. *Cap. De illis, & C. vlt. eodem tit.*

Dicitur 12. *Affines*. Est autem affinitas, propinquitas personarum nata ex copulâ carnali, sive licitâ, sive illicitâ. Vtraque, iure saltem Ecclesiastico, dirimit matrimonium; illa vsque ad 4. gradum inclusivé, hæc verò iure novo, vsque ad secundum tantum. Et quidem si antecedat matrimonium, nam si superveniat, v.g. si Titius cognoscat vxoris suæ cognatam in secundo gradu, non dirimit, licet is, qui peccavit, non possit petere debitum, sed tantùm reddere. Portó gradus, & lineæ affinitatis accipiuntur, sicut in consanguinitate, ita vt qui est vxoris consanguineus in primo gradu, sive rectę, sive transversæ lineæ, is sit affinis marito in eodem gradu lineæ rectæ, vel transversæ. Deniquè omnis affinitas, quæ oritur ex affinitate, sublata est per Concil. Lateranense. Vid. Laym. & Bon. *part.*12. *Vndè resolves.*

1. Is qui fornicatus est cum sorore sponsæ suæ, cum neutra potest validé contrahere, citra dispensationem: Imó nec cum earum consobrina, vel matertera.

2. Potest quis ducere affinem fratris sui, etiam in primo gradu, v.g. duo fratres possunt ducere duas sorores, imò pater, & filius possunt ducere matrem, & filiam. Laym. Bon. *l.c.*

3. Titius potest successivè ducere Titiam, & Bertam, quæ fuerunt vxores Caij, & Sempronij fratrum.

4. Titius, qui duxerat sororem Caij, potest post mortem Caij, eiusque sororis, ducere Bertam vxorem Caij.

Dicitur 13. *Si clandestinus*: quia Trid. irritat matrimonia eorum, qui contrahunt aliter, quàm coram Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius vel Ordinarij licentia, & duobus minimùm testibus: vultque graviter puniri eos, qui contra hoc contraxerint, vel etiam interfuerint. *Vndè resolves.*

1. Per Parochum intelligitur is, qui habet ordinariam iurisdictionem in contrahentes, vtpotè qui domicilium, & habitationem habeat in eius Parochia: Item Episcopus, vel eius Vicarius in sua diœcesi, vtì, & Papa: Item Capitulum sede-vacante, Cardinales in Ecclesijs sui tituli, Legati in sua provincia. Sufficit etiam excommunicatus, aut non Sacerdos. Nec requiritur, vt à parte rei verè sit Parochus, sed sufficit, si habeat titulum saltem coloratum, ita vt communi errore habeatur Parochus, nec sit intrusus absque omni titulo. Vid.Bon.*q.*2.*p.*8.

2. Parochus, vel quivis habens iurisdictionem ordinariam potest alium sibi substituere; non tamen nisi Sacerdotem.

3. Cùm ad testes requisitos non addatur, debere esse omni exceptione maiores, sufficiunt etiam infames, fœminæ, pueri habentes vsum sufficientem rationis, parentes, domestici, ac servi.

4. Si duo sint Parochi eiusdem Parochiæ, potest vtervis assumi. Similiter qui habet duo domicilia, quæ æqualiter inhabitat; vel domum, quæ partim pertinet ad vnam Parochiam, partim ad alteram, potest alterutrum accersere: quia vterque est proprius Parochus. Lay. Bon. *l.c.*

5. Etsi ex pręcepto adhibendus sit Parochus contrahentis illius, in cuius Parochiâ matrimonium celebratur; sufficit tamen ad valorem, si alterutrius Pastor assistat, vt declaravit Congregatio Cardinalium, apud Rebel. & Bon. *q.*1. *p.* 8. etiam extra suam Parochiam, vel diœcesim; quia hic actus non est iurisdictionis contentiosæ. Non tamen licebit tunc nuptias benedicere, sine alterius licentia. Sanch. *l.*3. *d.*19.

6. Is qui substituitur, debet habere expressam, vel saltem tacitam licentiam, ex ratihabitione de præsenti: quia non sufficit ratihabitio de futuro, qua quis putet alterum posteà ratum habiturum. Sanch. *d.*35. Regin. Con. apud Bon. *l.c. nu.* 11. licèt ipse neget tacitam sufficere.

7. Vagabundi possunt contrahere coram quolibet Parocho, (idque vt Lay. *c.*4. *num.*3 docet ex Sanch. etsi alteruter tantum sit vagus.) Hic autem tenetur de illorum conditione diligenter inquirere, vt monet. Trid. an scilicet alibi sint coniuncti, &c. & deindé petere licentiam ab Episcopo assistendi; sine qua licèt validè assistat, graviter tamen peccat. Ita Laym. *t.*4. *l.*3. ex Sanch. *d.*19. & *d.*25. *nu.* 14.

8. Peregrini, qui ex causa, exiguo tempore domo absunt, non possunt contrahere peregrè coram Parocho loci; quia non est illorum verus. Aliud est de ijs, qui alicubi habitationem figunt pro maiore parte anni, aut eò venerunt animo manendi, maiore anni parte, licet posteà contingat casu subito, recedere, v.g. famuli, ancillæ, studiosi. Bon. *q.*1. *p.* 8. *nu.*1. Sanch. *s.*3. *d.*23. *nu.*11. Ratio est, quia contrahunt ibi domicilium Parochiale; & Pastor illius loci, est proprius illorum.

9. Parochus, & testes sic debent esse præsentes, vt advertere possint quid agatur, & de eo testari. Et quidem non est necesse, vt ipsi videant contrahentes, dummodó audiant verba contractûs, si voces contrahentium noverint. Sanch. Fil. Pont. & alij 5. cum Dian. *p.* 8. *t.* 7. *R.* 68. contra Barb. Nec refert, etiamsi per metum, vim, dolum, aut iniuriam nolentes detineantur, vel etiam contradicant; ac resistant; aut licèt prohibiti sint ab Ordinario, ne intersint. Bonac. *l.c.* ex declar. Card. Con. Fil. Sanch. *ll.cc.*

Paro-

Universidad de Deusto Biblioteca

10. Parochus tenetur vtrumque contrahentem interrogare, non quidem de impedimento. Gutier. Sanch. Dian. *p.5. t.4. Res.* 294. sed de mutuo consensu. Trid. *sess.*24. *cap.*1. Eius tamen omissio, quando de vtriusque libero consensu constat, venialis tantùm est. Sanch. Con. Dian. *l. c.* Similiter mortale non esse, etsi intellecto consensu non dicat: *Ego vos coniugo in nomine Patris & Filij, & Spir. Sanct.* docent Sanch. Con. Vill. Gut. Dian. *p.3. t.* 4. *Res.* 256. contra Rebell. &c.

Dicitur 14. *Et impos*, quod impedimentum vocatur frigiditas, vel impotentia. Quæ si perpetua sit, & matrimonium antecedat, irritat illud iure naturę; vel omne, & respectu cuiuscunque si sit absoluta; vel certum tantùm, si sit restricta; seu respectiva. Idque sive orta sit ab intrinseco, & vitio naturæ, sive ab extrinseco, operâ hominis, vel diaboli; sive cognita alteri fuerit, sive non; sive sit ex parte vtriusque contrahentis, sive alterius tantùm. Ratio est, quia matrimonium consistit in mutua traditione corporum physicé aptorum ad generationem, sive in traditione potestatis corporis ad copulam coniugalem: hanc autem potestatem impotens non potest tradere, cùm eam non habeat.

Porrò impotentia in viro censetur quando, est Eunuchus, vel saltem non potest seminare intra naturale vas fœminæ; in fœmina verò, quando vel seminare non potest, (si verum est, semen fœminarum requiri ad generationem) vel propter arctitudinem non potest virum pati, aut eius semen recipere.

Dixi 1. *Si sit perpetua*: qualis est, quæ nulla arte potest tolli. In dubio autem perpetuitatis, concedicur à iure triennium ad experiendum bona fide.

Dixi 2. *Si antecedat*: nam si subsequatur matrimonium, non irritat illud, etsi vsum ita impediat, vt soli contactus, & oscula liceant, citra periculum pollutionis. Idque quando impotentia est certa: nam si dubia sit, tandiu licèt conati ad copulam, quandiu probabilis est spes seminandi intra vas. Laym. *l.5. t.* 10. *p.* 4. *cap.* 12. ex Sanch. Nav. Henriq. *Vndè resolves.*

1. Invalidé contrahunt eviráti, seu Eunuchi, quando carent vtroque teste, quia non emittunt verum semen aptum generationi. Nec refert, quod instar senum sterilium satisfaciant concupiscentiæ fœminæ, quia id non faciunt per copulam natura sua aptam generationi, ob defectum seminis, quod senes tamen emittunt, etsi semen senum per accidens non sit prolificum. Lay. *l.c.* Bon. *quæst.*3. *punct.*13. *&c.*

2. Validè contrahunt. 1. Steriles: quia etsi sint impotentes ad generationem, non tamen ad copulam; atque adeò sunt capaces omnis iuris, & obligationis matrimonij; & susceptio prolis licét sit præcipuus; non tamen vnicus, nec immediatus finis matrimonij. Bon *q.* 3. *p.* 13. ex Henriq. Conin. Fil. &c. Eadem est ratio de ijs, quæ non edunt fœtum, nisi mortuum, vel non nisi cum periculo vitæ Bon. &c. *ll cc.* 2. Hermaphroditi: quia veré sunt potentes ad vsum matrimonij. Et quidem si alter sexus emineat, secundùm illum tantùm valebit: si vterque sit par, optio illis datur, vt vtrolibet vtantur, ita tamen, vt quem semel elegerint, semper retineant. Sanc. *l.*10. *d.*106. Bon. *l.c.* ex Henriq. Sanchez, Con. Fil. &c. 3. Is qui paulò post est moriturus, quia in eo manet potentia ad coitum, etsi per accidens vi morbi impediatur. Patet ex praxi Ecclesiæ, quę illis interdum suadet, vt concubinas ducant. Laym. *l. c.* ex Sanch. *d.* 105. *nu.* 3. Covar. &c.

3. Impuberes, si vtantur ratione, non iure naturæ, sed Ecclesiastico tantùm, invalidè contrahunt, quia impotentia illorum est tantùm temporalis. *Vide suprà hoc dub. imped.* 3.

Quæres. Quid censendum de matrimonijs, quæ contrahuntur in partibus hæreticis?

Resp. Circa ea Congregatio Cardinalium resolvit sequentia. 1. Vbi hoc decretum Concilij nondum publicatum est in Parochia, v.g. in Saxonia, & Anglia, valere matrimonium contractum absque forma præscripta. Publicatio autem decreti facta præsumitur, si id aliquo tempore in Parochia tanquam decretum Concilij fuit observatum. 2. Hęreticos, in quorum Parochia dictum decretum fuit publicatum, v.g. in Hollandia, Frisia, &c. teneri formam præscriptam servare. Vndé consequenter ipsorum matrimonia absque forma Concilij, quamvis coram Ministro hæretico, vel Magistratu contracta, videntur esse nulla. Laym. tamen *l.* 5. *t.* 10. *p.* 2. *c.*4. putat eam non esse mentem Summorum Pontificum, propter gravissima incommoda indè subsecutura. 3. Si Parochia in qua aliquando decretum fuit observatum, proprio Parocho, & Episcopo careat, nullusque istic sit, qui vices Episcopi vel Parochi suppleat, matrimonium valere absque præsentia Parochi, servatâ tamen, in quibus potest, formâ Concilij, nempè adhibitis saltem duobus testibus. Idem est, si Parochus, & Episcopus metu hæreticorum lateat, ita vt verè ignoretur vbi sit, vel eorum metu absit à Diœcesi, & ad neutrum sit tutus accessus.

Dicitur 15. *Raptave sit*, de quo vide suprà impedimento criminis.

DVBIVM III.

Quomodo matrimonium invalidum sit revalidandum?

Resp. 1. Si fuit invalidum propter consensum fictum, vel metu extortum, sive ex vna, sive ex vtraque parte, potest revalidari per quodcumque signum veri, & novi consensus: quia si altera tantùm pars fictè contraxit, consensus vnius partis habitualiter permansit; ergo accedente alterius consensu revalidatur. Sanch. *l.*2. *d.*32. *nu* 9. Con. *d.*24. *dub.*10. *nu.*89. Navar. Fill. Bon. &c. *Vndè resolves.*

1. Si metus, vel defectus consensus fuerit alterius tantùm partis, curandum est, vt ea saltem novum, & liberum consensum eliciat, & externis signis prodat: alteri autem parti non est opus declarari, præstari novum consensum ad valorem matrimonij. Sanch. *l.c. num.*10. Con. Bon. *p.*9. Vid. Mœrat. *d.*7. *s.*15. *nu.*4.

2. Si vterque fictè, vel coactè consenserit, necesse est, vt vterque consensum renovet, & verbis exprimat. Quia cùm vtriusque consensus planè nullus fuerit, æquè necesse est renovare, & declarare, acsi factum nunquam fuisset. Mœrat. *l.c. nu* 3.

Resp. 2. Si invalidum fuit propter impedimentum consanguinitatis, v.g. vel aliud simile occultum dirimens, tunc enim per dispensationem, vel aliter sublato, atque ita personis ad contrahendum habilitatis, requiritur novus vtriusque consensus, signo externo expressus: & qui-

quidem, vt probabiliùs docet Sanch. *l.* 2. *d.*36. absolutus, & independens ab antiquo. Ratio est, quia neutrius consensus antiquus fuit legitimus, cùm non caderet in legitimam materiam. *Vndè resolves.*

2. Si in tali casu altera pars sit ignara impedimenti, vel dubitetur, an sciat, illa suaviter inducenda est ad novum consensum absolutè præstandum, dicendo v.g. Si mihi non nupsisses, nonne modò nuberes? vel; Angor scrupulis de matrimonij nostri valore, ideóque renovemus consensum. Quod si fiat, sufficere (præsertim si sequatur affectu maritali copula) docet Quint. *in append. t.*7. *d. vlt.* Si autem periculum sit, ne pars illa impedimentum ignorans detrectet, & scandala, gravesque molestiæ timeantur, licebit vti sententiâ contraria, quæ docet sufficere, vt sola pars impedimenti conscia consensum renovet, & alteri declaret. Sanch. *l.*2. *d.*26. & *l.*8. *d.*34. *nu.* 61. Less. *l.*2. *c.*17. Con. *d.*24. *d.*10. & Fil. *nu.* 29. *&c.* Dian. *p.*4. *t.*4. *Res.*49.

Resp. 3. Vt matrimonium invalidum, quod coram testibus, & Parocho est celebratum, revalidetur, non opus est denuò coram Parocho, & testibus iniri, si impedimentum sit occultum: secùs si sit notum: quia prius matrimonium præsumptione Ecclesiæ, censetur validum, non autem posterius. Navar. Sanch. *l.*2. *d.*37. Con. *d.*24. *d.*4. Regin. *l.*31. *nu.*183. Fil. *nu.*93.

DVBIVM IV.

A quo, & ob quam causam possit dispensari in impedimentis matrimonij?

RESP. 1. Papa non potest dispensare in impedimentis iure naturæ, vel divino dirimentibus, nisi ex speciali concessione: in ijs verò, quæ iure Ecclesiastico dirimunt, potest. Ratio prioris est, quia inferior non dispensat in lege superioris: nec homo in lege naturæ. Addidi, *nisi ex speciali*; quia sic Pontifex (non tamen Episcopus) potest matrimonium ratum dissolvere, ex iusta causa. Sanch. Less. Præp. *q*5. *d.*8. Dian. *p.* 8. *t.*1. *Res.* 52. & 93. Ratio posterioris, quia Pontifex talia impedimenta inducit; ergo etiam potest tollere, & quidem solus. *Vndè resolves.*

1. Episcopus in impedimentis dirimentibus matrimonium iam contractum, non potest ordinario iure dispensare, nisi ex tacita concessione in casu necessitatis, quando sequentia concurrunt. 1. Vt defectus sit dispensabilis. 2. Vt sit occultus, idest, non sit notorius, seu divulgatus. 3. Vt ex altera parte saltem, matrimonium bona fide sit contractum. 4. Vt non sit facilis accessus ad Papam. Ita com. Sanch. Dian. Mart. Perez, *d.*4. *s.*7. Quando autem contractum est ex dispensatione subreptitia, non potest Episcopus sua dispensatione priorem confirmare. Dian. *p.*9. *t.*7. *Res.* 40. ex Præp. Perez, &c. In impedimentis verò dirimentibus matrimonij nondum contracti, videtur nunquam posse: imò nec Legatus à latere, nisi speciali facultate. Laym. *lib.*5. *tr.*10. *p.*4. *c.*6. & *lib.*1. *tr* 4. *c.*22. Bon. *q.*3. *p.*15. *&c.* contra quos Dian. *p.*8. *t.*3. *Res.* 80. cum Præp. Vill. & Esc. *de leg. Ex.* 14. *c.* 4. putat, Episcopum id posse aliquando in casu raro, ex causa maximè vrgente, si omnibus tentatis iudicetur necessarium esse ad vitandam gravem infamiam, vel grave scandalum, cui aliter occurri non posset, idque ex tacita Papæ licentia.

Resp.

Resp. 2. In impedimentis non dirimentibus possunt Episcopi dispensare vniversaliter. Quod addo, quia excipiuntur illa, quæ iure naturali, & divino impediunt, vt votum castitatis absolutum, & perfectum. (Bon. *q.*3. *p.*15. ex Nav. Sanch. &c.) & sponsalia priora, vt habet Tan. *d.*8. *q.*4. *dub.*2. *nu.*30. ex Sanch. *l.*7. *d.*17. *nu.*8. Idem habet Fill. *t.*10. *p.* 2. *c.*10. *nu.*306. Laym. *l.*5. *c.*10. *p.*4. *c.*15. *nu.*2. sub finem. Similiter Episcopus potest dispensare in impedimentis, quæ matrimonio superveniunt, & impediunt petitionem debiti, v.g. cognationis spiritualis, vel affinitatis. Bon. *l.c.* Sanch. *l.*8. *d.*12. *nu.* 16. Fil. *l. c.* vbi excipit incestum commissum (matrimonio consummato,) cum consanguineis vxoris, in ijs, qui non sunt iuvenes.

Resp. 3. Possunt etiam Confessarij regulares approbati, de licentia tamen suorum Provincialium, dispensare ad petendum debitum coniugale, propter cognitionem consanguinei coniugis in secundo gradu, vt Rodr. *q.reg. to.*1. *q.*63. *art.*1. nullo modo tamen in impedimento ipso. Vide M. Perez *d.*44. *s.*7. *nu.* 13. Dixi, *Provincialium*; quia quod Molfes. Leon &c. volunt, Confessarios Societatis Iesu habere omnes hanc facultatem immediatè à P. Generali, id refutat Diana *p.*3. *t.*2. *Res.*14.

Resp. Vt licitè dispensetur in impedimentis dirimentibus, requiritur iusta causa: qualis secundùm Fil. *c.*8. est v.g. extinctio magnæ litis, vel odij, inter agnatos. 2. Ablatio scandali. 3. Inæqualitas matrimonij, nisi consanguineis, vel affinibus nubatur. 4. Defectus dotis competentis. 5. Conservatio facultatum in eadem cognatione. 6. Merita petentis dispensationem. Plures Vid. apud Sanch. *d.*19. Con. *d.*33. Hurt. 26. M. Perez *d.*44. *s.*5. vbi notat. 1. Quantò gradus consanguinitatis, vel affinitatis est propinquior, tantò requiri causam graviorem. 2. Sæpè plures aggregatas causas sufficere, quarum singulæ non sufficerent. V. etiam Dian. *p.*8. *t.*3. *Res.* 93.

Resp. 5. Si quis dubitet an habeat impedimentum dirimens, v.g. contrahendi matrimonium cum certa persona, & adhibita diligentia sufficienti, non possit intelligere veritatem, probabile est posse cum ea contrahere sine dispensatione, (nisi tamen præsumptio aliqua stet pro impedimento) quia possessio stat pro libertate contrahendi. Sanchez Sancius, Franc. Lugo, Bard. *d.*6. *c.* 11. *p.*7. §.11. contra Laym. & Palaum.

LIBER VII.

DE CENSVRIS ECCLESIASTICIS, & irregularitatibus.

CAPVT I.

De Censuris in genere.

DVBIVM I.

Quid sit Censura Ecclesiastica?

RESP. Est pœna spiritualis, & medicinalis, per quam homini baptizato delinquenti, ac contumaci, per potentiam Ecclesiasticam aufertur vsus quorundam bonorum spiritualium. Laym. *l.* 1. *t.*5. *p.*1. *c.*1. *Vndè resolves.*

1. Per censuram non privatur homo bonis merè internis, v.g. charactere, potestate ordinis, nec bonis proprijs, ac

Universidad de Deusto Biblioteca

ac privatis v.g. fide, charitate, gratia, &c. sed quibusdam externis,& publicis, sive actionibus, quę habent spiritualem aliquem effectum, vel commodum, vt sunt sacrificium, officium divinum, beneficium, administratio,& susceptio Sacramentorum, indulgentia, publica Ecclesię suffragia: quia hæc,& non illa subsunt dispositioni Ecclesiæ. Vndè si interdum privetur bono aliquo temporali,v.g. convictu humano per excommunicationem,id tantùm fit secundariò.

2. Exilium, carcer, servitus, privatio beneficij,nisi adiunctam habeant suspensionem aliquam spiritualium actionum, non sunt censurę; quia sunt pœnæ temporales.

3. Nec degradatio, vel depositio est censura, quia etsi sit pœna spiritualis,non tamen medicinalis,sed perpetua, & ob peccatum præteritum,etiam emendatum, potest infligi.

4. Nec cessatio à divinis; quia non imponitur per modum medicinæ, ad tollendam contumaciam,sed ad propulsandam iniuriam Ecclesiæ factam.

5. Nec irregularitas, sive sit ex defectu, quia hęc non est pœnalis; sed tantùm impedimentum Canonicum: sive sit ex delicto, quia hæc non irrogatur per modum pœnæ medicinalis, sed punitivæ, & ex se perpetuæ. Vndè nec tollitur per absolutionem, sicut censura, sed per dispensationem Bon. *d.1. q.1. p.1.*

6. Quando in Iubilæis, vel privilegijs datur potestas absolvendi à censuris, non comprehenditur irregularitas, nisi expressè addatur.

(***)

DVBIVM II.

Quotuplex sit censura?

RESp. Dividitur 1.Essentialiter in excommunicationem, suspensionem, & interdictum. 2. Accidentaliter in eam, quæ est à iure,& fertur per Canones, constitutiones, vel statuta Ecclesiastica,stabili, ac permanente lege:& eam, quæ est ab homine, quæ scilicet fertur à Iudice, vel Prælato,per modum mandati, vel sententiæ iudiciariæ.Estque vel particularis, circa factum aliquod particulare, aut certas personas; vel generalis, quæ nullâ singularis facti,aut personæ determinatione fertur. 3. In eam, quæ est sententiæ latæ, quam scilicet ius, aut Iudex statuit ipso facto, (quo quis v.g, contra legem facit) sine alia sententia incurrendam; & eam, quæ est ferendæ quam ius, aut Iudex non vult ipso facto incurri, sed per sententiam infligi. Pro quibus dignoscendis, consideranda sunt verba, quibus censura fertur; quæ si includant alterius actionem, seu ministerium,significant censuram esse sententiæ ferendæ; latæ verò,si non includant. Si verò ambigua sint,teneri potest *regula 49. iuris in 6.* quod in dubio circa pœnas, benignior interpretatio sit facienda. *Vndè resolves.*

1. Est censura latæ sententiæ. 1.Si verba sint præteriti, aut præsentis temporis, v.g. *excommunicavimus,excommunicatus est*, vel *fuit, excommunico,suspenduntur, interdicuntur, volumus, aut iubemus esse excõmunicatũ,suspensum,&c.* 2.Si addatur particula, *ipso jure,ipso facto*, vel *sine alia sententia.*3.Si verba sint imperativi modi,v.g.*incidat in excõmunicationẽ, maneat interdictus, &c.* Ratio,quia hæc omnia

omnia nullius actionem interponunt.

2. Sententiæ ferendæ est saltem vt plurimùm.1.Si verba sint futuri temporis, v.g. *excommunicabitur, suspendetur.* 2. Si dicatur,*excommunicetur,suspendatur, volumus excommunicari.* 3. Si verba sint minatoria, v.g. *sub pœna excommunicationis, sub interminatione anathematis, &c.* nisi tamen ex adiunctis aliud colligatur.

DVBIVM III.

Qui possint ferre censuram, & in quos?

RESp. 1. Censuram ferre potest omnis,ac solus superior Ecclesiasticus, habens in foro externo, seu contentioso, iurisdictionem, sive ordinariam,sive delegatam.

Porrò ordinariam, quæ est ratione officij, vel alterius iuris, potestque delegari Clerico, Clericatûs privilegijs gaudenti (vt Bon. *d. 1. q. 1. p. 2.* Laym. *l.1. t.5. p.1.c.3. nu.1.ex C. Cum Ecclesiarum*, S.Th. &c. docent) habet 1. Papa respectu totius Ecclesiæ. 2. Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, eorumque Vicarij Generales. 3. Generales, Provinciales,& Superiores locales Religionum, respectu suorum subditorum. 4. Congregationes Religionẽ,Concilia provincialia Episcoporũ,Capitula provincialia quorũdam Religiosorum: & denique. 5. Quidam alij ex concessione,vt multi Archidiaconi, Archipresbyteri, & Decani.

Delegatam habent, quibus ea committitur ab ordinariam habente, cuius morte expirat; nec delegatus potest alteri delegare, nisi habeat specialem huius commissionem, vt si sit delegatus Papæ, *Vndè resolves.*

1. Non possunt potestate ordinariâ ferre censuram, 1.Parochi. 2. Laici:quia non sunt capaces iurisdictionis Ecclesiasticæ, vtì & Religiosi professi non habentes primam tonsuram. 3. Fœminæ, licét sint Prioritsæ, vel Abbatissæ; quia non sunt capaces iurisdictionis, seu potestatis clavium. Quando verò in iure dicuntur posse subiectos sibi Clericos suspendere ab officio, vel beneficio, suspensio non accipitur propriè pro censura,cuius violator irregularitatem incurrit, sed latè, & impropriè, pro præcepto, quo Abbatissa Clerico sibi quodammodó subiecto prohibet celebrationem, donec satisfecerit, subtrahens ei reditus intereâ. Vid. Bon. *l.c.* Layman. *l. 1. t.5. par.1.cap.3.nu.5.*

Resp. 2. In omnes, & solos subditos alicui Superiori Ecclesiastico,potest ferri censura; quia subiectio, & iurisdictio sunt correlativa.Lay.*l.c.c.3.Vndè resolves.*

1. Non baptizati non incurrunt censuras, licét sint catechumeni: nec mortui; quia non subsunt iurisdictioni Ecclesiæ. Nec refert, quod quandoque mortui dicantur excommunicati; non enim de novo ligãtur, sed excõmunicatio prior tàtùm declaratur, ac vivis prohibetur, ne cum ijs agant, orando pro illis, sepeliendo, &c. Similiter dicuntur absolvi ab excommunicatione, quando sepultura, & orationes publicæ pro illis permittuntur. Laym. *l.c.*

2. Advenæ, & peregrini brevi tempore alicubi commorantes, non ligantur censuris locorum,generali sententia, aut statuto decretis; quia non sunt subditi.Laym.*l.c.nu.5.*

3. Etsi subditi, extra suam Diœcesim, (vel in loco Diœcesis exempto) delinquentes contra legem sui Episcopi non incurrant censuram; Superior tamen,

men, saltem regularis, potest suos subditos, vbicumque existant per particularem sententiam censuris innodare Vide Lay. *l.c.*

4. Hæretici, Apostatæ, & Schismatici possunt affici censuris; quia per baptismum sunt subiecti Ecclesiæ. Vid. Lay. *loc. cit.*

5. Solus Papa non potest incurrere censuram, quia nulli est subiectus. Bon. *l.c.*

DVBIVM IV.

Ob quam causam possit ferri Censura?

REsp. Ob solum peccatum externum censuræ proportionatum, & coniunctum cum contumacia. Et quidem in interdicto locali potest esse alienum, v.g. Prælati, vel communitatis (non tamen hominis privati) alias requiritur proprium. Bon. *p.* 3. *Vndè resolves.*

1. Non possunt censurari infantes, vel amentes, quia non peccant. Bonac. *d.* 1. *q.* 1. *p.* 4. Lay. *c.* 4. *n.* 3. ex, S. Thom. Suar. &c.

2. Etsi ob peccatum veniale interdum fieri possit levis suspensio, vel leve interdictum; excommunicatio tamen maior, suspensio gravis, & interdictum personale speciale (quidquid sit de generali) non potest ferri, nisi ob culpam mortalem: quia alioqui pœna non esset proportionata culpæ. Imò cum sint pœnæ medicinales, non debent infligi pro quovis mortali, sed quibusdam tantùm, ne censuræ contemnantur, vt monet Trid.

3. Actus peccati, ob quem censura fertur, debet esse mortalis, non tantùm quoad actum internum; sed etiam quoad substantiam operis externi. Hinc non excommunicatur, leviter percutiens Clericum, etsi intentionem mortalem habuisset: vti nec, qui interiùs tantùm est lapsus in hæresim, quam exteriùs non significavit; quia Ecclesia tantùm iudicat de externis Bon. *l.c.*

4. Actus peccati in suo genere debet esse perfectus, & consummatus, nisi expressè aliud sonent verba legis; quia pœnæ, & odia sunt restringenda. Hinc excommunicationem homicidæ non incurrit favens, mandans, consulens, iuvans; nec vulnerans lethaliter, nisi mors sequatur. Item quando excommunicatur mandans, consulens, &c. vel ferens suffragium pro indigno, subintellige efficaciter, seu effectu secuto: quia sine eo mandatum, consilium, & suffragium, non est completum, & perfectum in genere homicidij furti, &c. Alij tamen attendendum esse putant, vtrùm in mandantes, consulentes, &c. principaliter, & per se, feratur excommunicatio, an verò accessoriè tantùm: & dicunt priore casu esse excommunicatos, etsi non sequatur effectus: non item in posteriore. Quæ sententia in praxi est tutior, Bon. *loc. cit.*

5. Quidquid excusat à peccato mortali, excusat etiam à gravi censura, v.g. materiæ parvitas, impotentia legem implendi, defectus advertentiæ, & deliberationis, ignorantia invincibilis, sive ea sit facti, vt v.g. si nescias quem percutis esse Clericum, sive iuris, vt si scias esse Clericum, teque mortaliter peccare percutiendo, nescias tamen percussionem illam sub excommunicatione prohibitam esse. Ratio, quia non es contumax.

Dixi, *invincibilis*: quia ignorantia culpabilis, & crassa non excusat, nisi addatur in lege certus modus, v.g. *qui hoc fecerit scienter, consulto, qui præsumpserit casu*

casu temerario violare, (quæ verba, vtpotè in re odiosa, accipienda sunt strictè) talis autem non potest dici temerariè præsumere, nisi ignorantia esset affectata, formalem dolum includens. Escob. *t.*4. *c.*6. *nu.*37. Sanch. *de matr. t.*3. *l.*9. *d.*32. *nu.*31.

6. Non incurritur censura, ob peccatum soli naturali, vel divino iuri repugnans, sed requiritur præceptum Ecclesiæ, quod contumaciter violetur. Item, nec ob peccatum merè præteritum potest censura infligi ab homine, (nisi aliquo modo pendeat in futurum, ratione scandali, vel restitutionis non factæ, vel perseverantiæ in peccato post monitionem) quia abest contumacia. Nec refert, quòd quis ob peccatum præteritum, vel etiam sine peccato, (modó iusta causa subsit) possit ad tempus arceri ab aliorum consortio, altari, communione, &c. vt subindé fit in religionibus: & in iure etiam vocatur excommunicatio, vel suspensio, sed latè, quia non est censura propriè dicta, cuius violatio inducat irregularitatem, sed simplex tantùm pœna, Fil. *t.*11. *c.*6. *nu.*86.

7. Non incurrit censuram, qui legem transgreditur ex gravi metu, licèt quandoquè non excusetur à gravi culpa; qui non censetur contumax. Laym. *l.*1. *t.*5. *p.*1. *cap.*5. *nu.*9. Bon. *d.*1. *q.*2. *p.*3. *nu.* 2. ex Suar. Co. &c.

8. Censura invalida est ex triplici capite.

Primó, ob defectum ferentis, si scilicet careat iurisdictione, vel eam habeat impeditam per censuram, vel suspensam per legitimam appellationem, de qua V. Laym.

Secundò, si substantialis ordo iudicij prætereatur, vt si Reus non citetur, nec moneatur sub comminatione censuræ. Ratio, quia non est contumax, qui antè non fuit monitus de præcepto, & pœna annexa. Quod tamen intellige de censura ab homine lata per sententiam particularem: quia quę fertur à iure, vel per sententiam generalem, vel etiam specialem, respectu tamen actus futuri, non egent alia monitione; cum lex aut sententia se ipsa satis moneat. Idem est de sententia non illativa censuræ, sed declaratoria tantùm: quia absque alia monitione declarari potest censura incursa, quando crimen, cui est annexa, commissum esse evidenter constat. Porró vt censura sit licita, requiritur. 1. Vt dicta monitio sit Canonica, idest, trina, iuxta Canones; etsi aliquandó ex iusta causa sufficiat vna tribus æquivalens, v.g. moneo te semel pro tribus vicibus. 2. Vt ex scripto recitetur. 3. Vt causa censuræ exprimatur. 4. Vt Reo petenti exemplum scripturæ, intra mensem tradatur; alioqui iudex ipse suspenditur à divinis officijs. Fil. *t.*11. *c.*4.

Tertiò, ob defectum iustæ causæ. Hæc autem deficere potest tripliciter. 1. Si nec à parte rei, nec secundùm allegationes fori externi, subsistat. 2. Si à parte rei crimen subsistat quidem; non tamen in ordine ad iudicium: quia Reus de eo non confitetur, nec legitimè de eo convincitur. 3. Si à parte rei non subsistat crimen, etsi iuridicé probetur, ideòque titulum, seu causam præsumptam habeat Iudex. In quo casu, etsi sententia à parte rei sit iniusta, ideòque probabiliùs censura non liget in foro conscientiæ; in foro tamen externo servari debet propter scandalum. V. Lay. *p.*1. *c.*6.

(**)

Universidad de Deusto Biblioteca

DVBIVM V.

Qui possint absolvere à Censuris?

RESp. 1. A censura lata per sententiam particularem, ordinariè is tantùm potest absolvere, qui eam tulit, vel eius superior, vel successor, vel delegatus. Ab ea quæ lata est à iure communi, vel ab homine per sententiam generalem, si non sit reservata, potest absolvere quivis, qui censuratum potest absolvere à mortalibus: si verò sit reservata, ordinariè, & per se, potest tantùm relaxari ab authore legis, vel eius successore, vel delegato.

Dixi 1. *Ordinariè*: quia in articulo mortis quivis Sacerdos absolvere potest è quavis censurâ.

Dixi 2. *Per se*: quia per accidens, & ex privilegio possunt etiam alij Laym. *l.1. t.5. p.1. cap.7.*

Resp. 2. Episcopi, secundum Trid. *sess.24.c.6.* possunt. 1. Absolvere in foro conscientiæ, per se, vel Vicarium, ab omnibus censuris occultis, etiam in Bulla Cœnæ Papę reservatis, excepta hæresi, à quâ per se ipsos tantùm absolvere possunt, (quantum est ex vi huius decreti.) Dicitur autem censura occulta, quæ contracta est ob delictum non publicum, nec ad forum contentiosum deductum, aut si deductum fuit, à quo Reus ob defectum probationis fuit absolutus. Bon. *d.1. q.3. p.1. num.15. & p.2. nu. 1. ex declar. Card. &c.* 2. Possunt etiam sępè absolvere à censurâ Papæ reservatâ, propter impedimentum eius qui incurrit, vel quando propter senium, morbum, sexum, pauperiem, Pontifex non potest adiri. Bon. *l. c.* ex Navarr. Sanch. Avila, Con. &c.

Resp. 3. Multi religiosi, præsertim Mendicantes, possunt ex suis privilegijs, (in foro tamen interno tantùm) à varijs censuris absolvere. Vid. Dian. *p. 9. t.4. R.93.* Quare à superioribus suis illa privilegia petant, cùm ad confessiones audiendas exponentur, & circa ea sequentes regulas sequantur.

Prima. Qui habet potestatem absolvendi à censuris, reservatis Episcopo, non potest vi illius absolvere à reservatis Papæ.

Secunda. Qui habet potestatem absolvendi à reservatis Papę, non censetur posse absolvere à censuris Bullę Cœnę; eò quòd hę censeantur maiores, nec comprehendi in concessione generali. Dian. *p.5. t.12. R.34.* ex Suar. &c. contra Bossium.

Tertia. Qui habet potestatem absolvendi à censuris Bullæ Cœnæ, habet etiam à quibusvis Papalibus, & Episcopalibus à iure latis, etsi aliqui negent de excommunicatione contracta propter hæresim, de qua alij probabiliùs affirmant, præsertim pro regionibus septentrionalibus, pro quibus alioqui concessio per magnam partem esset inutilis.

Quarta. Possunt Regulares per sua privilegia, sicut ab alijs censuris Papæ reservatis, ita etiam absolvere duello certantes (idem de similibus casibus) post constitutionem Clementis VIII. sicuti poterant ante eam; præterquàm in Italia extra Vrbem: idque ex declaratione ipsiusmet Clementis apud Comitolum. *l.6 mor.* Regin. 21. *nu.*83. Fil. *t.1. t.15. c.5.* Laym. *l.3. c.3. p.3. c.5.*

Resp. 4. Amplia etiam solet dari potestas à censuris absolvendi in Iubilæis, in quibus diligenter considerandum quid, quantum, & quomodó concedatur. Si enim detur potestas absolvendi à casibus reservatis Papæ, etiam conceditur potestas absolvendi à censuris Papæ reservatis: quia is non solet reservare casus, nisi ratione censuræ, adiunctę. Porrò absolutio data confitenti bona fide in Iubilæo cum intentione lucrandi illud, etsi posteà, vel suà negligentiâ, vel propter aliud impedimentum non lucretur, est valida, tollitque censuram. Secùs si ab initio indulgentias lucrari noluerit: eo enim casu probabilius est absolutionem non valere, & tam peccata reservata, quàm censuram, de novo debere tolli ab eo, qui potest extra Iubilæum.

DVBIVM VI.

Quomodo danda sit absolutio à censura?

RESp. Id statuendum esse ex natura tum censuræ, tum cuiusvis absolutionis. *Ex qua circa absolvendi modum resolves.*

1. Ex natura rei non requiruntur certa verba, sed sufficiunt ea signa, quibus aperté significetur absolutio impendi. In foro tamen externo communiter servanda est forma cuiusque Episcopatûs. In foro autem conscientiæ hęc ferè est in vsu: *Ego te absolvo à vinculo, v.g. excommunicationis suspensionis, &c. quam incurristi propter NN. (talem causam,) &* (si sit excommunicatus) *restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium; aut* (si sit suspensus) *executioni suorum ordinum, vel officiorum, vel beneficiorum. In nomine Patris, &c.* In publica autem, ac solemni absolutione præmittitur Psalmus *Miserere*, & ad singulos versus, pœnitentis humeri denudati leviter percutiuntur (nisi ex iustâ causâ talis cæremonia videatur omittenda, præsertim in fœminis) tunc adiectis precibus absolvitur, & in Ecclesiam introducitur. Idem modus ferè servatur in absolutione mortuorum, nisi quòd sepulchrum virgâ percutiatur. *Vide Rituale Romanum.*

2. Absolvi à censura potest absens, imó, & invitus; etsi hoc communiter non liceat, ne censura contemnatur. Ratio, quia sicut pœna in absentem, & invitum potest statui, sic, & auferri. Turr. Dian. *p.5. t.9. Res.10.*

3. Is qui pluribus censuris est adstrictus, potest absolvi ab vna, relictis alijs, quia inter eas non est necessaria connexio. Vndè si dicatur, *absolvo te ab omni vinculo, &c.* valet pro omnibus: ideòque si sic absolutus in Iubilæo, fortè omisisset invincibiliter peccatum habens annexam censuram, idest, excommunicationem, posset is posteà ab eo peccato per quemvis approbatum absolvi: cùm non sit ampliùs reservatum, eò quòd censura, ratione cuius tantùm erat reservatum, sit sublata.

4. Absolutio vi, aut metu gravi iniustè incusso extorta, non valet; imò novam excommunicationem incurrit, qui metum incutit.

5. Absolutio data ab ordinario, non præstita satisfactione, etsi sit illicita, valida tamen est; imó etiam data à delegato, modó non delegetur cum conditione satisfactionis: quæ si impossibilis sit, sufficit præstare cautionem, aut iuramentum de satisfaciendo, cùm poterit.

6. Dari potest absolutio sub conditione de futuro contingenti; cùm sit actus iurisdictionis externæ, qui conditionatus esse potest. Communiter tamen non expedit sic absolvi: si enim

Reus absolutionem meretur, non debet apponi conditio; si non meretur, non debet absolvi.

7. Potest etiam dari absolutio ad reincidentiam, idest, pro certo actu, & tempore, quo transacto reincidat: item sub certo onere, quo non impleto, censura reviviscat.

8. Probabiliùs est, eum qui habet potestatem absolvendi in foro conscientiæ, à censura, posse id facere etiam extra confessionem, vt contra Navar. Suar. & alios docet Sanc. *l.* 8. *de matr. d.* 16. Con. Dian. &c.

CAPVT II.
De Excommunicatione.

DVBIVM I.

Quid sit, & quotuplex?

REsp. Excommunicatio est censura, per quam quis privatur communione Ecclesiæ. Estque duplex; Minor, quę tantùm privat vsu passivo, seu receptione Sacramentorum, & Maior, quę etiam dicitur Anathema, ac in iure ferè semper nomine excommunicationis intelligitur, privatque omni communione Ecclesiastica, secundum dicenda. Per hanc Maiorem excommunicatus, rursus est duplex; Toleratus, quem fideles non tenentur vitare. Non toleratus quem tenentur vitare. Et quidem post *Concilium Constantiense*, non tolerati sunt hi tantùm. 1. Notorius Clerici percussor, de quo infrá. 2. Quivis nominatim excommunicatus, & specialiter, ac publicé denunciatus. *Vndè resolves.*

1. In Germania Catholici secuté communicant cum ijs, qui notorié sunt Hæretici, & consequenter excommunicati; quia non sunt nominatim excommunicati, ac publicè denunciati.

2. Non teneris vitare eum, quem scis peccasse contra legem, per quam illi, etiam in particulari, sub pœna excommunicationis aliquid est vetitum, vel præceptum; quia requiritur, vt per sententiam expressam, & specialem, & contra personam in particulari, post peccatum commissum, censura sit publicata; v.g. vt Ioannes sit denunciatus excōmunicatus; vel saltē ita exprimatur persona vt non liceat de ea dubitare, v.g. *Excōmunicamus talis loci Decanū, Prætorem, &c.*

3. Licèt dicatur, *excommunicamus Pètrum, v.g. incendiarium, & eius complices*, solus Petrus vitandus est, non verò alij, etsi sint notorij: quia sententia quoad illos, est tantùm generalis, & non specialis contra certam personam.

4. Non teneris vitare eum, qui privatim in conclavi est denuntiatus: quia id non est factum publicè; ad hoc enim requiritur, vt sententia legatur, vel affigatur aliquo loco celebri, v.g. in Templo tempore Concionis, vel aliter pro more Regionis.

DVBIVM II.

Ob quam causam incurratur, & quem effectum habeat excommunicatio minor?

REsp. Incurritur ob vnicam tantùm causam, si quis nimirùm cum excommunicato maiore excommunicatione communicet ijs casibus, quibus non licet. Effectus eius est, privatio Sacramentorum perceptionis. Vide Laym. *l.* 1. *t.* 5. *p.* 2. *c.* 3. *Vndè resolves.*

1. Cùm iura dicunt, communicantem com excommunicato, incurrere similem excommunicationem, sensus est, quòd similiter, idest, verè excommunicetur, licèt minore.

2. Propter communicationem, cum excommunicato minore excommunicatione, etiam nominatim denuntiato, nulla incurritur censura.

3. Etsi excommunicatus minore excommunicatione, recipiendo aliquod Sacramentum non incurrat irregularitatem, graviter tamen peccat: administrando verò probabile est, nec venialiter peccare.

4. Incurritur hæc censura, etsi quis propter levitatem materiæ tantùm venialiter peccet, v.g. confabulando nominatim excommunicato, quando non licet: secùs si sit veniale propter imperfectum vsum rationis: quia pœna infligitur propter actum, qui quantum est ex se, sufficit ad mortale.

5. Etsi peccatum veniale possit omitti in confessione, non tamen illud, cui hæc censura est annexa, ne Sacramentum in ea recipiatur. Vndè etiam Confessarij ordinariè priùs absolvunt, fideles ab omni vinculo excommunicationis, etiam minoris, deindè à peccatis.

6. Ab hac excommunicatione lata à iure, absolvere potest Parochus, & quisquis potest à mortalibus, cùm non sit reservata. An verò qui potest absolvere à veniali, habente annexam hanc excommunicationem, possit etiam ab ipsa, quidam affirmant, vt Navar. & Tol. alij probabiliùs negant, vt Suar. Conin. quia sicut hæc absolutio est distincta à Sacramentali, ita etiam ad eam requiritur distincta iurisdictio, quæ nusquam conceditur omnibus Sacerdotibus. Vid. Layman. *l.* 1. *t.* 2. *p.* 2. *c.* 3.

DVBIVM III.

Quos effectus habeat excommunicatio maior?

REsp. Habet duplices; mediatos, & immediatos. Mediati, sive remoti sunt hi.

1. Irregularitas, quam excommunicatus incurrit, exercendo actum alicuius ordinis.

2. Si excommunicatus toto anno in excommunicatione contumaciter persistat; & vt iura loquuntur, insordescat, fit suspectus, de hæresi, & contra eum vt talem procedi potest, ex Trid. *sess.* 25. *c.* 3. ideòque (si crimen grave, & beneficij privatione dignum commisit) privandus est beneficio: imò etsi crimen non sit adeó grave, si tamen ad hæresis suspicionem purgandam citetur, tanquam hæreticus privari debet. Bon. *d.* 2. *q.* 2. *p. vlt.* ex Rebuf. Dian. Nav. &c.

Immediati effectus sunt sequentes.

1. Privat susceptione, & vsu passivo Sacramentorum: Vndè nullus excommunicatus, sive toleratus, sive, non, potest ea licitè recipere sub mortali, nisi excuset ignorantia invincibilis, metus mortis, infamiæ, iacturæ bonorum, &c. quia censura non obligat cum tanto rigore. Lay. *l.* 1 *t.* 5 *p.* 2. *c.* 2.

Dixi, *licitè*: quia validè suscipit omnia, saltem quoad substantiam, præter Pœnitentiæ; imò etiam hoc, si adsit ignorantia inculpabilis; dummodó cætera ad essentiam Sacramenti requisita non desint; quia per censuram non fit incapax absolutionis, nisi prohibeatur, eam recipere, priusquam absolvatur á censura. Bon. *d.* 2. *q.* 2. *p.* 2. ex Fill. Suar. Con. &c.

&c. Nec obstat, etiamsi excommunicatio sit reservata, vel Confessarius sciens peccata habere annexam excommunicationem, tamen ex malitiâ absolvat, docet Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 78. ex Con. Suar. &c. & *p.* 5. *t.* 9. *Res.* 53.

2. Privat (saltem non toleratos) communibus Ecclesiæ suffragijs, orationibus, & fructu indulgentiarum, non tamen privatis. Vndè non tantùm quivis privatus, sed etiam Sacerdos potest tanquam persona privata, pro excommunicatis orare, etiam in publicis precibus, & sacro; imò actionem sacrificandi, provt pendet à merito privato operantis oferre, vel eius in Memento in particulari meminisse.

Dixi, *tanquam privata*; quia vt minister Ecclesiæ non potest. Hinc irritæ sunt, ac nullæ omnes pecces, quas pro excommunicato in persona Ecclesiæ intercedentis pro ipso, Deo offert, adeóque privatur omnibus bonis, quæ in gratiam Ecclesię Deus concessurus fuisset.

3. Privat vsu activo Sacramentorum, & administratione. Quæ tamen excommunicato tolerato, & ad id requisito, & se non ingerenti, quandoque est licita, v.g. si sit Pastor, cuius subditi teneantur audire sacrum, nec sit alius, qui celebret: imò si etiam non Parochus fortè rogetur, & invitetur ad celebrandum. Ac licèt communis doctrina sit apud Laym. *hic c.* 4. peccare fideles, si sine causa necessitatis, vel magnæ vtilitatis, talem inducant ad Sacramentorum administrationem, quando alius minister haberi potest: contrarium tamen est probabile, ob facultatem concessam à Concil. Constant. cum talibus communicandi; & hinc nec illum, qui petit à tali Sacramentum, nec ipsummet excommunicatum, si conferat, præcisé ob censuram peccare. Laym. *l.c. num.* 5. ex Soto, & Sanch. *l.* 7. *de matr. d.* 9. *num* 8. Idem docet Bon. *d.* 2. *q.* 2 *p.* 2. §. 2. ex Vasq. Suar. &c. Non tolerato autem, illicita est Sacramenti administratio, præterquam in casu extremæ necessitatis: extra quam validè illud administrat, præterquam pœnitentiam, quia hæc requirit iurisdictionem, qua ipse caret. Vid. Lay. *hic cap.* 2. Bon. *l.c.*

4. Privat vsû divinorum officiorum: ita vt non tantúm careat eorum fructu, sed etiam sub mortali ijs nequeat interesse, parte notabili: ita vt moraliter censeatur cum alijs communicare; nisi excuset ignorantia, vel necessitas vitandi scandali, aliave iusta causa. Bon. *l. c.* 3. *p.* §. 1. ex Suar. Fil. &c. Similiter peccant etiam alij, qui cum excommunicato vitando, eidem Missę intersunt, vt ex communi docet Bon. *l.c. num.* 9. contra Durand. quia participant cum illo in divinis. Aliud tamen esset, si transiens per Ecclesiam aliud tractaret, vel breviter privatim, aut omninò separatim oraret, aut si alijs vnum Sacrum audientibus, ipse aliud audiret: quia sic moraliter non censeretur communicare cum alijs, nec coniungi ad vnam orationem fundendam. Bon. *l.c. num.* 16. ex Suar. Henriq. Fill. Conin. &c. Ac licèt peccatum hoc ex genere suo sit mortale; ex parvitate tamen materiæ, subindè tantùm est veniale, vt si exigua pars Missæ, v.g. vsque ad Evangelium tantùm cum illo audiatur. Avila, Dian. *p.* 5. *t.* 5. *Res.* 21. vel si Horæ privatim cum eo recitentur. Dian. *p.* 5. *t.* 9. *R.* 89. ex Suar. & alijs 9. Porró per divina officia intelliguntur Sacrificium Missæ, publica oratio, processio, cantus Horarum, benedictio olei, aquæ, candelarum, & cætera annexa ordini Clericali, quæ solemniter fiunt (excepta Concione) in quibus licèt alij fideles non teneantur vitare toleratum, tenentur tamen non toleratum sub mortali vitare, nisi vel levitas materiæ, vel ignorantia, aut simile quid excuset. Vndè, si talis præsens sit, moneri debet, vt recedat: si nolit, debet extrudi, vel exportari, licèt sit Sacerdos, nisi tamen gravius indè timeatur incommodum, ob quod si expelli non possit, omittendum est officium, etiam die festo, & celebrans nondum inchoato Canone debet abrumpere Missam; si inchoavit, potest cæteris abeuntibus, Sacrum prosequi, vel abrumpere, ob sententiæ vtriusque probabilitatem: si consecravit, debet, solo ministro manente, pergere vsque ad communionem inclusivé, & reliqua perficere in Sacristiâ, vel alio decenti loco. Quòd si excommunicatus negligat procurare absolutionem eo fine, vt non audiat Sacrum die festo, peccat mortaliter omissione Sacri; secùs si aliâ de causâ negligat. Quod si etiam obligatus est ad Horas, non excusatur ab illis, (etsi non debeat dicere, *Dominus vobiscum*, sed *Domine exaudi, &c.*) quas si cum alio privatim legat, venialiter tantùm videtur peccare.

5. Collatio beneficij facta excommunicato nulla est, vtì & presentatio, vel electio, institutio, & confirmatio. Ratio, quia excommunicatus etiam toleratus non potest communicare in officio, proindèque incapax est beneficij, quod datur propter officium. Idque licèt ignoretur excommunicatio; quia ignorantia invincibilis, etsi excuset à culpa, non tamen supplet defectum conditionis requisitæ ad valorem actûs. Vid. Less. *l.* 2. *c.* 34. *d.* 22. Imò probabile est, excommunicatum, quamvis beneficio antè obtento non privetur, fructus tamen, & distributiones non facere suas; ideòque eas teneri restituere, etiam ante sententiam Iudicis: quia est privatus officio; fructus autem dantur propter officium, velut merces propter opus. Ita Suar. & alij contra Sanch. & Con. qui probabiliter putant, ex consuetudine non teneri ante sententiam, modó per se, vel alium, inserviat beneficio.

6. Privat communicatione forensi. Vndé excomunicatus nequit esse Iudex, Advocatus, Procurator, (licèt pro semetipso respondere possit ipse. Conin. Præp. Dian. *p.* 5. *t.* 9. *Res.* 111.) Actor, Tabellio, Testis, &c. ita vt contra excommunicatum, etiam toleratum, semper possit Reus excipere. Quod si non faciat, nec Iudex eum repellat, valida eius acta erunt, si sit toleratus: secùs est de Iudice non tolerato, cùm sit privatus iurisdictione. Vide Laym. *c.* 2. Dian. *p.* 5. *t.* 9. *Res.* 112. 113. Non potest etiam esse Tutor aut Curator. Dian. *p.* 5. *t.* 9. *Res.* 115. ex Sylv. Neque testamenti executor. Dian. *p.* 8. *t.* 9. *Res.* 2. ex Carp. &c. contra Sanch. Lugo, &c. Si tamen non fiat oppositio, validè exequitur *Ib.* Nec potest ipse testari licitè, etsi faciat validè, etiam cùm excommunicatum instituit hæredem. Suarez, Villalob. Mere. &c. cum Dian. *loc. cit. Res.* 129. Denique contractus omnes ab eo facti (etsi sint illiciti, & ratione eorum non detur actioin foro externo durante executione) valent, nisi fiant ab eo vt personâ publicâ, vel Ministro ratione muneris, vel beneficij: quia tunc spectant ad iurisdictionem, quæ suspensa est. Dian. *p.* 5. *t.* 9.

Universidad de Deusto Biblioteca

p. 5. t. 9. Resol. 128. ex Conin. Fillinc. Merc. &c.

7. Excommunicatus non toleratus privatur vsu iurisdictionis. Vndè non potest validè eligere, conferre, præsentare, ferre leges, vel sententiam: & quisi sic beneficium à non tolerato accepit, dicendus est intrusus, ac proindè tenetur sine alia iuris declaratione, beneficium vnà cum fructibus relinquere.

Dixi, *non toleratus*: quia acta tolerati probabibile est esse valida ob bonum commune: graviter tamen peccat, si absque necessitate talia exerceat.

8. Non toleratus privatur Ecclesiasticâ sepulturâ, ita vt non possit in loco sacro, seu benedicto sepeliri, & si contrarium fiat, ac corpora discerni possint, debet exhumari, nec in eo loco divina peragi, ante reconciliationem.

Dixi, *non toleratus*: quia Ecclesia non polluitur, etsi hæreticus, non speciatim denunciatus, in eâ sepeliatur, vt docent Suar. Laym. & alij: iure nihilominús id prohibent Episcopi in Germania, eò quod inter cæteras pœnas non communicantium in Paschate, etiam statuatur privatio sepulturæ Ecclesiasticæ.

9. Excommunicatus privatur omni aliâ civili communicatione fidelium, ita vt ipse non possit cum alijs, & si non sit toleratus, etiam alij cum ipso non possint communicare: idque in casibus hoc versu comprehensis.

Os, orare, vale, cõmunio, mensa negatur.

Dicitur 1. *Os*, per quod intelligitur osculum, & omne colloquium, etiamsi privatim, item per nutus, litteras, internuntium, & quodvis signum benevolentiæ.

Dicitur 2. *Orare*, idest, omnis communicatio in divinis, de qua suprà.

Dicitur 3. *Vale*, quod comprehendit omnem salutationem, (saltem honorificam) verbo, vel signo, vel amplexu, & secundùm quosdam, etiam resalutationem, eò quòd sit actus observantiæ. Sed contrarium videtur verius, quia est solutio debiti. Imò Sayr. &c. cum Dian. *p. 5. t. 9. Res.* 16. putant probabile, quòd sola verbalis salutatio sit prohibita non autem alia signa, v.g. aperiendo caput, &c. quæ vrbanitatis causâ fieri solent.

Dicitur 4. *Communio*, quæ comprehendit, omnem contractum (qui tamen validus est si fiat) item cohabitationem, cooperationem, societatem, v.g. in contractibus, ita vt moraliter censeatur communicare, quod prudens æstimabit; vndè nec iter cum eo tanquam cum socio facere licet.

Dicitur 5. *Mensa*, per quam intelligitur omnis convictus, & convivia, per modum societatis, & commercij: qualis non est, si casu incidas in idem hospitium, iter, mensam, imó lectum. Vide Bon. *d. 2. q. 2 p. 6. §. 1. & 2.*

Quæres 1. Quale peccatum sit communicare cum excommunicato non tolerato?

Resp. Communicatio in divinis censetur mortale propter gravitatem materiæ, in civilibus autem, (etsi inducat minorem excommunicationem) secluso tamen contemptu, tantùm est veniale regulariter. Suar. Baun. &c. Dian. *p. 7. t. 11. Res.* 47. Quod addo, quia aliquando est mortale, vt si quis cum excommunicato communicet in eodem crimine, v.g. si quis concubinam excommunicatam cognoscat.

Quæres 2. An aliquando liceat cum non tolerato communicare?

Resp.

Resp. Quód sic, extra divina, in his quinque casibus. 1. In casu vtilitatis, sive spiritualis ipsius excommunicati, v.g. vt convertatur, sive alterius, vt ab excommunicato consilium petat, quod ab alio habere non potest; sive etiam vtilitatis temporalis, v.g. vt ab eo restitutio, vel debitum ex contractu petatur. Contractus tamen novos cum ipso inire non licet, etsi, si ineantur, sint validi, cùm nulla sit lex irritans. 2. In casu legis matrimonialis: quomodò vxori licet communicare cum marito, & contrâ, nisi factum sit divortium. Dian. *p. 5 t. 9. Resol.* 122. non tamen sponsus de futuro cum sponsa, *l.c. Res.* 126. ex Sayr. Sanch. & Fil. 3. In casu subiectionis: quomodó possunt filij etiam emancipati, (addit Dian. *p. 5. t. 9. Resol.* 118. 119. ex Con. Fil. Hurt. &c. etiam adoptivi, vel illegitimi: imó etiam nepotes, pronepotes, & in eodem genere affines) communicare parenti; servi, & ancillæ domino, si ante excommunicationem fuerint in servitio. Similiter religiosi, Prelato: non tamen nisi quoad eam communicationem, quæ ab habitantibus in eadem familia evitari non potest. Dian. *l.c. Res.* 127. contra Sotum, Vide Fill. *tr.* 12. *c.* 8. *nu.* 203. Laym. & Bon. *l.c.* 4. In casu ignorantiæ, iuris vel facti. 5. In casu necessitatis, sive animæ, sive corporis, sive bonorum temporalium, qui casus hoc versu comprehenduntur.

Vtile, lex, humilis, res ignorata, necesse.

DVBIVM IV.

Ob quas causas incurratur excommunicatio maior?

CVm hę multę sint, varię sunt etiam excommunicationes, quæ in quatuor potissimùm classes dividuntur: nam aliæ nulli, aliæ Episcopo, aliæ Pontifici, per bullam Cœnæ, aliæ eidem extra illam reservantur.

ARTICVLVS I.

Quæ sint excommunicationes non reservatæ?

RESp. 1. Ex iure antiquo vsitatiores sunt sequentes.

Contra omnes. 1. In vexantes Ecclesiasticos, quód non elegerint eum, pro quo rogati fuerant. 2. In directores Monialium, si foveant discordias in electione. 3. In extorquentes absolutionem à censurâ per vim, aut metum. 4. In compellentes Ecclesiasticos, vt laicis submittant iura Ecclesiæ. 5. In docentes leges, vel medicinam Religiosos, qui dimiserunt habitum, vel eos retinentes in suis scholis. 6. In sepelientes tempore interdicti, vel interdictos, vel excommunicatos non toleratos, vel manifestos vsurarios. 7. In impedientes visitatores Monialium. 8. In contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis, vel cum Monialibus. 9. In edentes Glossas in Tridentinum. 10. In imprimentes libros sine Superiorum licentiâ. 11. In præcipientes suis subditis, ne officia communia Reip. exhibeant Ecclesiasticis, v.g. ne ijs vendant, coquant panes, &c. 12. In Doctores, & Professores non facientes professionem fidei, vbi recepta est Bulla Pij IV. 13. In negligentes administrare iustitiam Ecclesiasticis. 14. In Magistratus foventes vsuras.

Contra Clericos. 1. In Clericos in dignitate constitutos, aut Sacerdotes audien-

Universidad de Deusto Biblioteca

dientes publicè ius, aut medicinam. 2. In Sacerdotes recipientes præfecturas sæculares. 3. In Clericos minores Episcopis, locantes domos vsurarijs. 4. In alienantes bona Ecclesię, vel locantes vltra triennium. 5. In impugnantes in Concionibus montes pietatis. 6. In contrahentes matrimonium, si sint in sacris. 7. In fictè resignantes, vel permutantes beneficia. 8. In præsumentes absolvere à casibus Bullæ Cœnæ.

Contra Religiosos. 1. In audientes leges, vel medicinam extra claustra. 2. In habitum temerè dimittentes, vel matrimonium contrahentes. 3. In instituentes novum ordinem. 4. Adeuntes Curias Principum, ad nocendum suis Monasterijs, vel Prælatis. 5. Tenentes arma sine licentia intra claustra. 6. Non servantes interdictum, quando servatur à Cathedrali. Vide Fil. *to.1.t.14.15.c.84.* Bon. *d.3. p.5. §.1. nu 36.*

Resp. 2. Supradictis adiectæ sunt à Tridentino sequentes, quæ valent, vbi illud est receptum. 1. In imprimentes, imprimi mandantes, vendentes, apud se retinentes, vulgantes libros de rebus sacris, sine nomine Authoris, & approbatione ab Ordinario obtenta. 2. In docentes, non esse necessariam confessionem ante sumptionem Eucharistiæ. 3. In raptores mulierum, iuvantes, faventes. 4. In cogentes contrahere matrimonia, cum præscriptis. 5. In Magistratus, qui requisiti non iuvant Episcopos, ad restituendam, vel conservandam clausuram Monialium. 6. In ingredientes (cuiuscumque conditionis, vel sexûs fuerint) Monasteria Monialium, sine licentia in scripto obtenta. 7. In cogentes mulierem ingredi Monasterium, & proficeri. 8. In impedientes, sine iusta causa, sanctam voluntatem mulierum emittendi votum. 9. In dominos temporales, concedentes in terris suis locum pro duello.

ARTICVLVS II.

Quæ sint excommunicationes reservatæ Episcopis?

Resp. Sunt hæ. 1. Quæ contrahitur ex levi percussione Clerici, vel gravi, si sit mulier. 2. In eos qui absoluti in articulo mortis (à censura, vel peccato habente censuram annexam) ab eo, qui aliàs non poterat, non præsentant superiori se, postquàm convaluerunt. Vid. Fill. *t.15. cap.10. nu.241. & 242.* 3. In Fratres Minores, si admittant in suis Ecclesijs, ad officia divina, Fratres tertij Ordinis. 4. In procurantes abortum fœtus animati, effectu secuto. 5. In eos, qui communicant in eodem crimine cum excommunicatis ab Episcopo. 6. Eę omnes, quas ferunt Episcopi per propria statuta, & sibi reservant: quas Confessarij videant in Agendis.

ARTICVLVS III.

Quæ sint Papæ reservatæ extra Bullam Cœnæ?

Resp. 1. *Contra omnes*, magis obviæ sunt sequentes. 1. In incendiarios. 2. In habentes litteras Apostolicas falsas, & non destruentes: item in falsarios litterarum Apostolicarum. 3. In effringentes, & spoliantes Ecclesias. 4. In communicantes eodem crimine cum excommunicatis à Papa. 5. In vexantes eos, qui censuram in alios tulerunt. 6. In absolutos ab excommunicatione, sub conditione, & non implentes. 7. In violantes interdictum Papale. 8. In dantes, & recipientes aliquid ex pacto, ob admissionem ad religionem. 9. In Simoniacos reales circa ordinem, vel beneficium. 10. In committentes simoniam confidentialem. 11. In impedientes executionem litterarum sacræ Pœnitentiariæ. 12. In dantes, & recipientes aliquid, pro gratiâ, aut iustitiâ apud sedem Apostolicam. 13. In committentes duellum, & ad id cooperantes, suadendo, &c. 14. In mulieres ingredientes Monasteria Regularium. 15. In impugnantes institutum Societatis IESV. 16. In facientes iurare illicita, & contraria libertati Ecclesiasticę. 17. In rapientes bona Ecclesiastica: item in exigentes tributa ab Ecclesiasticis. 18. In violantes libertatem Ecclesiasticam, quoad fugientes ad Ecclesiam. 19. In docentes posse fieri confessionem in absentiâ. 20. In eos, qui alterutram opinionem de Conceptione B. Virginis damnant peccati mortalis, vel hæreseos: item in eos, qui in concionibus, alijsque publicis actibus, vt lectionibus, conclusionibus, asserunt B. Virginem conceptam in originali. 21. In percussores Clericorum. Quæ cùm celebris sit, & multa scitu necessaria habeat, agetur de ea peculiariter infrà.

Resp. 2. *Contra Clericos, & Religiosos sunt hæ.* 1. In participantes in sacris cum excommunicatis à Papa. 2. In procurantes alienationem Ecclesiarum. 3. In Concionatores, qui Scripturæ sensum, à Doctorum interpretatione alienum circa tempus Antichristi, & extremi iudicij, aliaque similia revelata prædicant. 4. In Parochos non implentes iuramentum de residentia factum. 5. In Mendicantes transeuntes ad alium ordinem, pręter Carthusianum. 6. In Moniales exeuntes claustra sine licentia. 7. In religiosos, qui sine privilegio, vel speciali licentia Parochi, Clericis aut Laicis Sacramentum Eucharistiæ vel Vnctionis ministrare, vel Matrimonia solemnizare præsumunt.

ARTICVLVS IV.

Quomodò intelligenda sit excommunicatio percussoris Clericorum?

Resp. Ea sic habet: *Si quis suadente diabolo in Clericum, vel Monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum præsumat illum absolvere.*

Dicitur 1. *Si quis*: intellige cuiuscumque sexûs, aut statûs, etiam impubes, dummodò rationis compos, & doli capax. Extenditur autem ad efficaciter mandantes, consulentes, & consentientes suo nomine factam ratihabentes; non impedientes, saltem si ex officio aut iustitia teneantur, vt Reges, Iudices, & cæteri superiores. Item patres, tutores, heri, pædagogi, Parochi &c. quibus aliorum cura demandata est. Ita Lay. *l.1 t.5. p.2. c.5. nu.6.* Bon. *d.2. q.4. p.1. nu.8.* ex Molin. &c. commun.

Dixi, *saltem, &c.* quia si ex charitate tantùm teneantur, etiam excommunicari, docent Suar. Caiet. Fil. Medin. Sayr. &c. Verùm id probabiliùs negat Bon. *l.c.* ex Navar. Conin. Regin. Henriq. Molin. &c.

Dicitur 2. *Clericum*: quo nomine intelli-

Universidad de Deusto Biblioteca

telligitur omnis primâ saltem tonsurâ initiatus, (etiamsi coniugatus, dummodo cum vnica virgine,) & deferat habitum, serviatque alicui Ecclesiæ: item etiam excommunicatus, suspensus, interdictus, degradatus verbaliter tantùm.

Dicitur 3. *Monachum*: intellige quemvis religiosum, etiam laicum, conversum, novitium, vtriusque sexûs; item tertiarias S. Dominici, S. Francisci, si gestent habitum, & vivant in communitate: item Eremitas subiectos alicui regulæ, vel superiori.

Dicitur 4. *Manus iniecerit*: per quod intelligitur quævis contumeliosa actio exterior mortalis, circa Clerici personam, vel res ei adhærentes, sivè fiat manu, sive baculo, gladio, &c. Bon. *d.* 2. *q.* 4. *p.* 1. *Ex dictis resolvuntur sequentes casus.*

1. Hanc excommunicationem incurrit. 1. Qui talem conspuit, conspergit aquâ, pulvere, conspurcat luto; evellit crinem, lacerat vestem, eripit aliquid per vim, & iniuriam de eius corpore, v.g. pileum, pallium, &c. ita vt actio sit graviter iniuriosa. Bon. *d.c.* Lay. *c.* 5. *nu.* 5. 2. Qui concludit, aut violenter detinet carcere, vel loco, vndé sine dedecore non potest exire. *Ibid.* 3. Qui persequitur, vt in flumen, vel fossam incidat, equo decidat, &c. *Ibid.* 4. Qui manus violentas inijciat in equum, cui is insidet occidendo, vulnerando, cædendo, sistendo per frenum, quæ actio licèt sit levis respectu corporis, non tamen respectu honoris. *Ibid.* 5. Qui aliquid supradictorum faciat, etiam Clerico consentiente, dummodo sit iniuriosum ordini Clericali. Laym. *l.c.* 6. Clericus, si seipsum ex malitia, vel passione (secùs si ex devotione) percutiat iniuriosé. Laym. *l.c.* ex Navar. 7. Qui percutit Clericum etiam meritum, si fiat, vel per quem non debet, vt si morte dignus puniatur à Iudice sæculari, vel modo illicito, vt si à Prælato punitur per laicum. Bon. *l.c.* ex Nav. Sayr. Suar. Fill. Con. &c. Vid. Laym. *c.* 5.

2. Non incurrit. 1. Fur, qui clam abscindit crumenam, vel vestem tollit Clerico: quia non est actio violenta, sed fraudulenta. Bon. *l.c.* 2. Si percussio sit iocosa, vel casualis, v.g. si ianitor, vel apparitor turbam arcens percutiat Clericum: item si pueri habentes primam tonsuram se pugnis percutiant. Bon. *l.c.* ex Mol. Fill. Con. &c. item si percussio sit ad defendendum se, vel vitam suam, vel vxoris, parentum, filiorum, vel res suas, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ. Laym. *infrà.* Et deniquè quandocumqué percussio ob levitatem, vel imperfectionem actûs non esset mortalis illata laico, vt docent Caiet. Avila, & Sà, quod tamen Suar. vniversaliter non admittit. Vid. Bon. *l.c.* 4. Si fiat in tenebris, vel Clericum non agnoscas, quód habitum non gestet; quia ignorantia excusat. 5. Si Prælatus, præceptor, pater, subditum in minoribus constitutum correctionis causâ (licèt ira accedat) percutiat moderaté, habita ratione culpæ, imó Prælatus, & Præceptor Ecclesiasticus potest etiam in maioribus constitutum castigare. An idem possit pater, controvertitur in vtramque partem probabiliter. Vid. Laym. *loco mox citando.* 6. Si percutiatur realiter degradatus, vel bigamus; vel exerceat publicè officium cauponis, vel macellarij, vel scurram, & ter monitus non cesset; vel inventus turpiter agens cum vxore, matre, sorore, vel filia: vel deniquè mulierem

lierem ipso facto sollicitans ad turpitudinem: quia perdit privilegium. V. Lay. *l.* 1. *t.* 5. *p.* 2. *c.* 5. Fill. *l.* 15. *c.* 1.

Resp. 2. Etsi hæc excommunicatio sit reservata Papæ, potest tamen Episcopus ab ea absolvere his casibus. 1. Quandó percussio, etsi sit mortalis, est tamen prudentum iudicio levis, comparata cum enormi, v.g. si fiat palmâ, pugno, aut lapide, non relinquente vestigium, & secundúm Ant. & Dian. *p.* 9. *t.* 4. *R.* 19. nisi notabilem iniuriam, & magnum scandalum pariat; qualem neget esse, si quis Sacerdotem pugno percutiat in faciem, licèt guttæ sanguinis effluãt: Enormis verò erit, si membrum præscindatur, copiosus sanguis fundatur; vel etiam ratione dignitatis personæ, vt si percutiatur Episcopus, vel Abbas etiam alapâ. 2. Si percussor sit impubes, pauper, æger, senex, mulier, cœcus, claudus, servus, filius familias, vel non sui iuris, vtì, & regulares, ac moniales invicem verberantes: item si sint homines delicati, & quotquot habent legitimum impedimentum, vt non possint ire ad Papam, aut eius legatum; vel si dubium sit de excommunicatione. Fill. *lib.* 15. *c.* 1. *nu.* 35 *& sequent.* Deniquè si sit occulta, *vid. supra hic. c.* 1. *d.* 5. & Dian. *p.* 9. *t.* 4. *R.* 63. In quibus omnibus casibus pro foro conscientiæ potest etiam facultas absolvẽdi impetrari (gratis quidem) ex Pœnitentiariâ Romanâ à maiore Pœnitentiario, vt *vid supr. hic l.* 1. *t.* 2. *c.* 4. *in appẽd.*

ARTICVLVS V.

Quæ sint excommunicationes Papæ reservatæ per Bullam Cœnæ?

Resp. Præcipua est in hæreticos: quę extenditur non tantùm ad fautores; receptatores, & defensores hæreticorum vt sic, sed etiam in scienter retinentes, legentes, imprimentes, & defendentes libros hæreticorum, de religione tractantes, vel hęresim continentes. Ad quam excommunicationem incurrendam requiruntur 4. conditiones. 1. Vt author libri sit hęreticus. 2. Vt liber hæresim expressè contineat, vel de religione agat. 3. Vt legatur materia notabilis, & sufficiens ad mortale. 4. Vt scienter legatur, imprimatur, vel retineatur. Laym. *l.* 2. *t.* 1. *c.* 15. *nu.* 1. *Vndè resolves.*

1. Non excommunicaris. 1. Si legas libros Catholicorum refentes verba hæreticorum, etiamsi animo hæresim discendi legas. Laym. *l.c.* ex Nav. Sanch. &c. 2. Si in Catholici scriptoris libro, vel alio, hac Bulla non contento, legas adiecta scholia, vel notas authoris hæretici: quod tamen Suar. *t.* 5. *d.* 21. *s.* 2. limitat, nisi scholia essent tam copiosa, vt ex ijs potiùs, quàm ex textu liber constare videretur. Laym. *l.c.* ex Nav. Sanch. &c.

2. Non prohibentur hæreticorum libri philosophici, & alij hæresim non continentes. Laym. *l.c. nu.* 3. Imò probabiliter nec ij, qui incidenter tantum continent hæresim, non agentes ex professo de fide. Sayr. Graff. apud Laym. *l. c.* contra Suar. & Sanch. qui id confirmat pro Germania, vbi Bulla cum tanto rigore non est recepta. V. Becan. 2. 2. *c.* 15. *q.* 8. Legens tamen tales, incurrit excommunicationem non reservatam Indicis librorum prohibitorum, vbi is receptus est: quod non videtur esse factum in Germania, saltem cum isto rigore, vt habet. Laym. *l.c. nu.* 8.

3. Excommunicatur 3. Qui in sufficiente

Universidad de Deusto Biblioteca

ciente quantitate solùm procemium, vel epistolam ad lectorem, vel indicem libri, vel partem libri, in qua nulla est hæresis, legit, vt habet Laym. *l.c.*& Bonac. 2. Probabiliter etiam is qui alterum iussu suo legentem audit: quia legit per alium. Lay.*l.c.* Azor,&c. contra Sanch.

4. Probabiliter non excommunicatur, qui hæreticam concionem, aut epistolam seorsim editam legit; quia non est liber. Lay.*loc. cit. nu.*3. ex Sanch.

5. Non sufficit vna, alterave linea; imò secundum Sanch. Rodr. & Sà, nec integra pagina,etiam magni voluminis: quod tamen. Bon. & Lay. *l.c.* non concedunt; licèt hic fateatur, confessario id posse ad hoc servire, vt non continuó damnet peccati mortalis, & excommunicationis eum,qui bono fine,vel etiam ex curiositate vnam paginam legit.

6. Non incurritur, si retinentur libri parvo tempore v.g. vno alteróve die: quia sicut materiæ, ita & temporis parvitatis excusat.Laym.*nu.* 7. ex Graff. Sayr.Sanch.&c.

7. Excusat ignorantia,etiam crassa, si vel nescias hæreticum, vel tractare de religione.Lay.*n.*4.V.Sanch.*l.*2.*mor.c.*10. *& l.*9.*de matr.d.*31.

8. Non excusatur is, qui librum, vel in alienâ domo, vel alieno nomine, vel animo non legendi habet.Item, nec is, qui affirmat non esse pravum, non esse exurendum. Item, qui impedit ne comburatur, qui disputationis causâ defendit. Ita Bon. qui tamen excusat eum qui laudat stylum, vel ingenium authoris, vel bonam doctrinam, quæ in eo est, sed non quatenùs in eo est; v.g.si dicas, hic liber esset bonus si non haberet hæresim;quia talis non defendit. V.Lay. *l.c.* Bon. *d.* 2. *q.*5. *p.* 4.

CAPVT III.

De Suspensione, & Degradatione.

DVBIVM I.

Quid sit suspensio,quotuplex,& vndè dignoscendum, qualis, & quanta sit?

RESp. 1. Suspensio est censura, quâ Clericus functiones aliquas Ecclesiasticas exercere prohibetur. Vid. Bon. *d.*3.*p.* 1. Laym. *l.*1. *tr.*5.*p.*3. *c.* 1. *Vndè resolves.*

1. Solus Clericus potest suspendi.

2. Suspendere possunt,qui possunt ferre censuras.

3. Ex genere suo, & nisi parvitas materiæ excuset, est peccatum grave, exercere actum per suspensionem prohibitum: vndè, & irregularitatem inducit. Si tamen suspensus toleratus se non ingerat in tales functiones, sed ab alijs propter vtilitatem requiratur,probabiliter non peccat,cum alij licitè requirant. Imó etsi nominatim sit denunciatus, & toleratus, alij tamen non tenentur sub mortali eum vitare, nisi censeantur cooperari actui, à quo suspensus est, vndè audire eius Missam, non erit peccatum, (saltem mortale) si non inservias. Ita probabiliter Avila, Henriq. Suar. Sayr. apud Bonac. *d.* 3. *p.*4. *nu.* 4. etiam Lay. *l.c. cap.* 1. *n.*7.

4. Suspensus non toleratus invalidé absolvit; quia non habet iurisdictionem.

Resp. 2. Suspensio 1. Alia fertur ad certum tempus, quo elapso expirat:alia fertur absolutè, seu indefinité, manetque, donec per absolutionem tollatur;

2. Alia

2. Alia est ab officio, sive id sit ordinis, sive iurisdictionis: alia à beneficio: alia ab vtroque. 3. Suspensio ab officio, vel est à toto, vel à parte tantùm, scilicet à functione Ordinis, vel iurisdictionis. Item suspensio beneficij, vel est à beneficio absolu é, vel à quibusdam tantúm functionibus, eius ratione competentibus Lay.Bon.*ll.cc.*

Resp. 3. Quantitas, & qualitas suspensionis colligi debet ex verbis, quibus fertur. Quæ vtpotè in re odiosâ non ampliùs sunt extendenda,quam propriè accepta significent. *Vndè resolves.*

1. Suspenso absolutè, & in toto, prohibetur omne exercicium ratione officij proveniens, tam Ordinis, quàm iurisdictionis, & consequenter non potest celebrare, nec validè excommunicare, beneficia conferre, &c. Suspensus verò à parte beneficij determinatâ, v.g. ab Ordine tantùm,vel iurisdictione,privatur tantùm illius officij functionibus. Vndè Episcopus v.g. à iurisdictione suspensus, etsi non possit excommunicare, absolvere, delegare, &c. potest tamen exercere actus Ordinis, vt consecrare Templa, ordinare, &c. Bonac.*l.c.*

2. Suspensus à certâ functione Ordinis, v.g. à Sacramentorum administratione, non est suspensus à sacrificio. Similiter suspensus ab Ordine, potest nihilominùs conferre primam tonsuram quia non comprehenditur sub Ordine. Bon.*p.*2.*num.*6.

3. Suspensus ab officio simpliciter non intelligitur suspensus à beneficio, seu fructibus eius.Debet tamen per aliũ supplere, quæ per se nequit, vt fructus percipiat. Bon. *n.*10. ex Nav.Suar.Henr. Fil. &c.

4. Suspensus ab Ordine non videtur suspensus á beneficio; quia beneficium non fundatur in Ordine. Bon. tamen dicit, indirectè suspendi à fructibus eius; quia dum non potest facere officium, non potest percipere fructus *Vide num.*5.

5. Suspensus à beneficio, etsi hoc ipso intelligatur suspensus á recipiendis fructibus eius, non tamen ab officio, sive iurisdictionis, sive Ordinis, etiam quod illi ratione ipsius beneficij competit. Vndè tenetur legere Horas, & cætera onera beneficij præstare, licèt fructibus non fruatur:hoc enim debet sibi imputare. Non tamen privatur commodo, quod provenit ex anniversarijs stipendijs Missarum, nec eo, quod datur propter onus personale Clerici:quia non sunt fructus beneficij. Secùs est de distributionibus quotidianis; licèt ex his, vel alijs, beneficij fructibus possit: ali, si aliundè sustentari nequeat.Bon.*l.c.n.*12. Sayr. Suar. Fil. &c.

6. Suspensus à beneficio potest nihilominùs eligere, præsentare, conferre beneficium; quia etsi hæc iura competant illi ratione beneficij, illi tamen actus non sunt beneficij, præcisè vt sic, sed potiùs officij, & iurisdictionis. *Ibidèm.*

7. Suspensus à beneficio, vel Ordine absolutè, & sine addito; intelligitur suspensus ab omni beneficio, vel Ordine, nisi aliundè aliud constet. *Ibid. num.* 8.

8. Suspensus absolutè, intelligitur ab officio, & beneficio. Laym. *c.* 1. *num.* 2.

9. Suspenso Capitulo, vel Conventu, non censentur suspensi singuli, nisi sint in culpâ, ait Sà:*V. Suspensio.*Et Lay.*l.c.c.*2.*nu.* 3.

Universidad de Deusto Biblioteca

10. Si Prælatus solo verbo dicat Sacerdotio Suspendo te, v.g. à celebratione, videtur esse simplex tantùm prohibitio, non censura; quia hæc licitè non fertur, nisi scripto. Prælatus non debet præsumi velle peccare, nisi aliud constet de eius intentione, aut nisi Religio habeat privilegium, absque scripto ferendi censuras. Vide Bon. *de censuris in communi, d.* 1. *q.* 1. *p.* 1.

DVBIVM II.

Quæ sint suspensiones in particulari, & quis ab eis possit absolvere?

RESP. 1. Suspensiones iuris communiores sunt sequentes.

1. Clerici ipso iure suspensi sunt. 1. Recipientes Ordinis sacros ab alieno, vel à proprio, in aliena Diœcesi; vel sine ætate legitimâ, aut dimissorijs, aut titulo, vel extra tempora, aut non servatis interstitijs, vel per saltum, vel in censurâ, vel deniquè post matrimonium ratum: qui omnes suspensi sunt ab executione Ordinum, nisi fecerint absque dolo; & si ordine vtantur, fiunt irregulares. 2. Excommunicans, suspendens, aut interdicens sine scripturâ, & causæ expressione, est suspensus per mensem ab ingressu Ecclesiæ, nisi sit Prælatus regularis. 3. Clerici scienter eligentes Episcopum vel Parochum indignum, suspenduntur à beneficijs biennio. 4. Ordinans, & ordinatus simoniacè, est suspensus ab Ordinibus. 5. Parochi iungentes sponsos alterius Parochi sine licentiâ. 6. Gravantes alienis debtis Ecclesias sibi commissas. 7. Occupantes bona, vel census Ecclesiæ, beneficij, vel alterius pij loci. 8. Sodomiam exercentes, simoniaci, provocantes ad duellum, vel acceptantes, raptores, vel præbentes auxilium. 9. Disputantes in alterutram partem in cœtu virorum, ac mulierum, de immaculatâ Conceptione B. Virginis. 10. Visitantes, si accipiant pecuniam, vel munera: qui si sint Episcopi, suspensi sunt ab ingressu Ecclesiæ; si inferiores Episcopo, ab officio, & beneficio, vsque dum restituant duplum. 11. Iudex Ecclesiasticus (non Episcopus) qui facit iniuriam contra iustitiam, & conscientiam parti litiganti. Vid. Bon. *d.* 3. *p.* 5.

2. Religiosi. 1. Apostatę recipientes Ordines in Apostasiâ. 2. Admittentes ad professionem ante annum probationis peractum. 3. Non vtentes habitu, & vestitu, modo sibi præscripto. 4. Introducentes mulieres in Monasteria.

3. Episcopus. 1. Ordinans non subditum, suspensus est à Pontificalibus per annum: ordinans verò invitum suspensus est per annum à celebratione. 2. Admittens resignationes, contra formam præscriptam. 3. Intrans Monasteria Monialium sine necessitate. Vid. Fil. *t.* 17. *c.* 5.

Resp. 2. Præter has suspensiones, aliæ sunt ab homine: quæ si sint graves, requirunt culpam mortalem, v.g. vt quis suspendatur ab omnibus actibus sui officij, vel fructibus vnius anni. Potest tamen aliquis ob peccatum veniale privari vno actu, v.g. eligendi.

Resp. 3. Habens Episcopalem auctoritatem potest absolvere à suspensione non reservatâ, & communiter Religiosi ex privilegijs possunt absolvere ab omni suspensione in foro conscientiæ: & Episcopus potest absolvere ab omni suspensione iuris, si Sedi Apostolicæ specialiter reservata non sit. Laym. *c.* 4. *nu.* 2. ex Nav. Suar. &c. Imò etiam ab hâc, si proveniat ex delicto occulto, & non deducto ad forum contensiosum. Bon. *d.* 3. *p. vlt.* ex Trident. *sess.* 24. *c.* 6.

DVBIVM III.

Quid sit depositio, & degradatio, à quo & ob quam causam fieri possit?

SVbijci solent suspensioni depositio, & degradatio (etsi censuræ non sint, vt dictum est *c.* 1.) ob similitudinem, quam habent cum suspensione, cùm vtraque sit ab Ecclesiastico Ordine, aut beneficio. Differunt autem à suspensione quod illæ auferant ipsum ius radicale, & titulum beneficij, idque in perpetuum; suspensio non item. Porrò depositio genericè accepta, alia est verbalis, que absolutè depositio dicitur; alia realis, quæ dici solet degradatio.

Resp. 1. Degratio est privatio executionis officiorũ, & beneficiorum simpliciter, & in toto, & absque spe restitutionis, facta cum certa solemnite, & privatione privilegij Clericalis; tam Canonis, quàm fori, ita vt sæculari curię subdatur.

Dixi, *Executonis*: quia Ordo ipse non potest tolli. Interim degradatus tenetur ad vorum castitatis, si fuit in sacris, & ad horas, nisi has fortè pœna, ad quam damnatur, v.g. triremes, vel aliud impediat.

Resp. 2. Depositio verbalis est similis privatio, sed sine solemnitate dictâ, & relicto vtroque privilegio, Canonis, & fori.

Resp. 3. Clerici possunt degradari à suo Episcopo, sed non ab inferioribus illo: deponi temen possunt ab eodem per Vicarium.

Resp. 4. Depositio fieri potest in casibus iure expressis, & delictis: non tamen, nisi gravioribus, arbitrio Iudicis. Vbi notat Lay. crimen debere esse enorme, idest, vnum ex maximis. Degradatio similiter fieri potest in casibus tantùm gravissimis, quales sunt v.g. crimen hæresis manifestum, falsificatio litterarum Apostolicarum, Sodomia frequentata, gravis calumnia proprio Episcopo irrogata. Vide Layman. *hic c.* 5. & Fill. *t.* 18 *c.* 8.

CAPVT IV.

De Interdicto.

DVBIVM I.

Quid sit, & quotuplex?

RESP. 1. Est censura Ecclesiastica, prohibens divinorum officiorum, Sacramentorum aliquorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ vsum, quatenùs talis est. Quod addo, quia excommunicatio eodem privat, quatenùs est communicatio cum fidelibus: suspensio verò propriè non illum vsum, sed exercitium potestatis Ecclesiasticæ impedit. Vide Lay. *l.* 1. *t.* 5. *p.* 4. *c.* 1 Bon. *d.* 5. *p.* 1.

Resp. 2. Interdictum dividitur 1. In locale, quod immediatè locum afficit; & in personale, quod immediatè afficit personas, & in mixtum, quod immediatè afficit locum, & eius incolas: Differt autem locale à personali, quod in illo participatio sacrorum officiorum, tum indigenis, tum alienigenis non absolutè, sed in loco tantùm interdicto; in hoc verò certis personis, aut communitati prohibeatur absolutè, & in omni loco. 2. Interdictum tam locale, quam personale

Universidad de Deusto Biblioteca

sonale subdividitur in generale, & particulare. Generale est, quo locus generalis, v.g. Civitas, Provincia, vel quo cõmunitas, v.g. Collegiũ &c. interdicitur. Particulare, quo locus, aut persona particularis, aut particulares interdicuntur. *Vnde resolves.*

1. Interdictâ Civitate interdicuntur etiam Suburbia; & interdictâ Parochiâ, etiam sacellum, vel cœmeterium contiguum, quia accessorium sequitur naturam principalis.

2. Interdicto populo non interdicuntur ij, qui non sunt pars populi, vt studiosi, Clerici, peregrini, &c. Nec interdicto Clero, interdicuntur Religiosi, quia in favorabilibus tantúm nomine Clerici comprehenduntur.

3. Si dicatur Cives, v.g. Coloniensis, sunt interdicti, ii nusquàm possunt interesse divinis, (nisi tamen desinant esse isthic Cives, nec causam dederint interdicto) contrà verò, si Civitas interdicto subijciatur, licet Civibus, aut Incolis, qui causam interdicto non dederunt, aliò ire, & isthic divinis interesse.

DVBIVM II.

Qui sint effectus Interdicti?

RESp. Sunt sequentes. 1. Prohibitio divinorum officiorum. Vndè etiam interdicti ob alienam culpam non possunt interesse Sacro. Clerici tamen, & Religiosi, quando ipsi interdicti non sunt, possunt, ac debent vt antè, Missas, divinaque officia celebrare, sed ianuis clausis, non pulsatis campanis, (nisi ad Concionem, salutationem Angelicam, vel obitum alicuius) submissâ voce, & exclusis interdicti. Permittitur tamen, vt in festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis, & per Octavam Corporis Christi divina officia cantentur solemniter, admissis etiam interdictis, modó qui causam interdicto dederunt, altari nec appropinquent, nec veniant ad offertorium, vel communionem. 2. Prohibitio administrationis Sacramentorum, excepto Baptismo, Confirmatione, & Pœnitentiâ, quæ omnibus pe mittuntur, ijs exceptis, qui interdicto causam dederunt, etiam auxilio, consilio, vel favore: Eucharistia tamen potest dari morituris, & deferri cum lumine, & campanâ. Nec improbabile est, interdictis licere contrahere matrimonium, vt Sanch. Con. &c. & Lay. docent, contra Suar. quia hoc Sacramentum secundùm substantiam non ab Ecclesia, sed ipsis contrahentibus ministratur. 3. Prohibitio sepulturæ Ecclesiasticæ, etiam respectu infantium; & amentium. Excipe tamen Clericos, qui in interdicto locali, si nominatim interdicti non sunt, nec interdictum violarunt, possunt cum silentio sepeliri. Lay. *c.2.nu.3.* 4. Clerici violantes interdictum, peccant mortaliter; sicut etiam Religiosi vtriusque sexûs, qui insuper excommunicantur defactò. Laici verò peccant quidem graviter, si contra interdictum personale recipiant Sacramenta: si verò tantùm violent locale, v.g. audiendo divina officia, probabiliùs est tantum esse veniale, dummodò ipsi personaliter interdicti non sint Lay. *c.3.* ex Syl. Soto, Avila, &c.

DVBIVM III.

Quis censuram interdicti ferre, & quis tollere possit?

RESp. 1. Interdicere possunt ijdem, qui excommunicare, & suspendere. Et quidem vt determinata persona interdicatur, videtur requiri culpa mortalis: vt autem feratur interdictum locale, vel generale in communitatem, requiritur peccatum valdè grave, cum contumaciâ commissum à capite, vel præcipuis membris, licèt reliqui culpâ vacent.

Resp. 2. Interdicta localia, & personalia generalia, quæ iure communi sunt imposita, nec reservata, possunt tolli ab Episcopo, vel alio habente iurisdictionem in communitatem interdictam, non tamen à Religiosis privilegiatis: quia locus, & communitas foro pœnitentiæ non subjiciuntur.

Resp. 3. Ab interdicto iuris personali particulari, si reservatum non est, quivis approbatus potest absolvere. Denique per privilegium absolvendi ab omnibus censuris non intelligitur potestas tollendi interdictum locale, aut personale communitatis.

CAPVT V.

De Irregularitate.

ETsi irregularitas non sit censura, propter similitudinem tamen, quam cum ea habet, communiter eidem annectitur: qua propter & hic subiungo.

DVBIVM I.

Quid, & quotuplex sit irregularitas?

RESp. 1. Est impedimentum Canonicum, susceptionem Ordinum sacrorum, & susceptorum vsum impediens. Vndè sequitur non esse censuram, sed quasi inhabilitatem: etsi enim interdum imponatur per modum pœnæ; propriè tamen pœna non est Lay. *l.1. t.5. p.5.* 2. Bonac. *d. 7. q. 1. p. 1.*

Resp. 2. Dividitur 1. In eam, quæ est ex delicto, & quæ est ex defectu. 2. In totalem, seu propriè dictam, quæ omni Ordine suscipiendo, & suscepti exercitio privat, v. g. homicidium, bigamia: & in partialem, quæ aliquo tantùm Ordinis ministerio privat, vel solo ascensu ad Ordinem superiorem; v.g. oculis, vel palmâ Sacerdos carens, inhabilis est ad Missam, non tamen ad confessiones audiendas: & Diaconus sinistro oculo carens inhabilis est ad Sacerdotium; in suo tamen Ordine ministrare potest.

DVBIVM II.

Quinam sint effectus Irregularitatis?

RESp. Sunt sequentes. 1. Inhabilitare ad Ordines suscipiendos, etiam primam tonsuram, & impedire exercitium Ordinum susceptorum. Vndè Sacerdos irregularis, etsi validè, illicitè tamen, absolvit. Bon. *l.c. nu.4. & p.4.* 2. Quód collatio beneficij, ad cuius functiones inhabilis est, facta Irregulari, invalida sit, secundùm sententiam communiorem, & tutiorem: etsi non improbabiliter quidam dicant, eam non ipso facto irritam esse, sed meritò irritandam Laym. *l.c. cap.1. nu.2. & 3.* Sylv. &c. Bon. *p. 1. Secundùm quam sententiam probabilem, resolves.*

1. Is, qui beneficium impetravit in Irregularitate, potest, obtentâ huius dispensatione, illud in foro conscientiæ licitè retinere, sine novâ collatione, etiamsi in dispensationis impetratione non sit facta mentio beneficij. Item si posteà beneficio privetur, non tenetur fructus restituere.

2. Graviter peccat qui in Irregularita-

Universidad de Deusto Biblioteca

laritate exercet actum Ordinis, aut suscipit; licèt Ordines ei collati sint validi.

DVBIVM III.

Quomodò incurratur, & tollatur Irregularitas?

RESp. 1. Cùm ab homine non feratur, nulla incurritur, nisi in iure expressè habeatur. *Cap. Is qui. De sentent. ex commun. in 6.* Vndè in dubio sive facti, sive iuris, tenere potes, quod non sis irregularis: quia melior est conditio possidentis. Bon. *q.* 1. *p.*5. ex Suar. Fill. &c. Excipe tamen, si dubites de homicidio, saltem iniusto, à te commisso, vt patet *ex Cap. Significasti, & ex C. Ad audientiam.* 2. *De hom.* V.Bon. *l.c.*

Resp. 2. Vt incurratur Irregularitas ex delicto, requiritur actus externus consummatus, & mortalis, vt habet communis contra Caiet. Ratio est, quia est gravis pœna, & difficulter relaxatur.

Resp. 3. Irregularitas non tollitur per absolutionem, sed per dispensationem, hac vel simili formâ. *Dispenso tecum in Irregularitate, quam, vel quas, ob hanc, vel illam causam, incurristi.* Et si quidem dispensans intendat tollere omnes, idque possit, omnes tollit: sin minùs, eam tantùm tollit, quam potest, & vult. Etsi verò hæc dispensatio ad Pontificem spectet, ex iure tamen novo Trident. vbi est receptum, potest Episcopus dispensare in Irregularitatibus provenientibus ex delicto, & non deducto ad forum contentiosum; nisi tamen sit homicidium, directè, & in se volitum, Bon. *q.*5. *p.*1. *nu.*3. *ex Trident. sess.*24. *c.*6. Suar. Sanch. Fil. &c. Laym. *c.*9. *nu.*4.

Præterea Irregularitas ex defectu natalium, tolli etiam potest per professionem in religione approbata; sed quoad ordines tantùm, non quoad Prælaturas *c.* 1. *De filijs Presbyterorum.* Bonac. *p.*2. Laym. *c.*9. *nu.*6. Suar. Sanch. Less. contra Villal. qui apud Dian. *p.*4. *t.*2. *R.*65. dicit tolli quoad omnia solita gubernari per Fratres illius Ordinis, vt Prioratus Præposituras, Rectoratus, & cætera munia. Circa quæ, Prælatos saltem posse cum ijs dispensare, in Capitulo tamen Generali, vel Provinciali, notat Dian. *l.c.* ex Barbos. *Vndè resolves.*

1. Solus Papa, & qui ab eo accipit privilegium, potest dispensare in Irregularitatibus ex defectu.

2. Confessarius in nullis Irregularitatibus potest dispensare, nisi habeat speciale privilegium à Papâ.

DVBIVM IV.

Quæ sint Irregularitates ex delicto?

RESp. Prima est, ob iteratum Baptismum seriò, & scienter; estque irregularis tam rebaptizans, quàm rebaptizatus; etsi in rebaptizante irregularitas tantùm sit partialis, nec Clericus ad altiorem Ordinem possit ascendere, neque incurratur, si rebaptizatio sit occulta. Covarr. Tolet, M. Leo *p.*3. *f.*358. V. Bon. *d.*7. *q.*3. *p.*3. Lay. *l.*1. *t.*5, *p.*5. *c.*2.

Secunda, ex violatione censuræ, v.g. si ea innodatus actum aliquem Ordinis solemniter exerceat: nisi invincibilis ignorantia excuset. Laym. *c.*3.

Tertia, ob peccatum, quo Clericus seriò, & scienter actum Ordinis sacri, quem non habet, solemniter exercet. Bon. *l.c. p.*6. Laym. *l.c. cap.*3.

Quarta, ob delictum, quo quis malè suscipit Ordines, v.g. in excommunicatione, suspensione, vel ab Episcopo non habente iurisdictionem, vel per saltum, (licèt hunc suspensum tantùm esse, quandiu non ministrat in Ordine per saltum suscepto, satis probabiliter doceant Avila, Navar. Bon.) vel ante legitimam ætatem, vel sine dimissorijs, vel furtivè, (Episcopo nesciente, nec approbante,) & non examinatus. Vid. Bon. *d.* 7. *q.*3. *p.*4.

Quinta, propter enormia crimina; si sint notoria, & publica, v.g. quæ à iure habent annexam infamiam, vt adulterium, raptus, incestus, periurium in iudicio.

Sexta oritur ex iniusta mutilatione vel homicidio, etiam indirectè tantùm voluntario, extenditurque ad omnes, qui ad alterutrum, sive in bello iniusto, sive extra illud, iniustè concurrunt, consulendo, mandando. Mutilatio autem hìc intelligitur quandò à corpore separatur membrum aliquod principale, idest, pars corporis, quæ officium per se distinctum habet, v.g. pes, manus, oculus, auris, &c. M. Leo *in praxi*, *p.*3. *f.* 347. ex Covar. Navarr. *de Cens. nu.*206. V. Bon. *p.*8. *Vndè resolves.*

1. Non fit irregularis qui in rixâ præscindit alteri digitum, pollicem, vngues, dentes, barbam, capillos, labia, nasum, auriculam, (idest, cartilaginem, quę tantùm deservit ad ornatum, & tutelam auris) quia non sunt propriè membra, v.g: digitus est pars tantùm, & officium membri. Avila, & alij, 8. cum Dian. *p.*4. *t.*4. *R.*26. Item M. Leo *l.c.* ex Glossa *cap. vlt. de hom. in 6. & L. Quæritur herm.* 10. *L. Non sunt.* 14. §. *Partus ff de statu hom.*

2. Nec fit irregularis, qui excæcavit hominem, solo visu privando, non autem oculum extrahendo: nec qui debilitat tantùm membrum, & non abscindit; quia non est mutilatio. Dian. *p.* 4. *t.*4. *R.*26. ex Megal. &c.

3. Quandó plures (non ex consilio, sed in rixâ, vnum percutiunt, & vnus lethale vulnus infligit) ex quo moritur; si constet quis hoc fecerit, hunc solùm fieri irregularem docet Sayr. & alij 5. cum Dian. *p.*2. *t.*15. *R.* 18. contra Avilam, Suar. &c.

4. Qui infirmo bonâ fide dat aliquid, v.g. cibum vel potum; vel eum movet, vel de lecto in lectum transfert, aut aliud circa eum operatur, ex quo mors vel eius acceleratio prœter intentionem sequatur, non fit irregularis, nisi intervenerit lata culpa. Avila & alij 4. cum Dian. *p.*5. *t.*3. *Res.*117. vbi ex Bon. &c. notat, Sacerdotibus, & Religiosis circa moribundos licere eadem, quæ laicis.

5. Qui amicum bono animo comitatur, ne periclitetur in rixâ, non fit irregularis, etsi amicus occidat alium. Avila, Henriq. &c. cum Dian. *p.*4. *t.*2. *R.* 17. Limitat autem Præpos. nisi suâ præsentiâ animaverit ad occidendum.

6. In bello iniusto, si vel vnus occidatur, totus exercitus, fit irregularis, saltem si aliquâ ratione sit cooperatus. Bon. *q.*4. *p.*4. *nu.*3.

7. Irregularis fit, qui procurat abortum fœtus animati animâ rationali, secùs si animatus non sit *C. Maiores*, 32. *q.*2. Bon. *l.c. p.*8. *nu.*27. Con. &c.

8. Qui dans operam rei licitæ (imó secundùm multos etiam illicitæ) sufficientem diligentiam adhibitu, ne ex ea homicidium sequeretur, & tamen secutum est, non fit irregularis, ob defectum voluntarij: secùs tamen, si dicta m diligentiam omisit, omissione mortali. Bon. *q.*4. *p.*7. Less. *l.*2. *cap.* 9. *dub.* 15. &c.

15. &c. Alij tamen dicunt, quód dans operam rei illicitæ, ex quâvis culpâ, etiam levissimâ, incurrit hanc irregularitatem. Panorm. Covar. M. Leo *p.3 f.354.*

9. Qui alterum mutilat, vel occidit, ad necessariam sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutulæ, non incurrit hanc irregularitatem: quia hic nulla est culpa; ergo nec pœna. M. Leo *p.3. f.349.*

DVBIVM V.

Quæ sint Irregularitates ex defectu?

REsp. *prima*, ex defectu animæ, ex quo irregulares sunt. 1. Amentes, phrenetici, arreptitij, & epileptici; qui tamen, si ordinati sunt, & intra annum eo morbo non laborarunt, præsumuntur liberati, & permittuntur ad Ordinum exercitium. Si veró laborent rarò, & quidem sine clamore, & spumâ, permittuntur celebrare cum coadiutore, qui deficientibus ipsis suppleat sacrificium. M. Leo *p.372. ex C. Illud. 7. q. 1.* & Gloss. *ibid.* 2. Illiterati, qui non habent doctrinam necessariam pro Ordinibus. 3. Neophyti, seu recenter conversi, vsque dum iudicio Episcopi sufficienter instructi sint.

Secunda ex defectu corporis. 1. Si propter eum ineptus est ad exercitium Ordinis, vt si sit cœcus, surdus, claudus, ita vt sine baculo nequeat ire ad altare. Item si careat manu, pollice, indice, oculo, (non tamen si vngulâ pollicis, vel indicis, vel oculo dextero tantùm) si verò sinistro seu Canonico, aut eius vi visivâ careat, indiget dispensatione: quod tamen negant Valent. Henriq. Sayr. siquidē dextero possit absque deformitate legere Canonem. 2. Si Ordinem nequit exercere sine horrore, offensione, aut scandalo aliorum, vt si careat auribus, naso, si notabiliter sit gibbosus, leprosus, paralyticus, si membra habeat superflua cùm magnâ deformitate: in dubio verò, an deformitas sit sufficiens, Episcopi est iudicare; saltem in Clericis: nam in Regularibus id spectare ad eorum Prælatum contra Barbos. &c. docent Suar. & alij 5. cum Dian. *p. 4. t. 2. R. 73.* licèt concedant Episcopum posse rejicere arbitrium Prælati: hunc autem, si gaudeat authoritate quasi Episcopali, posse in illâ irregularitate dispensare, nisi deformitas sit tanta, vt scandalum generet. Ibid. ex Rodrig. & alijs 4. Vid. Bonac. Laym. M. Leo. *p.3. f.370. Vndè resolves.*

1. Non videtur irregularis. 1. Qui habet 6. digitos, vel aliquos coniunctos, si non sit magna deformitas, & Ordinem exercere possit. 2. Qui habet in oculo maculam, visum non auferentem, nec notabiliter deformantem. 3. Qui caret vngulâ pollicis, si possit hostiam elevare, & frangere. 4. Qui per vim, aut infirmitatem factus est Eunuchus.

2. Irregularis est hermaphroditus, quia est monstrosus. 2. Gigas, pygmeus, ætiops: non tamen inter suos, sed alienos, vbi disparitas ludibrio est.

Tertia ex defectu natalium. Ex quo irregulares sunt omnes illegitimi, eò quòd ratione originis reputentur viles. Tales autem communi iure legitimantur. 1. Per subsequēs matrimonium inter eorum parentes, modò hi tempore conceptionis potuerint validè contrahere. 2. Per professionē religiosam: quamvis ad dignitates etiam in religione, v.g. Abbatiam, Prioratum, &c. promoveri non possint, sine dispensatione, *Vid. suprà d. 3.* 3. Per dispensationem Pontificiam.

Principes verò sæculares non possunt legitimare, nisi tantùm in ordine ad officia sæcularia, & hæreditates. Porrò cùm dubium est an quis sit legitimus, non censeri irregularem, contra Vasq. & alios 5. vult. Dian. *p.4 t.2. R.59.* ex Avila: eò quòd quilibet præsumatur legitimus, donec contrarium probetur: neque teneri hac in re credere ipsimet matri, etiam in fine vitæ, nisi rationibus convincat, vel pater etiam asserat. *Ibi ex communi.*

Quarta est ex defectu ætatis, de quo *vid. in Sacramento Ordinis.*

Quinta ex defectu Sacramenti, sive significationis matrimonij, ratione bigamiæ, eò quòd bigamus non perfectè repræsentet vnionem Christi cum Ecclesia, quippèqui carnem suam divisit in plures vxores. Non sufficiunt autem ad hanc bigamiam sponsalia cum plutibus, etiam secutâ copulâ; nec fornicatio, vel adulterium, vel matrimonium ratum cum pluribus, sed matrimonium verum, vel præsumptum, cum duabus, & consummatum. Dixi, *vel præsumptum*: quia licet quandoquè secundum matrimonium sit nullum, iuris tamen fictione, & interpretatione, præsumitur bigamia, licèt impropriè dict. *Vndè sequitur, irregulares fieri sequentibus casibus.*

1. Qui vivente, vel mortuâ primâ vxore cognitâ; secundam cognoscit, etsi matrimonium sit invalidum.

2. Qui viduam non virginem ducit, & cognoscit.

3. Qui ducit vxorem priùs ab alio corruptam, etiam per fornicationem, & cognoscit; non tamen si ipse eam antè corrupit: quia tunc non est divisio carnis in plures.

4. Qui propriam vxorem cognoscit, postquàm ab alio per adulterium cognita fuit, quia ipsa iam divisit carnem in plures. Nec refert, etsi per vim vitiata fuit, vel vir corruptam, aut viduam esse ignoravit: quia hæc irregularitas non oritur ex culpâ, sed ex defectu significationis Sacramenti.

5. Qui post solemne votum castitatis defactò matrimonium contrahit, & consummat, etiam cum virgine: quia interpretatione iuris censetur duo matrimonia contraxisse: vnum spirituale cum Christo, alterum carnale cum muliere. Nec refert quòd invalidè contrahat; quia quantum est in ipso, effectus à parte rei ponitur.

Sexta oritur ex infamiâ, sive iuris (quæ vel ex delicto proprio, vel parentum; vel vili conditione personæ nascitur) sive facti, modó crimen publicum sit: ex occulto enim non oritur, si homicidium, & censuræ violationem excipias, vt docent Nav. Con. Laym. contra Sylv. & Suar. qui ex occulto etiam oriri putant, modò infamiam ipso iure connexam habeat. Porrò infamia ob crimen notorium, vel per sententiam Iudicis contracta, non tollitur, nisi per dispensationem Principis, cuius authoritate contracta fuit. Infamia facti, etiam orta ex enormi crimine, & digno depositione, tollitur per publicam, & constantem vitæ emendationem.

Septima oritur ex defectu libertatis. Vndè irregulares sunt. 1. Omnes servi propriè dicti, (& secundùm Laym. *l. 2. t. 1. c. 8.* etiam originarij, donec consequantur plenam libertatem.) 2. Coniugati, nisi vxores consentiant, & castitatem voveant. 3. Curiales, idest, curiæ seculari obligati, facto iuramento, vel stipendio, vt Iudices, advocati, &c. quandiu

diu talia officia habent. Excipe tamẽ, nisi habeant specialem dispensationem Papę pro illis officijs, vt quidam Clerici in aulis Principum, in causis civilibus, non tamen criminalibus, occupati; vel nisi consuetudo, sciente Papâ, id permittat. 4. Milites, saltem quandiu iuramento tenentur; item thesaurarij, & depositarij publici, & qui Rempub. administrant. Item apparitores, & similes, qui sæva, & turpia exercuerunt, vel in causa sanguinis ministrarunt. M. Leo *p.* 3. *s.* 369.

Octava ex defectu lenitatis, scilicet ex licitâ mutilatione, vel homicidio in bello iusto, vel iudicio. Quod ideó statuit Ecclesia, quia Sacerdos gerit personam Christi, qui, vtpotè levissimus, neminem vnquam læsit; ad hanc autem requiritur, vt occisio, aut mutilatio defactò sequatur. Vndè non sufficit voluntas, nec vulneratio gravis. Bon. *d.* 7 *q.* 4. Tan. *d.* 6. *q.* 11. *d.* 11. *Vndè resolves.*

1. Non fit irregularis, qui mutilat, vel occidit in defensionem inculpatam honoris, vitæ, castitatis, &c. vel etiam proximi: quia in iure non statuitur irregularitas, nisi ob homicidium in bello iusto, vel iudicio. Tan. *l.c.*

2. Irregularis fit in bello, qui mutilat, vel occidit propriâ manu; non autem Clericus exhortans ad fortiter pugnandum in bello iusto (secùs tamen, si ad occidendum hunc, vel illum in particulari) idem est de Duce exercitûs, Tubicine, &c. Bon. *p.* 4.

3. In iudicio iusto irregulares fiunt, qui ad mortem, vel mutilationem cooperantur activè, & efficaciter, & proximè, per actionem ex naturâ suâ ad id ordinatam. Dicitur 1. *Cooperantur*, vt Iudex ferens sententiam, Notarius eam scribens, ministri exequentes, testes, &c. Dicitur 2. *Activè*, idest ex parte occidentium, quia non fit irregularis, qui se tantùm habet passivè, & ex parte eius, qui occiditur, vt Confessarius hortans ad fatendam veritatem, vel ad acquiescendum sententiæ iustæ, quam non potest diferre nisi appellatione iniustâ. Cornel. & Dian. *p.* 4. *t.* 2. *Resol.* 99. Dicitur 3. *Efficaciter*; quia adiuvans v.g. ferens ligna, vt comburatur antè iam suffocatus, non fit irregularis; nec assistens supplicio si suâ pręsentiâ in illud non influat. Dicitur 4. *Proximè*: quia qui remotè tantùm cooperantur, non fiunt irregulares, vt qui gladios faciunt, aut vendunt: item legislator leges capitales condens, Concionator in genere dicens, puniendos esse malefactores, Confessarius interrogatus de Reo, an mortem mereatur, si respondeat, Iudicem sine exceptione personarum fungi debere suo munere; quia hi omnes sunt tantùm causa remota. Essent autẽ proxima, ideòque irregulares, si quid facerent, aut dicerent in particulari, ex quo mors alicuius sequeretur, aut etiam acceleraretur, v.g. si quis efficaciter vrgeret Reum, vt scalam ascenderet, vel ad hoc illum iuvaret, vel si Iudici in particulari responderet, hunc esse plectendum. Possunt tamen subindè etiam proximè cooperantes excusari ab irregularitate: v.g. 1. Si fiat ex indeliberatione, aut cum semiplenâ tantùm advertentiâ, v.g. si dicat Confessarius, *properemus*, aut instiget iumentum, quo Reus vehitur. 2. Si cooporatio sit valdè exigua, vt si iubeat Reum adhuc vnum gradum ascendere: quia minimum reputatur pro nihilo. Avila, & Henr. apud Bon. *q.* 4. *p.* 1. *nu.* 9. Item Suar. Reg. Laym. &c. contra Vasquez, Turri. Hurt. Bauni, &c. qui censent ex homi-

homicidio neminem fieri irregularem, nisi concurrat, vt publicus minister iustitiæ, sive ad causæ probationem, sive executionem: vel vt privatus iniustè, & cum peccato, Quam sententiam probabilem censet Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Res.* 79. & *in addit. Res.* 15. & *p.* 8. *t.* 7. *Res.* 61. Hinc negant fieri irregularem. 1. Confessarium, vel alium quemcumque, qui furem hortatur, vt scalam ascendat, caput supponat ad ictum accipiendum. 2. Eum qui Carnifici dicit, vt aliquid aptet, quo citiùs extinguatur Reus. 3. Qui, dum Reus ad suplicium ducitur, suggerit viam breviorem. 4. Qui vendit, vel commodat scalam, funes, enses, & cætera instrumenta; etiam qui furcam fecit. 5. Qui interrogatus à Iudice, an teneatur Reum condemnare, respondit, teneri. 6. Eum, qui Carnifici putanti suspensum iam esse mortuum significavit adhuc vivere, ex quo calcans iterùm pede occidit.

Dicitur 5 *Per actionem ex natura sua, &c.* idest, quæ per se sit causa talis effectûs: quia effectûs per accidens nõ imputatur dãti operã rei licitæ. Hinc nõ fit irregularis, dicẽs Carnifici; nemo te impedit facere tuum officium, ego meum feci: nec Iudices Ecclesiastici, degradatum tradentes brachio sæculari: nec Clerici accusantes aliquem in causâ criminali, modò expressè protestentur, se non intendere, vt puniatur pœnâ sanguinis; sed tantùm vt sibi, vel suis satisfiat, vel impediantur mala sibi, aut alijs imminentia. V. Bon. *q.* 4. Tan. *l.c. &c.*

†
IHS

LIBER VIII. ET VLT.

De Bulla Sanctæ Cruciatæ.

TRACTATVS VNICVS.

TRactatus hic in hac Medulla desiderabatur, ne quidquam ad mores attinens relinqueretur intactum. In Germaniæ Regnis, vbi P. Hermanus Busembaum Medullam istam edidit, non eius deerat complemento; quia Cruciatæ Bulla ibi non viget: sedtamen in Hispanijs, alijsque Castellæ, & Portugalliæ ditionibus, quæ tam dulci Matris Ecclesiæ vbere lactantur, eiusque gaudent privilegio, quo in varijs Conscientiæ casibus frequenter fulciuntur; opus absque tractatu isto non satis perfectum videbatur.

Eundem hic, quem in Medulla eius Auctor, servabimus ordinem; propositâ priùs generali doctrinâ, ex eaque deducendo casus, qui occurrere possunt; ne Lector à tritâ iam, & assuetâ studij præfixi extrahatur viâ.

Inter eos, qui hanc sibi materiam susceperẽ pertractandam, non vltimum locum obtinent, licèt non primi scripserint, Patres Franciscus Bardi, & Andræas Mendo, qui de illa copiosissimè omnium conscripsẽre.

Liber in quatuor dividetur capita, in quorum primo de Bulla vivorum communi; in secundo de Bulla compositionis; in tertio de Bulla defunctorum; in quarto tandem de facultatibus, & iure Commissarij dissẽremus.

(***)

CAPVT

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT I.

De communi vivorum Bulla.

DVBIVM I.

Quid sit Bulla, & quisnam eam concedere valeat?

RESp. 1. Bullam (omissis pro nunc alijs huius nominis ethymologijs) pro monili quodam accipi, & insigni, quo à collo dependenti Patriciorum filij à plebeiorum turba distinguebantur; erat orbiculatum insigne hoc, in cuius medio figura cordis celata videbatur; indè orbiculata sigilla quædã, vocata Bullæ in quibus Imperatorum effigies insculpebantur, quæque ex eorum Chirographis habebantur appensa; indè etiam rotunda sigilla; quæ Pontificijs appenduntur litteris, appellantur Bullæ; & à sigillis, ad ipsas litteras Bullæ nomen hoc translatum accipitur, vel sigillum sit cereum, vel plumbeum; vel alia quacunque materia extructum. Mend. *disp. nu.* 16. Mos iste, & consuetudo appendendi litteris Pontificijs sigilla huiusmodi, ita habetur solemnis, vt fides non adhibeatur his, quæ sine sigillo tali pendente videantur, crimen que falsarij incurrat, qui vel sigillum tollit, mutat, rumpit, vel aliquid addit, vel detrahit litteris. *Idem nu.* 17.

Resp. 2. Certum esse Summos Ecclesiæ Pontifices, Bullam posse concedere, quandoquidem repetitam toties expediri videmus; & incredibile sit in rebus momenti tanti erravisse, & potestate propria cum excessu abusos. Probatur vltrà; quia quidquid in Bulla continetur, ad concedendas Indulgentias, ad facultatem delegandi, ad facultatem absolvendi à culpis, & censuris, commutandi vota, dispensandi in præcepto ieiunij Ecclesiastico, & his similia, & adhuc minora reducitur; quorum singula sigillatim Pontifici licet concedere, cur ergo iuncta simul non poterit elargiri? Neque obstat si dixeris, quod gratiæ, quæ in Bulla conceduntur, sint magnæ, ad quarum concessionem debet esse causa sufficiens, & non videtur sufficere eleemosyna duarum drachmarum, quam taxat Commissarius, cuius arbitrio Pontifex taxationem reliquit. Non obstat inquam hæc obiectio, quia finis optatus harum, est salus Ecclesię publica tuenda; depressio fidei hostium procuranda, defensio, & propagatio fidei habenda, terra denique sancta recuperanda, & quamvis in ordine ad negotium tantum, singulæ duæ drachmæ parum offerant subsidij, iunctæ simul, quæ à singulis tribuuntur, plurimum augent emolumenti.

Possunt etiam concedere Bullas in proprio territorio; quicumque valent concedere indulgentias, & alias facultates, modò concessiones cum potestate propria, & iurisdictione commetiantur, & causam inesse iustam indulgentiæ præscierint concedendæ: quia in tali concessione potestatis suæ non transgrediuntur limites profusiùs, & vltrà quàm possunt concedentes, præsertim cùm supponamus inveniri causam: ergo nulla est ratio, quare Bullas tales concedere nequeant, nisi forsan à Pontifice in Bullâ suâ, vel per novum præceptum aliquod prohiberetur. Lar. *l. trium grat.* Basil. Lugo *in explic. Bullæ manuscrip.* Mend. *nu.* 25. cum alijs contra Navar. & Rodrig. *Vndè resolvitur.*

1. Has similium gratiarum Bullas expediri posse, non tantùm in belli contra infideles subsidium, sed etiam in cuiusque pij operis, quod sufficiens concedendi causa iudicetur.

2. Deducitur etiam non committi simoniam in accipiendâ eleemosynâ pro Bullâ præfinitâ; & hoc non ideò, quia Pontifex dispenset in iure positivo temporale pretium pro spiritualis rei acceptione prohibente, vt ait benè cum Nav. Rodrig. sed quia eleemosyna non accipitur, vt onus dispensationi, vt simul fit commutatio, & ita strictiùs, & iustitiùs dispensandi, ad trutinam iustificetur causa. Quare advertunt Doctores convenire imponi aliquod onus dispensationibus in favorem alicuius causæ piæ, tum ne invalida fiat dispensatio, causæ sufficientis defectu, tum ne ita facilè in disciplinæ relaxionem Ecclesiasticæ petantur. Neque indulgentiæ conceduntur, eius pretij, & eleemosynæ intuitu, sed proponuntur fidelibus, vt illarum spes lucrandarum, eos alliciat, ad pio illi operi eleemosynis subveniendum, vel causæ publicæ; vel indulgentiæ conceduntur ob affectum pium, & contributam remunerandam eleemosynam. Videatur. Mend. *num.* 29. & 30.

Infertur vltimò; quod & Summus Pontifex, & cæteri, qui Bullas possunt elargiri, acceptas pro illis eleemosynas, alendis sibi ipsis, suisque familijs (nisi aliqua in contrarium specialis obstiterit prohibitio) possint applicare. Mend. *nu.* 32. contra Suar. & alios.

Dixi, *nisi specialis aliqua abstiterit prohibitio:* quia Episcopi *in Conc. Trid. sess.* 25. *de reform. c.* 18. prohibentur accipere quidquam pro dispensationibus, ad seipsos alendos, neque consequenter pro expediendis Bullis; sed quamvis Episcopi acciperent, licèt obedientiæ deessent, non tamen simoniæ crimen incurrerent, non acceptâ eleemosynâ pro temporali spiritualis rei pretio, sed impositâ, vt commutationis onere, vel vt pœnâ criminis, quod sæpè ad dispensationes præcedit. *Idem nu.* 32.

DVBIVM II.

Quibusnam Cruciatæ concedatur Bulla?

RESp. Bullam Cruciatæ (ita vocatam à rubea Cruce, qua insigniebantur illi, qui ad expugnandam terram sanctam advolabant, in quorum favorem primò concessa fuit) concedi nunc cunctis vtriusque sexûs fidelibus, in Regnis Hispaniarum, & Insulis eisdem Regnis adiacentibus; in Regnis Sicilię, Sardiniæ; similiter in Regnis, locis, terris, populis, & dominijs Terræ Firmæ, & maris Occeani, vel aliter vocatis quæ mediatè, vel immediatè, vel alio quocumque modo, dictis Regnis subijciuntur. *Ita in Bulla Lateran. Vndè deducitur.*

1. Bullam valere in cunctis, & singulis Hispaniarum Regnis intra, & extra Europam, nec in illis dumtaxat, quę Regi Catholico subiecta sunt, sed etiam in illis, quæ denuò eius armis subiugata fuere, modò arma, vel iura ad talia Regna, vel loca capessenda: Hispaniæ nomine, vel adiacentium Insularum, vel Regnorum Siciliæ, vel Sardiniæ inducta sint. Et quia sub hoc nomine non comprehenduntur loca illa, quę sunt domus Austriacæ patrimonum, nec ea, quæ Catholico Regi in fœdere traduntur, ideò in istis Bulla non valet. Mend. *disp.* 3. *nu.* 2.

2. Bul-

Universidad de Deusto Biblioteca

2. Bullam non valere in Regno, Insulâ, aut loco, quod ab obedientiâ sui Regis cum rebellione secedens, alterius se Principis ditioni cum iuramento summiserit; nisi Pontifex Bullam in favorem talis Regni, Insulæ, aut loci denuò concesserit. Dixi: *Non valere Bullam in Regno rebelli*, quia eleemosyna, quæ ibi ex acceptis cogeretur Bullis, non in fiscum mitteretur Regium subsidio ad bellum contra infideles peragendum: & dicta Bulla, vt diximus, in favorem eorum conceditur, qui Regi in prædicto bello, vel armis, vel sumptibus, vel consilio adfuerint. *Idem nu.3.*

3. Quòd si aliquis de Provincia recens rebelli, de cuius ad proprium Principem reductione agitur, mitteret eleemosynam, vt sibi ex obedienti parte remitteretur Bulla: iste talis Bullæ gauderet privilegijs, quia eleemosyna illa in subsidium belli cederet, Regique contra infideles bellanti deserviret; & ille, qui eleemosynam remittit, ibi moratur locorum, & gentium, quibus Bulla concessa est cum tali onere eleemosynæ illius ad prædictum bellum elargiendæ; & talia loca, vel Regnum, adhuc sui Regis tenentur iure, quamvis tyrannicè, & infide alterius Principis audierint vocem.

Dixi, *Recenter rebellis*: quia si rebellio fuisset antiqua per sæcula, vel plures annos, & iam, vt præscripto iure ad alterius ditionem transijsset, qui tunc è tali Regno rebelli, eleemosynam pro accipienda Bulla remitteret, Bullæ privilegijs minimè gauderet; quia non censetur Pontificem concedere Bullam locis illis, quę tale subsidium non tribuunt. Et quamvis rebellio per multos annos non privet Regem iure proprio ad rebellia Regna, deducit illa Regna tamen ad extraneum dominium; ita vt vulgò illa Regna, vel Provinciæ non appellentur Regna, aut Provinciæ Regis illius, cui fregêre fidem. *Idem nu 4.*

4. Quòd si aliquis accipit Bullam in loco, vbi valet Bulla, & posteà tendit ad locum, vbi accepta non valet Bulla, potest adhuc ibi gaudere privilegijs eiusdem Bullæ, exceptis privilegijs vescendi ovis, & lacticinijs in diebus Quadragesimæ, & Carnibus de consilio vtriusque medici, spiritûs, & corporis, in diebus, quibus prohibentur. Exceptio ista patet ex ipsa Bulla, in cuius textu legitur, quòd durante ipsius Bullæ anno conceduntur privilegia ista vescendi ovis, lacticinijs, & Carnibus, vt suprà diximus, in Regnis dumtaxat, Insulis, & locis, quæ de ditione Hispaniarum extiterint, minimè verò extra illa: & cùm exceptio, vt aiunt Iuris consulti, firmet regulam in contrarium, cùm sola prædicta excipiantur privilegia, ne illis gaudere possint in alienis Provincijs degentes: sequitur, quòd si quis Bullam acceperit ibi, vbi valet, quamvis posteà ad Provincias illas iverit, vbi non valet, poterit tamen reliquis gaudere privilegijs, cùm non excipiantur. Sylv. *verb. Privilegium*, Villal. *t.27. Int. à nu.2.* Rodr. §. 1. *dub.1.* Henr. *l.7. c.20. á num. 3.* Suar. *l.8. de legibus, c.26. num.4.* Mend. *disp.3. num. 6.*

5. Quòd si alicui extra Regna Hispaniarum existenti, accipitur, & remittitur ab alio Bulla, iste talis extra dicta Regna existens, non poterit Bullæ gaudere privilegijs, quia privilegium respicit, & locum, & personam, & qua ratione locum respicit, requirit, vt qui eo gaudere voluerit eo tempore, quo Bulla acci-

accipitur, sit in eo ipso loco, cui Bulla conceditur. *Idem l.c.*

6. Quòd si alicui accipitur *B*ulla existenti extra loca, quę *B*ulla gaudent, & intra annum, quo *B*ulla durat, redituru sit ad loca ea, quibus *B*ulla conceditur, poterit gaudere *B*ullæ privilegijs, quando redierit. Ratio est, quia si iste, cum perveniret, acciperet *B*ullam, non est dubitandum, quin statim gauderet privilegijs *B*ullæ: ergo etiam gaudebit, quamvis antecedenter ad reditum eius, accepta fuerit ei *B*ulla, eiusque nomine eleemosyna largita. Et sufficienter salvatur locale privilegium, quod postulat existentiam accipientis *B*ullam in Provincia vbi valet, tempore, quo *B*ulla accipitur; quia iste talis censetur accipere *B*ullam quando redit; quapropter videtur privilegio, qua parte locale est, satisfactum iri, cum assistentiâ in Hispaniæ Regnis, vel tempore accipiendæ *B*ullæ, vel intra annum promulgationis.

7. Valere *B*ullam omnibus extraneis, qui Hispaniam adveniunt, vel ad ea loca tendunt, in quibus *B*ulla valet, vel ad eorum marinos portus, vel ad commorandum ibi, vel negotia peragenda, vel ad peregrinandum, vel tantùm causâ videndi illas terrarum plagas; quia *B*ulla conceditur non solùm his, qui in Hispaniæ Regnis, & insulis, & vbique ditionis Hispaniarum commorantur, sed etiam ijs, qui ad istas oras adveniunt, vt constat ex textu *B*ullæ: *Consistentibus, & ad illa declinantibus. Idem nu 12.*

8. Valere etiam ei, qui ex Galliâ ad Hispaniam venerit accipiendæ *B*ullæ dumtaxat causâ, & statim redit ad Galliam; quia *B*ulla conceditur his, qui Hispaniam adveniunt, & non exprimitur causa, quâ veniunt, vel ista, vel illa sit. Nec iste, qui causa prædicta Hispaniam venerit, aliquâ in *B*ullam vtitur fraude, quia in adeundâ Hispaniâ vtitur iure suo, quod non est sibi prohibitum; sed in Gallia non poterit gaudere privilegijs vescendi ovis, & lacticinijs, & carnibus, vt animadversum relinquitur *in casu quarto. Idem n.13.* contra Lud. la Cruz, & Trull.

DVBIVM III.

Quantum temporis Bulla duret?

RESp. In Hispania per annum integrum durare *B*ullam, vt in ipsa sæpè repetitum legitur; qui annus incipit à die promulgationis *B*ullæ in quovis loco; hoc etiam reperitur in Bulla *à Cruce in exp. Bullæ, d.* 1. Difficultas est: An annus debeat numerari naturalis à die in diem, vel Ecclesiasticus ab vna ad aliam promulgationem? Circa quam difficultatem tres leguntur opiniones. Prima asserit annum debere numerari Ecclesiasticum ab vna ad aliam promulgationem. Secunda, annum debere numerari naturalem à die in diem. Tertia denique, annum debere numerari Ecclesiasticum, si promulgatio sequens Bullę prorogatur vltrà annum naturalem, sed si promulgatio Bullę sequens fiat antequam annus naturalis desinat, tunc *B*ullam antecedentem durare, quousque annus naturalis transierit; quia aliter non esset in favorem accipientis *B*ullam, anni Ecclesiastici duratio, si naturalis anni durationem minueret. Trul, *l.1. §.1. dub. 11.* Henr. *l.7. c.20. nu 2.* Mend. *disp. 21. nu.7.* Ioann. Sanct. *in select. disp.55. nu.3.* cui accedit Ant. Gomez.

Hæc tertia opinio minus habet probabilitatis, quia in se censet, annum durationis *B*ullæ, & naturalem esse, & Ecclesia-

Universidad de Deusto Biblioteca

clesiasticum, cùm vterque simul esse nequeat. Aliæ duæ opiniones sunt probabilissimæ, & securæ in praxi, *Vndè sequentes resolvuntur casus.*

1. Quòd si *B*ulla accipitur post eius promulgationem magis, vel minùs solemnem, quamvis sit ante sermonem, potest accipiens gaudere privilegijs *B*ullæ; sed si accipiatur ante promulgationem, non licet eius gaudere privilegijs; quia Pontifex ait, annum debere numerari à die promulgationis, idest à promulgatione ipsa; itaque inutile est ad privilegiorum vsum, accipere *B*ullam aliquot diebus, vel horis ante promulgationem, quia tunc adhuc non prodest. Villal. *to.* 1. *t.* 25. *num.* 6. Trull. *l.* 1. §. 1. *dub.* 10. *nu.* 2. Mend. *d.* 2. *nu.* 2.

2. Annum *B*ullæ non esse numerandum à die promulgationis *B*ullæ in Metropoli, Aula, vel Vrbe vicina, sed à die quo in loco quolibet promulgatur; expressa namque est Pontificis intentio, vt in loco quolibet, etsi minimo, promulgetur, à promulgatione numeretur annus. *Ibid.*

3. Annum non numerari à die acceptæ *B*ullæ, sed à die promulgationis; itaque, qui ob negligentiam, vel impossibilitatem non accipit *B*ullam, nisi post multos dies promulgatam, non debet annum à die acceptionis numerare.

4. Non sufficere intentionem, & animum accipiendi *B*ullam, vt quis eius gaudeat privilegijs, sed requiri actualem eius acceptionem.

5. Non sufficere; quòd quis sperer, alium pro se, & sibi *B*ullam accepturum, vt privilegijs vtatur *B*ullæ.

6. Eum qui certò scit, domi suæ, vel in patriâ sua à qua tunc abest, parẽtes proprios, vel personam aliam, accipere pro seipso absente *B*ullam tali die; & tempore, posse gaudere Bullæ privilegijs, quia in negotio morali, tantùm valet illa certitudo, quantùm propria per seipsum *B*ullæ realis acceptio. Mend. *Ibid.* Dian. *p.* 8. *t.* 11. *R.* 90. contra Rodr. Vegr, & Trull.

7. Eum, qui tempore promulgationis *B*ullæ invenitur in loco, vbi *B*ullam tam citò accipere non potest, hunc non posse præteritâ *B*ullâ vti per totum tempus, quod sine acceptâ novâ *B*ullâ consumit, nisi fortè antecedentis *B*ullæ annus non præterierit quia tunc poterit privilegijs eius gaudere vsque ad anni naturalis complementum, secutus secundam, & tertiam opinionem; quia privilegium, quod pro determinato tempore concedit, transacto tempore, cessat.

8. Quòd in opinione, quæ annum Bullæ assignat Ecclesiasticum, non caret probabilitate, eum qui *B*ullam accipit Matriti, vbi antè promulgatur, & vadit Cæsaraugustam vbi seriùs, posse vti Cæsaraugustæ, privilegijs *B*ullæ acceptæ Matriti, quovsque Cæsaraugustæ promulgetur sequens *B*ulla, numerato anno Ecclesiastico, non à promulgatione ad promulgationem Matriti factis, sed à promulgatione, quæ fit Matriti, vsque ad promulgationem, quæ Cæsaraugustæ fiet; quia hæc debet præsumi Pontificis intentio, ne is qui Cæsaraugustam Matrito venit, Matritum redire cogatur ad accipiendam *B*ullam, vel pro eo tempore careat eius privilegijs, & gratijs. Sanch. *in select. disp.* 55. *à num.* 8. Trull. *l.* 1. §. 4. *dub.* 10. *nu.* 5. Mend. *disp* 1 *n.* 25. vbi plur. affert.

Quæritur 1. *An privilegium Bullæ, Pontificis concedentis morte finiatur?*

Resp. Affirmativam sententiam, non esse

esse communem, neque veram. Probatur *ex Cap. Si super gratia. De officio, & potestate Iudicis, deleg. in* 6. Vbi ait Bonifacius VIII. gratiam à Sede Apostolica factam non expirare morte concedentis, sed Bulla Cruciatæ, est gratia à Sede Apostolica facta; ergo non expirat morte concedentis.

Quæritur 2. *An Pontifex, Bullam revocare possit?*

Resp. Quod si annus iam inceperit, non potest Pontifex intra annum, Bullam revocare, nisi iusta revocandi adsit causa, & recompensatio fiat his, qui Bullam accepêre; sed si non habeat, vndè recompenset, & aliàs communi saluti expedit revocatio, absque recompensâ poterit illam revocare. Ratio est: quia quando privilegium est per modum onerosi, & lucrativi contractûs, qualis invenitur in Bullæ concessione, debet inveniri causa revocationis eius, vt fiat, & recompensatio fieri, quando habetur, vndè possit recompensari; & hoc postulat naturale iustitiæ ius, quo tenetur Princeps adimplere ea, quæ cum subditis pactus erat. Ab hac tamen obligatione eximitur, quando communis salus dissolutionem expostulat pactorum, & aliàs recompensa fit his, qui insumpserunt; sed si non habeatur, vndè recompensatio fieri valeat, vt potest Princeps præ dominio excellentiæ, quo subditis præest, proprijs subditos expoliare bonis, vt imminenti obviam fiat periculo communi, quando aliter vitari nequit; ita similiter eodem iure, & eodem excellentiæ dominio, poterit revocare privilegia, de quibus habetur sermo. Mend. *disp.* 2. *nu.* 32. 33. 34. & 35. *vbi alios citat.*

Resp. 2. Quòd finito iam quolibet annorum sex, per quorum spatium concessa est Bulla, potest Pontifex illam pro arbitrio suo revocare, quia in hoc casu cessavêre iam rationes illæ, quæ in præcedenti responso referuntur, & Bulla est gratia quædam à voluntate Pontificis dependens; sed si pro tali concessione ad sexennium acceperit à Rege Pontifex eleemosynam aliquam ad opus pium, recompensare tenebitur Pontifex, prout dictum est; quod etiam observandum est, si talis concessio Bullæ ad sexennium, est remunerativa alicuius specialis obsequij Apostolicæ Sedi exhibiti, quod nondum remuneratum sit; præsertim si remuneratio ex iustitia debeatur; & si obsequium, titulo gratitudinis fuit exhibitum, titulo etiam gratitudinis referri debet recompensatio. Et esse concessionem remunerativam gratitudinis sufficit, vt privilegium, & concessio ista dicatur irrevocabilis, quia non tam abiectè de Principis generositate sentiendum est, vt obsequia in se collata, sine remuneratione contemni patiatur. Mendo *nu.* 42.

Hic advertendum est: quòd si revocatio fieret Bullæ in Provincijs, & Diœcesibus cunctis, talis revocatio nota fieri deberet; nam quidquid sit de promulgatione aliarum legum ad obligandum sufficiente; irritatoriæ, & revocatoriæ leges, debent ita promulgari, vt omnibus pateat talis earum promulgatio; aliter enim ignarorum conscientię maximo periculo iacerent expositæ. *Vndè resolvitur,* Sot. Sylv. Ludov. à Cr. Trul. *l.* 1. §. 1. *d.* 13. *num.* 4.

1. Quòd si, revocatâ iam Bullâ, aliquis revocationis ignarus, à casibus reservatis, virtute Bullæ absolveretur, valida foret talis absolutio; quia ita præsumendum est de mente Pontificis ad effugien-

giendum plura animatum pericula. Henr. *l.7. de indul. c.10. nu. 1.* qui citat Caiet. Sot. Med.& Sylv. Mend. *d.2. nu. 12. & 38.*

2. Quòd si quis de casibus reservatis cœpisset, confiteri, & causâ aliquâ occurrente, confessionem suspendisset, & interim Bulla revocaretur, quamvis ei de revocatione constaret, potest, & confessionem perficere, & absolvi, quia in causâ inchoatâ non expirat iurisdictio, quoad vsque perficiatur.

Quæritur 3. An revocetur Bulla Cruciatę per anni Sancti, aut aliud simile Iubilæum, aut per Bullam in Cœna Domini?

Resp. 1. Per Iubilæa non revocari Bullam; quia ita declaravit Gregorius XIII. anno millesimo quingentesimo, septuagesimo quarto, vt Alphonsus Perez testatur,& Trul. Clemens etiam Octavus anno millesimo sexcentesimo, vt notat Diana. Octavus etiam Vrbanus anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, vt idem affirmat Diana. Et videmus Commissarium Bullæ iubentem ipsam promulgari in ipso anno Sancto, sicut in reliquis annis. Probatur etiam ratione suprà discussâ; quia privilegium Bullæ concessum est per modum onerosi contractûs. Med. *nu. 48. vbi plurimos citat.*

Resp.2. Neque etiam per Bullam in Cœna Domini revocari Cruciatæ Bullam; quia Sixtus Quintus anno millesimo quingentesimo nonagessimo; revocans in Bulla in Cœna Domini cuncta privilegia ad absolvendos casus illos,qui in illâ reservantur, addit; *nisi casus in Bulla in Cœna Domini reservati, in illis præsentibus litteris exprimantur*; atqui casus isti exprimuntur in Bulla Cruciatæ, extensâ facultate, que in illâ tribuitur ad absolvendum ex illis casibus,vt constat ex textu: *Quamvis sint ex contentis in Bulla in Cœna Domini, & absolutio ab eis, reservata sit Sanctitati Pontificis, excepto hæresis crimine.* Ergo per Bullam in Cœna Domini non revocantur privilegia in Bulla Cruciatæ concessa.

DVBIVM IV.

Quænam personæ privilegijs Bullæ gaudere possint?

ARTICVLVS I.

An qui Bullam accipit in gratia esse debeat, vt privilegijs Bullę potiri valeat?

Resp. Non esse necessarium, vt quis absolutè Bullæ privilegijs gaudere possit (non loquor nunc de indulgentis, quas potest quis, & sibi, & defunctis lucrari, quia de his infra sermo erit) quòd sit in gratia, sed posse gaudere illis, quamvis lethaalis peccati cœno deturpetur; modò ne ista peccata sint ex aliquorum specie, quæ excipit ipsa Bulla, quibus peccatis quis irretitus, non potest gaudere cunctis, vel aliquibus Bullæ privilegijs. Ratio est, quia Bulla non excludit à gaudio privilegiorum absolutè, lethalis peccati Reos; excipit verò eos, qui in quadam peccatorum mortalium specie iacent; ergo non illos, qui in alia specie; sed istos,qui assignatâ peccaverint, à gaudio privilegiorum expellit; quia exceptio, vt repetitum est, firmat regulam in contrarium. *Vndè resolvit.* Navar. *de indulg. notab. nu.19.* Henriq. *l. 7. de indulg. c. 9. nu. 6.* Soto *in 4. dist.21. q.2. art. 3.* Trul. *lib.1. §...dub. 8.* Mend.

Mend. *disp.4. num. 1.* & alij, Mend. *dis. 4. num.3.* Rodrig. *& commun. omnes.*

1. Non posse gaudere privilegio Bullæ aliquo eos, qui contra expeditionem eius graviter peccant, impedientes per malitiam, promulgationem, vel vsum Bullæ, quia ita expressè legitur in Bullâ Latinâ.

2. Indulgentiam plenariam, quæ conceditur ad articulum mortis eis, qui subitâ morte rapiuntur, vel sine copiâ Confessarij, modò contriti moriantur, non lucrandam fore ab ijs, qui indulgentiæ isti plenariæ fidentes, in confitendo, statuto ab Ecclesiæ tempore negligentes fuerunt,quia Bulla disponit ita.

3. Eos, qui compositionis Bullæ confisi, aliena bona vsurpant,vel Horas Canonicas recitare negligunt, non posse dictâ compositionis Bullâ ad restituendum gaudere.

4. Hos, qui Bullę fidentes peccaverint, posse reliquis Bullæ privilegijs gaudere, præterquàm indulgentiâ ad articulum mortis concessâ, *de qua suprà*, & indulgentiâ compositionis bonorum, quę debent restitui;quia exceptio firmat regulam in contrarium,& cùm gaudium solum istorum privilegiorum excipiatur, reliquorum privilegiorum gaudium indulgetur. Covar.*in regul peccatum 2.§.2.*

5. Meretrices posse gaudere Bullâ; quia exclusis personis alijs, istæ non excludunrur: Neque obstat, quod contrariam sequentes opinionem objiciunt; nempè eleemosynam, quæ pro Bullâ tribuitur debere fieri *ex bonis sibi à Deo collatis*, vt in ipsâ Bullâ legitur, & bona, quæ Meretrices in eleemosynam tribuere possunt à dęmone, vt per peccatum adquisita, proveniunt. Non obstat, inquam, quia ex alijs bonis,pręterquàm ex vsu venereo adquisitis,eleemosynam tribuere possunt;vndè ratio cessabit scrupuli. Vltrà, quia verba illa: *Ex bonis sibi à Deo collatis.* Significant eleemosynam fieri debere ex proprijs accipientis bonis, non ex alienis iniustè possessis; & quamvis meretrix in modo lucrandi peccet, possidet tamen iustè quæ lucratur.

6. Non posse gaudere Bulla, eum qui ex bonis malè habitis per furtum, vsuram, vel alio quovis modo ad restitutionem cogente eleemosynam pro acceptâ largitur Bullâ. Ratio; quia bona illa non tributa sunt à Deo illi, qui ex bonis per iniustitiam habitis eleemosynam pro Bullâ tribuit; sed si ex mixtâ ex iniustè, & iustè habitâ pecuniâ, fiat eleemosyna, poterit acceptâ gaudere Bullâ, quia tunc censetur eleemosynam ex propriâ pecuniâ dare, siquidem eius intentio est, accipere Bullam eo modo, quo sibi prosit; & non est putandum validè egisse illum, qui validè agere potuit. Lop. *in l 54 tit 14. p.5.* Covar. *l.1. commen. c. 11. à nu. 2.* Mend. *nu. 5.* Nufius *in 3 part. t 2. tract. de Bulla.* A costa *in Bulla Cœn. q.12.* Vega *tom 1. Sum. cap. 34. cas.7.* Dian.*tract.11 resolut.101.* Mendo *nu 6.*

ARTICVLVS II.

Vtrum Catechumeni, pueri fatui,excommunicati,& Hæretici gaudere possint Bulla?

Resp. 1. Catechumenos non posse. Ratio,quia quidquid in Bullâ continetur, vel est actus iurisdictionis, vt puta delegandi facultatem ad vota commutanda, & alia similia exercenda, vel actus

actus proprius clavium, vt aperire Ecclesiæ thesauros elargiendo indulgentias, & dispensationes, qui actus sunt proprij clavium, & non oratio mera; quorum actuum nullum valet Pontifex erga catechumenos exercere, quia extra Ecclesiam esse censentur, siquidem adhuc per speciosam Baptismi portam non intrarunt; ergo istis Bulla minimè prodesse poterit. Mend. *num.* 7.

Resp. 2. Pueros, & fatuos posse gaudere aliquibus Bullæ privilegijs, quorum capaces inveniuntur, vt puta, quòd tales speliri possint modicâ pompâ tempore interdicti, virtute Bullæ in loco sacro, & quod in eodem tempore, possit adhiberi Sacramentum Extremæ-Vnctionis fatuo, vel furioso moribundo; & si quæ sunt alia privilegia similia, quorum vsui, mentis ille morbus non obstet. Probatur, quia non est ratio, qua talium isti privilegiorum censeantur incapaces, neque Bulla distinguit inter ætates, quàpropter interpretativè iudicantur, & puer, & fatuus petere, quod sibi vtile fuerit, & proficuum; & fatuo, qui piè vixit, dum mentis extitit compos, neque Eucharistia negatur, nec Extrema-Vnctio; itaque poterit illa, adhuc interdicti tempore, ministrari, & tempore quovis indulgentia plenaria Bullæ applicari, poteritque ab excommunicatione absolvi. Mend. *nu.* 12.

Resp. 3. Excommunicatum posse gaudere Bullæ privilegijs, exceptis indulgentijs; quia quamvis iste nequeat gaudere nec vti privilegijs aliundè habitis, & obtentis, privilegia tamen Bullæ non obtinentur ab excommunicato, sed à Rege obtinente, Bullam.

Dixi, *exceptis indulgentijs*; quia necessarius est status gratiæ ad lucrandas indulgentias; & si excommunicatus est pertinax, non est in statu gratiæ; sed si non fuerit pertinax, & est in gratia, & aliunde non provenit ab ipso, quòd ipse non absolvatur ab excommunicatione, si aliàs media ad indulgentias obtinendas adhibeat, credendum est piè, Ecclesiam Matrem amantissimam nolle, eum à bonorum tantorum participatione excludere. Mend. *nu.* 13. cum Villalob. Navar. Rodr. Trull. *& alijs, quos citat.*

Resp. 4. Posse etiam, hæreticos gaudere Bullæ privilegijs, eo modo etiam, quo excommunicatis concedimus; quia eadem erga istos invenitur ratio. Quod, non solùm de hæretico interno intelligendum est, vt ait Ludovicus de la Cruz, sed etiam de externo, vt ait Trull. sed dum in hæresi persisti; externâ, & non obtinet ab Inquisitoribus absolutionem nequibit eligere Confessarium virtute Bullæ, quia non potest absolvi à peccatis dum excommunicationis vinculis, per hæresim detinetur irretitus, & non tribuitur illi, facultas in Bulla, vt ab excommunicatione absolvatur. Mend. *nu.* 14.

ARTICVLVS III.

An Religiosi, Bulla gaudere possint?

Resp. Quòd excepto privilegio eligendi Confessarium ad reservatos casus (de quo infrà) possunt Religiosi gaudere reliquis privilegijs, quę illis in Bullâ non denegantur. Hoc probatur ratione illâ sæpiùs repetitâ; quia exceptio firmat regulam in contrarium; in Bulla prohibetur Religiosis ovorum, & lacticiniorum esus per Quadragesimam, nisi sexa-

sexagenarij sint, aut militares: ergo reliquis privilegijs non privantur.

Quæritur: An possit Religiosus Bullam accipere absque licentia sui Prælati?

Resp. Probabilissimum esse, quód possit. Ita communiter Expositores Bullæ: & etiam esse valdè probabile, quòd non possit, vt probat Mend. *num.* 18. Et quòd possit esse iusta causa, quâ Superior licentiam neget, & tunc accipiens, Bullam deerit paupertatis voto, vel obedientię ad minus. *Vndè resolvitur.*

1. Quòd si certò constaret, Prælatum iniustè negare licentiam Religioso accipiendi Bullam, posset tunc Religiosus Bullam accipere, quia tunc prudenter existimatur, Pontificem eripere Religiosum à subiectione Prælati erga acceptionem Bullæ, cùm non adsit iusta causę, cur tantum bonum amittat. Dixi *si certò constaret*; quia in dubio Prælato adstandum est.

2. Quòd si Religiosus accepit Bullam, vel obtenta licentia, vel iniustè negata, non potest Prælatus coarctare Religioso privilegiorum vsum, nisi Pontifex ipse coarctaverit, vel coarctandi facultatem tribuerit Prælato; quia inferior non valet concessionem Superioris restringere.

3. Novitios, adhuc renuente Prælato, posse Bullam accipere, eiusque privilegijs absque limitatione vti; quia isti Religiosorum nomine quoad favores, non quoad odia comprehenduntur. Henr. *l.* 7. *de indulg. c.* 22. *nu.* 7. Rodr. *in. Bul.* §. 6. *nu.* 9. & §. 12. *nu.* 6. Trul. *lib.* 1. §. 1. *dub.* 7. *nu.* 1. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 9. *lib.* 2. *c.* 16. *nu.* 10. Mend. *num.* 22. & *alij.*

(***)

ARTICVLVS IV.

An Vivorum Bulla possit defuncto assumi in ordine ad aliquem vsum?

Apponitur casus: Moritur quis, qui Bullam non acceperat vivorum. Circa defunctum istum quæritur, an pro eo possit accipi vivorum Bulla, vt vel absolvatur ab excommunicatione, si in ea erat, & sepeliatur in loco sacro? Vel vt moderatâ pompâ vtatur in funere, tempore interdicti? Henr. *l.* 7. *de indulg. c.* 20. *nu.* 8. *in Gl. lit.* Y. Z. piè sentit affirmativè; neque improbabile reputat Trull. Mend. verò *nu.* 24. absolutè negat. Rationem reddit; quia Bulla ista vivorum dirigitur ad vivos, & pro vivis est concessa, vt ex illis verbis constat. Y *por quanto vos N. disteis dos reales de plata*, & eam debet accipere quisque sibi, vel acceptare acceptam sibi ab alio, vt eâ possit gaudere, quorum nullum accipere, scilicet, vel acceptare, potest defunctus, cùm eius neque formalis, neque virtualis, neque interpretativa voluntas possit haberi; quia illo expirante, expirat voluntas omnis defuncti erga vivos.

Resp. Quòd si defunctus ante mortem non disposuerat, vt sibi ad hos effectus acciperetur Bulla, veram Patris Mendo sententiam puto, quia ratio eius est efficax; sed si ante mortem commisit alicui, vt Bullam sibi, & suo nomine sumeret, valet illi Bulla, quia voluntas eius permanet virtualiter ad hunc effectum, quemadmodum, & aliæ rei familiaris, & domus suæ dispositiones, quas post obitum suum reliquit habendas. Et ita in hoc casu secundo deficit efficacia rationis Patris Mendo.

Universidad de Deusto Biblioteca

DVBIVM V.

Quid debeat facere quis, vt Bullæ privilegijs gaudere possit?

RESp. Quòd vel debet ire ipse proprijs expensis in exercitu ab Hispaniarum Regibus contra Turcas, aut infideles misso, vel aliud genus obsequij ad id ipsum præstare, vel adiuvare personaliter in dicto exercitu, per annum totum in ipso permanendo; & qui personaliter non adfuerit exercitui, satisfaciet, alium pro se mitens, & qui nec iverit per se, nec alium miserit, taxatam à Commissario Bullæ eleemosynam, pro Bullâ dare tenetur. *Vndè resolves.*

1. Non gaudere Bullâ, qui contra Turcas, aut infideles in alterius Principis exercitu, præterquàm Hispaniarum Regum pugnat.

2. Neque etiam quemcumque in exercitu Regis Hispaniæ militantem, nisi contra Turcas pugnet, aut infideles, Infidelium nomine comprehenduntur Hæretici, Pagani, & Schismatici.

3. Eum qui gratuitò, & sponte assistit exercitui, aut Militiæ Senatui, vel confitendi, concionandi, aut celebrandi muneri, aut alterius cuiusvis obsequij generi, etiam gaudere Bullâ.

4. Militem, qui stipendij parte aliquâ acceptâ restantem Regi remittit, quę etiam sibi ex iustitiâ debebatur, etiâ frui Bullæ privilegijs, quia subvenit Regi ad bellum eâ stipendij parte, quam parcit; quæ estimabilior est, quàm duæ illæ drachmæ, quas pro eleemosyna tribuunt hi, qui Regis castra non sequũtur.

5. Gaudere etiam Bullâ morientes in eundo ab bellum, vel antequam finiatur annus, vel relinquentes castra antequam bellum desinat, ob causam prudentum iudicio legitimam, vt puta vrgentem morbum, strictam familiæ, & propriæ domûs necessitatem.

6. Similiter gaudere bullâ eos, qui bello adstiterunt, quod ante transactum annum fuit peractum; neque reliquam anni partem tenentur alias adire terras, vbi Regis exercitus contra infideles pugnat.

Quæritur primò: Quantum militum numerum expensis proprijs mittere teneatur, qui non sequitur castra, vt Bullæ privilegijs potiri possit?

Resp. 1. Quòd si iste talis est Cardinalis, Primas, Patriarcha, Episcopus, filius Regis, Dux, Marchio, aut Comes, quos commodè poterit, vsque ad denarium expletum numerum mittere tenetur. Quòd si tot non potuerit, ad minus quatuor mittat.

Resp. 2. Alias quascumque personas cuiuscumque conditionis existant, Clericos, aut laicos, singulos, militem vnum mittere teneri, nisi eos egestas ab obligatione eximat; quo casu bini, terni, vel quaterni mittent militem vnum, contributâ ab vnoquoque mittentium pro facultate pecuniâ.

Resp. 3. Capitula Ecclesiarum, Monasteria Religiosorum vtriusque sexûs teneri pro denis Capituli, vel Monasterij personis vnum mittere militem, cùm hoc anteà in Capitulo decisum fuerit.

Quæritur secundo: Quantam per Commissarij taxationem eleemosynam erogare debeant, qui militem ad bellum non mittunt?

Resp. 1. Cardinales, Primates, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, qui habent iurisdictionem Episcopalem, Inquisitores, & Dignitates Eccle-

Ecclesiarum Cathedraliũ, Duces, Marchiones, Comites, Commendatarios Maximos, Proreges, Duces Generales, Legatos Principum, Præsidentes, reliquos Consiliarios, Prætores Curiæ: *Dicti, Alcaldes de Casa, y Corte de su Magestad*: Auditores chancellariarum, & Regiorum fororum, & Prętores, *idest, Alcaldes del Crimen*, Fiscales Senatuum, & Regiarum Audientiarum, Numeratores Regiæ Maiestatis eos, qui in maximis numerorum Curijs rei familiaris, & numerantis rationis in Sanctæ Cruciatæ Senatu versantur, Auditores, & Fiscales eius, & Secretarios Regiæ Maiestatis, & Commendatarios commendatos omnium, Dominos vassallorum, vxores virorum istorum sæcularium, quos nominavimus, viventibus viris suis, singulos octo Ducatos pro Bulla sibi accepta erogare teneri.

Resp. 2. Reliquas personas, cuiuscumque statûs, & conditionis existant, duobus tantùm argenteis satisfacere.

Resp. 3. Ad Indas, eleemosynam aliam esse taxatam, quam vide in Trul. *l.* 1. §. 3. *dub.* 1. *nũ.* 2.

DVBIVM VI.

Resolvuntur difficultates aliquæ circa dicta dubio proximo.

QVæritur primò: *Vtrùm vltra titulos, qui nominatur eorum, qui milites decem mittere tenentur, vt Bullæ gaudeant gratijs, alij etiam tituli teneantur, quorum ibi mentio non est facta?* Respondetur: Etiam comprehendi Proceres alios eiusdem, aut maioris tituli secundùm communem æstimationem, sed non comprehenduntur hi, qui sunt minoris tituli, vt Vice-Comites, & alij similes; quia quamvis isti sint ditiores alijs, attendit Pontifex, vel ad id quod frequentiùs accidit; nempè superiùs nominatos, magis affluere; vel ad titulorum præeminentiam, quâ cæteros excedunt, & ob ipsam, onus illis imponit gravius. Mend. *d.* 7. *nu.* 5.

Quæritur secundò: An qui personaliter adeunt bellum, vel militem pro se mittunt, quod alio titulo facere tenebantur, vt puta, lege, præcepto Regis, Equites habitu insigniti, & Proceres, gaudeant Bulla? Respondetur affirmativè, quia vno, & eodem actu potest duplici obligationi fieri satis; v.g. vno, & eodem ieiunio, & præceptum adimpleri Ecclesiasticum, & pœnitentia à Confessario imposita.

Tertiò quæritur: An hi, qui possunt, & tenentur mittere decem milites, mittentes quatuor, vel hi, qui non possunt mittere quatuor, qui est minimus militum numerus, missis duobus, vel tribus, gaudeant Bullæ? Mend. *num.* 9. negativè respondet: quia non adhibent requisitum, & petitam conditionem, nempè mittere decem, si possunt, vel ad minus quatuor, si facultas maior non habetur: sed consequenter magis ad suam doctrinam posset affirmativam ferre sententiam: quia *num.* 4. *disp.* 5. asserit, militem à quo petitur pro requisito ad gaudium Bullæ adire gratiosè, & sine stipendio bellum, posse frui Bulla, quamvis accipiat aliquid de stipendio, quòd pro mercede solvitur, modò remittat aliquam partem debitæ mercedis; & rationem reddit Mendo: quia in eo, quod remittit, maius tribuit subsidium ad bellum, quàm si duos porrigeret argenteos, qui vulgò pro *Bulla* dantur potiunda. Ergo etiam ille, qui potens mittere decem milites, minorem mittunt numerum, vel qui non potens mitte-

Universidad de Deusto Biblioteca

mittere quatuor; mittit duos aut tres, gaudebit Bullâ; quia in militibus illis missis, maius adfert subsidium, quàm si octo tribueret argenteos, quæ est taxata Nobilibus eleemosyna à Commissario, quamvis possint mittere illos decem, & illos quatuor milites. Et hanc sententiam puto probabilem.

Quartò quæritur: An ij, qui vnum militem mittere tenentur, & cùm possint non mittunt, sed simul cum alijs personis contribuunt, vt mittatur vnus, & alatur per integrum belli durantis annum, gaudeant Bulla? Mendo respondet negativè, sed consequenter ad dicta respondeo: quòd si id, quod contribuunt, est subsidium maius quàm duo illi argentei, qui pro Bullâ tribuuntur, probabile est posse gaudere Bullâ.

Quæritur quintò: Quidnam intelligatur pro Capitulis, & Monasterijs, quandò eis imponitur, vt pro denis quibusque personis militem vnum mittant?

Respondeo primò: Quòd quamvis per Capitula intelligantur vulgò, Capitula Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiatæ; est tamen probabile ampliari, & extendi etiam ad Capitula Parochiarum, vbi est Rector, aut Prior, & Beneficiati qui Capitula celebrant, & in eis discutiunt, ventilant, & decidunt ea, quæ Ecclesijs suis congruere videntur: itaque indultum hoc potest etiam extendi, & ampliari ad has Ecclesias, quia & ijs, & Regi propitium. Mend. *num.*8.

Resp.2. Per Monasteria intelligi quascumque Religiosorum vtriusque sexus Communitates, quamvis alio nomine appellentur, v.g. Collegia, domus, &c. Non verò intelliguntur aliæ Communitates, v.g. Collegia sæcularium, Confraternitates, &c. *idem nu.*7.

Sextò quæritur: An miles missus ab istis communitatibus pro denis quibusque vnus, debeat necessariò de Capituli consensu mitti? Respondetur, necessarium esse in Communitatibus illis, in quibus non potest disponi de bonis Communitatis sine Capituli deliberatione: sed minimè necessarium in ijs, in quibus disponi potest de ijs bonis ad pia opera, sine deliberatione tali.

Quæritur septimò: An in prædictis Communitatibus, Quando excedunt ipsi in Communitate commorantes numerum decem personarum, sed ad viginti non perveniunt, duos tunc milites mittere teneantur? Respondetur negativè: tantùm enim obligantur, tunc ad mittendum vltra militem, tatam illam partem, quæ excedentem denarium numerum attingit.

Octavò quæritur: An milites, qui aliorum sumptibus ad bella mittuntur, Bullæ etiam gaudeant indulgentiâ? Respondetur affirmativè, si pauperes sint: nam ita expressum in Bullâ legitur. Et adhuc si durante belli anno diteſcant, vel ex arreptis ex hoste spolijs, vel ex prœmijs, quæ ex rebus gestis meriti fuerint, minimé, expensis se proprijs alere tenentur, vt indulgentiam lucrentur Bullæ: quia illius fortunæ pulchrior facies per accidens arrisit illis: & sufficit pauperes fuisse, quando ad bellum missi fuere.

Quæritur nonò: An si miles ab aliquo missus, vel non intrat, vel relinquit bellum culpabiliter ante expletum annum, tunc is, qui misit illum, gaudeat Bulla? Respondetur affirmativè, si iste iam fecisset expensas debitas, & sumptus; quia quantùm in se fuit, postulata implevit.

(***)

DV-

DVBIVM VII.

De alijs difficultatibus, tam de Clericis, quàm Religiosis, qui adeunt bellum, vt milites in spiritualibus adiuvent.

NOn tantùm conceduntur Bullę privilegia sæcularibus, qui expensis proprijs per vnum annum pugnaverint, vel alio quocunque obsequij genere, Regis exercitum adiuverint, sed etiam Clericis sæcularibus, qui de licentia Ordinariorum suorum, & Regularibus, qui de licentiâ Superiorum suorum, solvatur, Verbum Dei in exercitu prædicaverint, vel alia Ecclesiastica ministeria, & pia exercuerint; quibus alia specialia conceduntur privilegia, de quibus *aliquæ difficultates resolvuntur.*

ARTICVLVS I.

Quinam hìc, nomine Clericorum, & Regularium intelligãtur? Et quamnam licentiam habere debeant, vt exercitum adeant? Et quæ ministeria ibi exercere teneantur?

REsp.1. Clericorum nomine intelligi eos, qui habent aliquem Ordinem à primâ Tonsurâ (si hæc potest vocari Ordo) vsque ad vltimum; & in hoc sensu loquuntur frequenter, & Iura, & Concilia, & in eodem sensu potest accipi in Bulla, Clericorum nomen, quia favores sunt ampliandi; itaque potest gaudere Bulla quicumque aliquo Ordine fuerit initiatus, serviens per annum integrum exercitui in pijs ministerijs, nisi fortè iste primâ initiatus Tonsurâ privilegia amiserit Clericalia, vel quia mutarit habitum, vel alio casu quocunque, quia iste iam non reputatur Clericus.

Resp. 2. Regularium nomine, quoad casum, de quo agimus, intelligi etiam laicos, vel conversos, eâdem ratione; idest, quia favores sunt ampliandi; & quamvis videatur, ministeria confessionis audiendæ, neque concionis habendæ, &c. istis non incumbere, possunt tamen alia ministeria pia, & misericordiæ opera exercere; quod videtur annuere Bulla, atque istos ipsos comprehendere, cùm ait. *Ministerios Ecclesiasticos, y pios*; distinguens Bulla alia ministeria pia, vltra Ecclesiastica ministeria concionandi, & audiendi confessiones, &c.

Resp.3. Licentiam Ordinarij, vt Clericus sæcularis exercitum adeat, non esse necessarium, vt sit expressa, sed sufficere, quòd sit per ratiabitionem, scilicet quòd videat illum proficisci, & consentiat; quamvis licentia ad audiendas confessiones, & alia similia ministeria expressa debeat esse; quia ita Pontificis intentioni fit satis. Mend. *d. 9.n.*8.

Resp. 4. Religiosos indigere expressâ Prælati licentiâ, quia ita exigit, & optima gubernatio, & humilis subiectio, quam Religiosi profitentur.

Resp. 5. Neque etiam Clerico sæculari, licentiam sufficere interpretativam, nempè putare, sibi ab Ordinario non denegandam, si peteret; quia cùm hæc licentia sit veluc approbatio personæ, vt illi ministeria pia, & eorum exercitia in exercitu committantur, nemo potest à seipso eligi Iudex sui ipsius, vt seipsum approbet.

Resp. 6. Clerico tam sæculari, quàm regulari, sufficere licentiam implicitam,

& vir-

Universidad de Deusto Biblioteca

& virtualem, quando hæc includitur in aliâ licentiâ expressâ, vt puta, si habet licentiam à Prælato vnusquisque proprio, discurrendi, & prædicandi per vniversi Regni partes, cùm exercitus adsit intra Regnum, censetur etiam ad exercitum habere licentiam.

Resp. 7. Quod quantum administeria, debet vnusquisque ea exercere, quæ sui ordinis propria extiterint; quę si oblata occasione non exercet, sed in exercitu ociosus assistit, Bullæ privilegijs non gaudebit. Qui autem nullo Ordine insigniuntur, vt Religiosi laici, exercentes quodlibet misericordiæ opus, vel corporale sit, vel spirituale, privilegia Bullæ lucrabuntur, quia ministeria pia iam exercent.

Resp. 8. Sacerdotem, qui cum licentia Ordinarij, vadit ad territorium alienum, vbi tunc exercitus invenitur, non posse, attento iure cõmuni, sine approbatione Ordinarij illius territorij, vel Ordinarij exercitûs si habetur, audire confessiones aliorum, nisi eorum tantùm, qui ex Diœcesi sunt propriâ, secundùm opinionem illam, quæ docet, approbationem Confessarij debere esse factam ab Ordinario pœnitentis. Et cùm iurisdictio fori pœnitentiæ non sit contentiosa, potest hæc exerceri in territorio alieno, quamvis non inter alienas personas.

Resp. 9. Parocho non sufficere licentiam Ordinarij, vt exercitum adeat, sed egere ipsius Pontificis licentiâ; quod idem sentiendum est de Episcopis, & omnibus illis, quibus cura incumbit animarum.

(***)

ARTICVLVS II.

Quænam particularia privilegia concedantur Clericis, & Regularibus ad exercitum euntibus?

RESp. 1. Cum Clericis, & Regularibus habentibus beneficium dispensari in residentiâ illius, facultatemque concedi, vt per idoneos substitutos beneficio inserviant, dum illi exercitui adsunt. *Circa quod resolvitur.*

1. Privilegium hoc non intelligi erga eos, qui curam habent animarum, nisi à Pontifice licentiam obtinuerint, exercitum adeundi.

2. Eos, qui habent regulare beneficium curæ animarum, posse adire exercitum cum licentiâ sui Prælati, quia ob eandem occasionem dandum erat beneficium alteri, non vt Vicario euntis ad exercitum, sed vt haberet illud eodem titulo, quo ille, qui ad exercitum vadit, habebat beneficium. Et quamvis ista regularia beneficia inspecta secundùm se, & suam institutionem, sint perpetua iura percipiendorum fructuum, oportuit tamen, tam ad Religiosæ disciplinæ observantiam, quam ad omnimodam subditorum obedientiam, vt in arbitrio sit Superiorum, beneficiorum talium Administratores mutare. Itaque perpetuum illud ius percipiendorum fructuum, est ius Religionis, aut Monasterij, & Religiosi illi, quibus beneficium incumbit, vocari debent, Administratores, aut Vicarij Religionis, aut Monasterij; nisi aliquis eorum possidere possit perpetuò beneficium per Pontificis concessionem.

3. Non posse gaudere prędicto privilegio Prælatos Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, quamvis animarum curam non habeant. Ratio, quia residere tenentur, & Ecclesiæ istæ non admittunt substitutos alios præter Coadiutores, Pontificis indulto, Neque etiam ex vi huius privilegij, tenentur consentire in substituendis Vicarijs idoneis, quia detraherent auctoritati, & exemptionibus proprijs; itaque non debet intelligi, privilegium istud concessum fuisse in præiudicium istarum Ecclesiarum; sed de Capituli consensu possunt tales Prælati exercitum adire, si rationes inventæ fuerint vrgentes, vt eant; quia Capitulum potest licentiam præbere ad absentiam, quando causa adest legitima, quæ præponderat residentiæ.

4. Reliquos, qui ad exercitum euntes, relinquunt Vicarios idoneos, qui beneficio inserviant, percipere beneficij fructus adhuc, cùm in exercitu manent; detractâ tamen indè parte ad Vicariorum sustentationem congruente. Vocantur idonei Vicarij isti, cùm habent virtutis; & scientiæ sufficientiam, vt beneficiorum obligationibus satisfaciant. Hos potest ipse assignare, pro quo substituuntur.

Resp. 2. De omnibus tam Clericis, quàm Regularibus ad exercitum euntibus, declarari, licitum esse sibi assistere in exercitu in ministerijs suis, quin aliquando ob id irregularitatem incurrant. *circa quod resolvitur.*

1. Non licere illis per hoc privilegium pugnare, quia irregularitatem incurrerent.

2. Posse exercere ministeria pia, inter quæ numerari potest: exhortari milites, vt vincant, & fidei hostes iugulent; sed quia in hâc exhortatione, poterant scrupulosi viri irregularitatem timere, vel in assistendo hostium iugulationi, quamvis operibus pijs detenti; Generalis Cruciatæ Commissarius declarat: in nullo istorum illos irregularitatem incurre.

Quæritur: Quomodo declaret, istud Commissarius?

Resp. Duplici viâ declarare, vel proponendo, vt securam in praxi opinionem docentem, non incurri irregularitatem in exhortando milites in bello iusto, vt strenuè pugnent, præcipuè contra fidei hostes, vel interpretando, quòd posito, ob exhortationem, irregularitatem incurri, dispensat Pontifex in iure talem irregularitatem inducente, ne Clerici, & Religiosi incurrant ob tales exhortationes ad milites factas. Certum quoque est, Commissarium habere facultatem interpretandi quidquid in Bullâ non clarum extiterit, modò interpretatio, & declaratio, expressis eiusdem Bullæ verbis non opponatur.

DVBIVM VIII.

De alijs duobus privilegijs, quæ militibus conceduntur?

DVo privilegia conceduntur militibus, qui huic bello adfuerint, vel declaratur, duo licere illis. Primum, non ieiunare diebus, quibus voto, aut præcepto Ecclesiæ ieiunare tenentur. Secundum, occupari diebus festivis in laboribus, & negotijs ad belli vsum necessarijs. *circa quod resolvitur.*

1. Privilegium non ieiunandi, liberare milites à ieiunio, vel ex voto, adhuc in illis diebus, quibus non excusantur aliquâ causâ legitimâ sufficiente excusare quemlibet alium.

2. Quod

Universidad de Deusto Biblioteca

2. Quod quàmvis in diebus, quibus præcipitur ieiunium, ab eo excusentur, non ideó carnibus vesci possunt. Ratio, quia præceptum Ecclesiæ non tantùm prohibet esum carnium eis, qui ieiunant, sed etiam eis, qui ieiunare non tenentur, vt patet in adolescentibus, qui nondum vigesimum primum ætatis annum implevere.

3. Quòd si dies ille, quo ex voto ieiunare tenebantur, non est ex diebus, in quibus ab Ecclesia prohibentur carnes, dependet ab intentione, qua voverunt, an liceat comedere carnes, vel non liceat? Quia obligatio voti non patet latiùs, quàm voventis intentio; quare si habuit intentionem non obligandi se ad abstinentiam carnium die, quâ integram ieiunij formam observare nequiret, aut per legitimam causam licitum illi foret talem ieiunij formam non observare, tunc poterit ipsâ die carnes comedere non obstante ieiunij voto, quia nullum est præceptum talem carnium esum prohibens. Si autem vovit absolutè se tali die ieiunaturum, non poterit illo die comedere carnes; quia communi omnium sensu, quando non de contrariâ intentione constat, intelligitur, eum qui vovit ieiunium, contrahere per votum, obligationem, quam præceptum inducit Ecclesiasticum, nempè abstinentiam à carnibus, & sicuti non potest comedere carnes, qui ieiunij præcepto non tenetur; sic similiter, qui à ieiunio, quod vovit excusatur, carnibus etiam debet abstineri. Patet hoc in ieiunijs, quæ loca quædam in profesto alicuius Sancti voverunt, in quibus profestis, & ieiunij diebus non licet carnium esus his, qui vel labore, vel aliquâ causâ legitimâ à ieiunij onere non excusantur.

4. Privilegium non ieiunandi diebus prædictis, tantùm concedi militibus, qui expensis proprijs in exercitu militant, vel ijs, qui ob paupertatem alienis sumptibus assistunt exercitui, vel ijs, qui etsi non sint pauperes, & pro stipendio serviant, partem tamen aliquam debitæ mercedis remittunt; quia etiam istos diximus gaudere Bullæ privilegijs propter rationem redditam, *Resp. 4. dubij quinti*, sed non conceditur privilegium istud accipientibus intentum stipendium, si non sint pauperes; neque etiam Religiosis, & Clericis, qui exercitum adeunt, fortasse, vt ieiunijs, & orationibus, optatum belli eventum adstruant.

5. Non solvi milites obligatione audiendi Missam diebus festivis, si aliàs possint, quāvis diebus ijsdē festivis possint occupari laboribus, & negotijs belli.

6. Non concedi militibus hoc privilegium, occupari diebus festivis, laboribus, & negotijs belli, quando necessitas evidens expostulat, quia tunc privilegio non egent, sed quando necessitas non vrget, & negotia ista in alium diem differri possent, sed festivo die possunt fieri accommodatiùs; vel quando dubitatur, an opus sit nec-ne? Vt sine scrupulo hæc faciant, & privilegium hoc faveat dumtaxat militibus ijsdem, quibus privilegium non ieiunandi adstipulatur.

DVBIVM IX.

De aliquibus difficultatibus erga taxationem eleemosynæ pro Bulla.

DIximus in dubio quinto, quas quantitates taxet Commissarius ad varias personas. *Nunc resolvemus aliquas super ista materia difficultates.*

An

1. An possit gaudere *Bullâ*, qui statim non erogat eleemosynam? Respondetur affirmativè, modò assignet diem, quo erogabit; quia Commissarius iubet eos, qui summaria *Bullarium* dispertiunt, vt *Bullas* creditò porrigant his, qui assignatâ die promittunt se soluturos, quamvis statim non solvatur.

2. An vxores eorum, qui argenteos octo pro *Bullâ* porrigere tenentur, quamvis illæ non habeant bonorum administrationem, debeant porrigere eosdem argenteos octo pro *Bullâ*, viventibus maritis? Respondetur affirmativè; quia Commissarius in hac taxatione non attendit an vxores habeant talem administrationem, nec-ne? Quæ quidem administratio frequenter denegatur fœminis, sed attendit specialem dignitatem, in qua sunt constituti viri earum.

3. An defunctis maritis, debeant vxores eosdem octo argenteos erogare? Respondetur negativè, nisi permaneant illæ vsufructuariæ, vt advertit Trull. quia tunc verè permanent vassallorum Dominæ. Et circa hunc casum ait Mendo, Dominum proprietatis non teneri, octo illos argenteos porrigere, quia non est Dominus absolutus, dum vsufructu caret. Sed contrarium videtur probabile, si Dominus iste proprietatis gaudet iam titulo, & aliquibus præeminentijs, quamvis non accipiat fructus; quia in istis taxationibus magis attenditur excellentia personarum, quam reditus, & proventus, vt Mendus idem advertit.

4. An si duo sint Domini loci eiusdem, vnusquisque eorum, argenteos octo erogare teneatur? Respondetur affirmativè; quia vnusquisque gaudet prærogativa Domini vassallorum, quod attendit Commissarius in taxanda *Bulla*.

5. An qui habet iurisdictionem in loco, sed non est Dominus domuum, agrorum, & redituum, debeat eosdem octo porrigere argenteos? Respondetur negativè; quia non est Dominus vassallorum, cùm non habeat iurisdictionem ad tale dominium requisitam.

6. An debeat eosdem argenteos octo porrigere, qui habet dominium, & iurisdictionem in aliquo termino agri, in quo non sunt vassalli, vel quia deserverunt terminum, vel quia nunquam in eo habitarunt? Videtur debere, quia potest Dominus iste apprehendere, & punire delinquentes in illo termino, potest etiam ad illum incolas conducere, & in hoc casu argenteos octo reddere teneretur.

7. An quando in vno inveniuntur tituli plures, pro quorum singulis separatis deberet octo reddere argenteos, toties debeat octo argenteos erogare, quoties titulo obligante insignitur? v. g. Consiliarius Regius, qui etiam est Comes, Dominus vassallorum, & Commendatarius, ob quatuor istos titulos, quater argenteos octo debeat erogare? Respondetur negativè; quia Commissarius non assignat plus, nec præsumendum est aliam esse Commissarij mentem, qui eam expressisset in re præcipuè toties ocurrente.

DVBIVM X

De Indulgentijs Bullæ.

QVamvis inter Bullæ indulgentias, varia alia privilegia misceantur, quidquid ad indulgentias attinet, in hoc dubio cumulabimus, reliqua verò privilegia ad sequentia dubia remittentur.

ARTI-

Universidad de Deusto Biblioteca

ARTICVLVS I.

Quænam indulgentiæ concedantur in Bulla?

RESP. 1. Iis, qui proprijs expensis adeunt exercitum, vel mittunt alios, & ijs etiam, qui mittuntur, si pauperes sint, & ijs etiam, qui gratuitò, & spontaneè ad pugnandum, vel ad quodlibet obsequij genus ad exercitum vadunt, vt dictum est, plenariam concedi indulgentiam.

2. Accipientibus *B*ullam, dantibusque eleemosynam assignatam, concedi semel in vitâ, & iterum in articulo mortis, vt possit illis Plenaria applicari indulgentia.

3. Ieiunantibus in diebus aliàs non præceptis, & orantibus, & implorantibus divinum auxilium pro victoriâ contra infideles obtinendâ, præcantibusque Dei gratiam pro vnione, & confœderatione inter Christianos Principes; & si ieiunare ob impedimenta legitima non valuerint, & aliud quodcumque pium opus de arbitrio Confessarij, aut Parochi exercuerint, toties, quoties, id fecerint durante anno, conceduntur eis, & relaxantur misericorditer quindecim anni, & quindecim quadragenæ indulgentiæ, & remissionis pœnitentiarum sibi impositarum, & quocumque modo debitarum, & quod etiam participes sint omnium orationum, eleemosynarum peregrinationum, etiam earum, quæ ad Hierosolynam fiunt, & aliorum quorumcumque piorum operum, quæ in totâ Militante Ecclesiâ, & singulis eius membris quotidie fiunt.

4. Ijs, qui diebus Quadragesimæ, quibus Romæ assignata est statio, visitaverint quinque Ecclesias, aut Altaria, aut, vbi non fuerint quinque Ecclesiæ, aut Altaria, Ecclesiam vnam, aut Altare, quinquies, & ibi devotè oraverint pro vnione, & victoria supradictis, concedi omnes indulgentias, & remissiones, que conceduntur visitantibus Ecclesias Romæ, & intrà, & extra Vrbem.

Hæ sunt indulgentiæ *B*ullæ; & quia in illis sunt difficultates variæ, enodantur sequentibus huius dubij articulis.

ARTICVLVS II.

De Indulgentia Plenaria, quæ euntibus, vel mittentibus ad exercitum conceditur.

SVppono primò, vt certum: euntes ad exercitum, vel mittentes pro se alios, vt dictum est, gaudere cunctis *B*ullæ privilegijs quibus gaudent ij, qui pro *B*ullâ erogant eleemosynam, quia præcipuè magis pro illis, quàm pro istis, concessa est *B*ulla.

Suppono secundò: Euntes ad exercitum, vel mittentes, non indigere ad lucranda *B*ullæ privilegia, tam vivorum quàm defunctorum, accepto *B*ullæ summario, vt indigent hi, qui non euntes, vel mittentes tribuunt eleemosynam; tamen hoc privilegium non extenditur, neque intelligitur quoad Compositionis *B*ullam. *His suppositis.*

Quæritur primò: An indulgentia Plenaria, quæ conceditur initio Bullæ euntibus ad exercitum, vel mittentibus alios sit eadem indulgentia, quæ postea conceditur accipientibus summarium Bullæ, vt applicetur sibi semel in vita, & iterum in mortis articulo?

Res-

Respondetur affirmativè, & communiter omnium tenetur plausu; *Vndè resolvitur.*

1. Tam euntem, quàm mittentem ad exercitum, plenariam posse lucrari indulgentiam semel in vitâ, & iterum in mortis articulo, quia non putandum est, minus isti concedi, quàm accipientibus summarium.

2. Quòd, quamvis ij qui vadunt, aut mittunt ad bellum applicent Indulgentiam Plenariam pro animabus, Purgatorij per modum suffragij vtentes privilegio sibi à Pontifice concesso, possunt etiam eandem Indulgentiam Plenariam lucrari sibi; tum quia gratiæ, & privilegia debent ampliari; tum quia maioris æstimationis, & subsidij est, quod isti tribuunt euntes, vel mittentes ad bellum, quàm id quod tribuunt accipientes summarium *B*ullæ vivorum, & defunctorum; ergo si sumentibus duo illa summaria; conceduntur istæ gratiæ, potiori iure tenendum est, concedi etiam euntibus, aut mittentibus ad bellum, quia aliàs parciorem se erga istos, quàm erga illos gereret Pontifex. Mendo. *d.* 12.

Secundo quæritur; An ad istam lucrandam Indulgentiam, confessio requiratur actualis?

Respondetur affirmativè, quando quis confiteri potest; sed si non potest sufficit confitendi desiderium; quia *B*ulla ait, Indulgentiam istam, & remissionem omnium peccatorum concedi: *Si fuerint contriti corde, & ore confessi, vel non valentes confiteri, corde desiderave rint confessionem.* Et hæc opinio debêt, vt magis secura suaderi, vt docet Suarez, quamvis probabilem reputet contrariam quam docet Diana cum alijs, quos ipse refert, putans, quòd quando vna Indulgentia conceditur contritis, & confessis, sufficit contritio ad lucrandam Indulgentiam. Suar. *to.* 4. *in* 3. *p. d.* 52. *sect.* 3. *à num.* to. Dian. *to.* 1. *tr.* 11. *Res.* 105. *Vndè resolvitur.*

1. Quòd quamvis ad lucrandam Indulgentiam istam, doceatur, lucraturos debere esse contritos, & confessos, sufficere confessionem cum attritione, quæ quidem attritio, sub nomine contritionis comprehendi solet, quamvis imperfectæ; quia Pontifex dumtaxat intendit assignare partes essentiales, quæ sufficienter Sacramentum constituunt Pœnitentiæ.

2. Non sufficere confessionem factam ante tempus, in quo lucranda est Indulgentia, neque confessionem, quæ fit intra tempus, in quo quis Indulgentiam lucrari potest, si quando adhibetur vltimum requisitum ad eius lucrum, non est quis in gratiæ statu, qui quidem status requiritur, vt quis sibi lucretur indulgentiam.

3. Illum qui bonâ fide confessus est, quamvis invalidè, quia putavit, Confessarium habere potestatem ad absolvendum quam quidem non habebat; vbi primùm in gratiæ statu per contritionem collocatus fuerit, lucraturum Indulgentiam; hæc namque est asque dubio mens & animus Pontificis, scilicet vt lucretur illam ille, qui confessus est benè, quantum fuit ex parte sua. Quòd idem dicendum est de eo, qui confessionem fecit informem, (si forsan hæc datur) & de eo, qui ob naturalem oblivionem, mortalem culpam in confessione reliquit; sed omnes isti supradicti, si antequàm vltimum adhibeant requisitum ad Indulgentiam lucrandam, advertunt defe-

Universidad de Deusto Biblioteca

defectum; debent vt illum suppleant, iterum confiteri. Mend. *d.6.nu.39.& 40.*

6. Eum, qui solùm peccata venialia in se, cognoscit, non teneri ad confessionem pro obtinendâ Indulgentiâ. *Idem num. 41.*

Tertiò quæritur: Quandonam Indulgentiam illam lucrentur, qui ad exercitum tendunt?

Respondetur: Quod in opinione magis certa in fine anni lucrabuntur Indulgentiam; quia tunc adhibetur vltimum requisitũ; vel annus sit solaris, vel sit annus integer in prudentis æstimatione, quamvis aliqui desint dies; sed in opinione benigniori, toties quoties pœnituerit eos, & confessi fuerint intra annum, quo sunt in exercitu lucrabuntur illam; quia contritio, & confessio iubentur vt media requisita, & Indulgentia conceditur absolutè non coarctata ad vnam vicem; itaque neque nos illam coarctare debemus. Mend. *d.6.nu.52.* Villal. Rod. Dian. *tr.11. Res. 109.*

ARTICVLVS III.

De Indulgentia Plenaria, quæ conceditur accipientibus summarium Bullæ.

HÆc Indulgentia, quamvis sit eadem, quæ conceditur euntibus ad exercitum, aut mittentibus, certum tamen est, accipientibus *B*ullam non posse applicari, nisi semel in vita, & semel in mortis articulo, quia hæc coarctatio, & limitatio legitur expressa in *B*ulla. *Vndè resolvitur.*

1. Ei, cui semel applicata fuit in articulo mortis, si posteà convaluerit, non posse applicari iterum virtute eiusdem *B*ullæ, si iterum in articulum mortis inciderit. Quamvis contraria sententia sit etiam probabilis.

2. Quòd si Confessarius applicaret sub conditione Indulgentiam alicui dicens: *Applico tibi Indulgentiam, si moriaris, si verò non moriaris, Deus reservet eam tibi ad verum mortis articulum.* Tunc non erit necessaria nova *B*ulla ad applicandam ei Indulgentiam pro articulo mortis, si iterum sit in eodem articulo intra eundem annum. Mend. *d. 27. num. 2.*

Quæritur primò: An possit applicare Indulgentiam in vita, & in morte alius distinctus à Confessario?

Respondetur: Certiorem esse negativam sententiam, quia Pontifex non concedit illam, nisi mediante Confessarij applicatione, & tanquam delegans illi concessionem, vt constat ex *B*ullæ verbis. Et quantùm applicationem Indulgentiæ in vitâ, consentiunt omnes debere applicari per Confessarium ab Ordinario approbatum. Quantùm verò ad applicationem eius in mortis articulo, Diana cum alijs docet: Quòd in absentia Sacerdotis potest applicare laicus; sed in hoc casu iam *B*ulla prævenit, & præoccupat, dicens, posse quemquam lucrari Indulgentiam, quamvis non mediet Sacerdos applicans, dum ille moriatur contritus, modò confessus fuerit tempore ab Ecclesiâ statuto, & huic gratiæ *B*ullæ fretus, non fuerit in confitendo negligens. Trull. *lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 19.* Dian. *1. p. tra. 11. Res. 106.*

Quæritur secundò: An Indulgentia debeat applicari in confessione, vel an extra eam sufficiat?

Respondetur, sufficere, quòd extra eam applicetur; quia neque Pontifex iubet, nequè Indulgentia ex se Sacramentum postulat Pœnitentiæ, vt applicetur. *Vndè resolvitur.* Mend. *d.27. nu.12.*

1. Posse applicari absenti; quia cùm possit applicari extra confessionem, nulla est ratio, quâ non possit applicari absenti, si hic petat formali, aut interpretativâ voluntate. *Idem nu.15.*

2. Quòd quando quis petit Indulgentiam formaliter, aut interpretativè, potest applicari ei, quamvis ille ignoret applicari sibi. Ratio est; quia ad lucrandam indulgentiam non est necessarium, vt ille adhibeat requisitum aliquod, sed sufficit notum esse, eum habere Bullam, & aliàs sint coniecturæ probabiles, quòd ipse est capax lucrandi Indulgentiam, & iudicetur eum petere virtualiter, interpretativè saltem Indulgentiam, vt iudicatur de illo, qui amisit sensus. Quia de Christiano putandum est, petere tunc, quidquid animæ suæ saluti concedi potest, quare laudanda est illa consuetudo Confessarij applicantis pœnitenti post absolutionem quotquot Indulgentias potest, quia iudicat pœnitentem interpretativè petere, omnes eas sibi applicari. *Idem nu. 16.* cum Suar. Nav. Henr. Cord. Trul.

Tertiò quæritur: Quibus verbis applicari debeat Indulgentia, & an sine verbis possit?

Respondetur: Quòd quamvis sit laudabile, quòd applicetur verbis à Commissario assignatis, sed non esse id necessarium, & adhuc mentaliter posse concedi. Mend. *d.27. n.4. & 5.*

Quartò quæritur: An simul cum hac Indulgentia possit applicari alia plenaria pro alio titulo?

Respondetur affirmativè: Et expedit, quòd moribundo applicentur omnes Indulgentiæ Plenariæ, quas lucrari potest, quia fortasse non habebit requisita ad lucrandam vnam, benè tamen ad lucrandam aliam. Et proderit, quòd non applicentur cunctę Indulgentiæ simul, & eodem tempore, sed successivè, relinquendo temporis intervallum inter concessam, & concedendam, vt si fortè in tempore illo culpam aliquam denuò contraxerit, satisfaciat pro illa per Indulgentiam.

Quintò quæritur: Quidnam intelligatur hic per mortis articulum?

Respondetur, intelligi etiam periculum mortis, in quo potest etiam applicari Indulgentia, quæ conceditur ad articulum. Est sententia communis; quia quamvis articulus, & periculum mortis metaphysicè distinguantur, moraliter tamen, & in ordine ad hos effectus, pro eodem reputantur in iure. Mend. *nu.34. cum multis. Vndè resolvitur.*

1. Periculum insaniendi perpetuò, aut per longam temporis moram, æquivalere periculo mortis; & ita in hoc periculo potest quis absolvi per Bullam, & applicatâ gaudere Indulgentiâ. *Idẽ n.34.*

2. Damnatum ad triremes, non iudicari in periculo versari mortis, nisi fortè navigationem naviget periculosissimam, & ita extra hunc casum non posse ei valenti Indulgentiam applicari.

3. Neque etiam cunctis fœminis gravidis applicari posse, quando partûs instat hora, quia non omnes tunc de morte periclitantur, sed illæ solum, quę ab aliorum partuum experientiâ, vel ex circunstantijs tunc occurrentibus, sinistrum patrum prudenter timent. *Idem. Ibid.*

4. Eum qui sciens, & volens sine vrgente causâ exponit se periculo mortis,

Universidade de Deusto Biblioteca

tis, non posse gaudere hoc Bullæ privilegio, quod conceditur in mortis periculo constitutis. Ratio, quia iste non est constitutus in periculo mortis, sed ipse se voluntariè, constituit; vndè si recedit ab illa voluntate, vt potest, extra periculum erit; sed semel in periculo constitutus, & iam vitare non valens, si ipse est benè dispositus, potest absolvi, potestque ei Indulgentia applicari Mend. *nu.* 35. cum Trul. Corduba, & Sanch.

Quæritur sextò: An possit quis lucrari Indulgentiam quin ipsam applicet Confessarius?

Respondetur affirmativè: Quando quis morte rapitur subitò, aut sine Confessarij copiâ, modò moriatur contritus, & fretus hoc privilegio non fuerit negligens in confitendo, tempore ab Ecclesia statuto. *Vndè resolvitur.*

1. Quòd, quamvis non possit lucrari indulgentiam istam is, qui fuit negligens in fiduciâ huius Indulgentiæ, potest tamen is, qui fuit negligens ob fiduciam eius. Explicatur. Negligens in fiduciâ Indulgentiæ dicitur ille, qui non negligens esset, si non haberet Bullam, aut speraret habere. Negligens ob fiduciam, vel cum fiduciâ est ille, qui attentâ propriâ fragilitate, & passione, eodem modo esset negligens habendo Bullam, ac non habendo, quamvis ex eò quòd habeat, vel speret habere illam, solamen accipiat, proposito sibi remedio, quod potest in illa lucrari. Mend. *nu.* 37.

2. Quòd qui in fiducia dicta neglexit confessionem, vel annuam, vel eam, quæ fit ante communionem, cùm advertit in se mortalem culpam, aut cùm fuerit in mortis periculo, non potest gaudere hac gratia, quia omisit confessionem tempore ab Ecclesia statuto.

3. Quod quamvis negligens in his casibus, vel aliquo eorum, in fiducia huius gratiæ, nequeat illam lucrari, quamvis contritus moriatur, nisi Confessarius applicet eam; potest tamen si Confessarius applicet, quamvis eius confessionem audire non potuerit; quia Bulla solùm excludit istum ab ea gratia, quæ conceditur sine interveniente applicatione. Et si est vera sententia Dianæ asserentis. Laicum posse applicare Indulgentiam morienti, absente Sacerdote; poterit etiam applicare laicus illi, quamvis in fiducia Bullæ negligens fuerit in confessionibus statuto tempore.

4. Eum qui non habet mortalem culpam, posse lucrari Indulgentiam, quamvis sine contritione moriatur, in casu scilicet repentinæ mortis, vel absente Confessario.

ARTICVLVS IV.

De Indulgentia quindecim annorum, & participationis piorum operum.

Quæritur primò: Quænam gratiæ concedantur in hac clausula Bullæ, & quomodo intelligi debeant?

Resp. 1. Concedi quindecim annos, & quindecim quadragenas remissionis pœnitentiarum impositarum, & quolibet modo debitarum. Quadragena est: Numerus quadraginta dierum, vndè quindecim quadragenæ sexcentorum dierum erit numerus. Pro cuius intelligentiâ advertendum est, Sacros Canones statuisse olim rigorosas pœnas pro culpis, assignando quibusdam culpis aliquot dies, alijs culpis aliquot annos, per quorum spatium in varijs pœnitentiæ operibus exercebantur hi, qui peccaverant, quæ opera pœnalia imponebant Confessarij pœnitentibus, & isti accenso fervore implebant. Postquàm verò natura tepida, & mollis, hæc opera pœnalia difficilia sensit, opus fuit, concedi Indulgentias, quibus remittatur pœna illa, quæ antè per illa opera pœnalia remittebatur, si, prout Sacris Canonibus præcipiebatur, opera illa perficerentur; vndè quando quadraginta dies conceduntur Indulgentiæ, remittitur tunc illa pœna Purgatorij, quæ remitteretur facienti illa opera pœnalia, quæ pro culpis facienda, Sacri disponebant Canones. Itaque per Indulgentiam istam Bullæ remittitur cuiquam illa Purgatorij pœna, quæ remitteretur, si per quindecim annos, & sexcentos dies faceret opera illa pœnalia, quæ statuerat facienda ius Canonicum pro peccatis illis commissis.

Quæritur secundò: Quidnam intelligatur pro remissione pœnitentiarum impositarum, & quolibet modo debitarum?

Respondetur, intelligi remissionem pœnitentiæ debitæ non solum pro peccatis, quæ pœnitens confessus est, sed etiam pro illis, quos non confessus est, si iam hæc peccata remissa sunt quantùm ad reatum; quia ad hoc extenduntur verba illa: *qualicumque modo debitis*; itaque hâc gratiâ remittitur homini pœna Purgatorij pro quibuscumque peccatis, quæ confessus fuerit, vel de quibus sit contritus; quæ remitteretur si faceret pœnitentiam assignatam à iure per quindecim annos, & sexcentos dies.

Quæritur tertiò: Quidnam intelligatur per gratiam participationis omnium operum piorum, quæ fiunt in Ecclesia Militante?

Respondetur supponendo primò, in omnibus pijs iustorum operibus inveniri tria, nempè meritum de condigno, quo iustus meretur gratiam, & gloriam; & hoc meritum nequit alteri applicari. Secundò, invenitur meritum de congruo, aut impetrationis, & hoc meritum, & hæc impetratio potest prodesse alijs, quamvis sint peccatores, obtinendo illis auxilia, vt restituantur gratiæ; & huius meriti de congruo, quod habent iusti, participes sunt fideles omnes, & eiusdem corporis membra, quamvis hoc meritum possit applicari specialiter alicui. Tertiò, invenitur satisfactio, quam potest quis applicare sibi, vel alteri; quam si non applicat alijs, satisfacit cum illa pro se; & si ille non habeat culpas, pro quibus satisfaciat, tunc satisfactio istius, vt superabundans congeritur in Ecclesiæ Thesauro, de qua satisfactione potest Pontifex dispensare. Hoc supposito, dico concedi per istam gratiam iusto, qui ordinatas hìc diligentias adhibuerit, vt particeps fiat non tantùm meriti de congruo, aut impetrationis, sed etiam satisfactionum superabundantium, quæ exsuperant ex omnibus pijs operibus iustorum, qui per totum Orbem Militanti Ecclesiæ sunt adscripti: ita vt satisfactiones illæ superabundantes non reconditantur in Ecclesiæ Thesauro, sed dividantur statim inter eos, qui ad lucrandas eas adhibuerint requisita. *Hinc resolvitur.*

1. Quòd quando nullus adhibet requisita ad lucrum illarum satisfactionum superabundantium, satisfactiones illæ non remanent suspensæ, & vt expectantes, sed ad Thesaurum mittuntur

Ecclesiæ, vndè per privilegium istud iam non participantur Mend. *d.19.n.25.*

2. Quòd post adhibita requisita participat quis omnes satisfactiones superabundantes, quæ inventę fuerint durante toto Bullæ anno, si ipse in gratiâ perseverat.

3. Quòd si post requisita posita amittit gratiam, non participabit satisfactiones istas, benè tamen posteà gratiæ restitutus. *Idem.*

Quartò quæritur: Quidnam requiratur ad istas lucrandas gratias?

Respondetur, duo requiri. Primum ieiunare in die, quo ieiunium non vrgeat ex præcepto, & si ob impedimentum legitimum non possit quis ieiunare, faciat aliud opus pium ad arbitrium Confessarij, aut Parochi. Secundò, orare pro victoriâ contra infideles, & pro vnione inter Christianos Principes *Vndè resolvitur.* Ludov. à Cruc. *d.1.c.8.dub. 11.n.4.* Trul. *l.1.§.5. dub. 5.*

1. Quòd potest quis lucrari gratias istas ieiunando in die, quo tenetur ieiunare aliquo titulo, modò non sit ex præcepto; quia hoc solum ex præcepto ieiunium excludit Bulla. Itaque qui per votum feriâ sextâ ieiunare tenetur, vel alio quocumque die, potest hoc ieiunio lucrari gratias istas.

2. Impedimentum legitimum esse ad commutandum ieiunium in aliud opus pium, impedimentum illud, quod sufficit ad excusandum quemquam à ieiunio obligante ex præcepto.

3. Opus illud, in quod ieiunium commutatur, assignandum esse à Confessario, aut Parocho, & non est necessarium, vt commutatio fiat intra confessionem; sed poterit quisque sibi ipsi commutare, si opus illud, quod vice ieiunij eligit faciendum; sit evidenter melius, quàm ieiunium, aut in ijsdem casibus quibus ipse sibi potest votum commutare. Mend. *d. 9.n.5.*

4. Orationem, quam tenetur facere, posse esse, aut mentalem, aut vocalem, quam debet facere ipso die, quo ieiunat, & ad eundem finem à Pontifice intentum dirigere. *Idem n.8.*

Quęritur quintò: Quoties istæ gratiæ possint obtineri?

Respondetur: Toties quoties ieiunaverit quis, & oraverit modo dicto, quia ita expressè habetur in Bullâ.

ARTICVLVS V.

De Indulgentijs, quę obtinentur visitando quinque Altaria.

HÆc Indulgentiæ sunt eædem, quæ obtinentur visitando Ecclesias Romæ in diebus Stationum, tam intra, quàm extra muros. Quæ autem Indulgentiæ sint eæ, quæ obtinentur in Stationibus Romæ, non est ita facile dictu in tantâ auctorum varietate. Aliqui nimis ad pietatem proni non contenti sunt vnâ Indulgentiâ assignatâ, sed pluribus in vnaquaque die. Regula omnium certissima est ea, quam in ipsâ Bullâ Commissarius figit; vbi assignat dies nonaginta quatuor, in quibus obtinetur Indulgentia plenaria in Stationibus Vrbis Romæ; qui dies sunt, omnes dies Quadragesimæ, Dominicis etiam inclusis. Tota Paschatis hebdomada vsque ad Dominicam in Albis inclusivè. Omnes Festivitates Beatæ Virginis, quæ communiter numerantur novem. Dies Sancti Marci Evangelistæ. Dies Ascensionis. Vigilia Pentecostes cum sex diebus illam

illam immediatè sequentibus. Tres dies Temporum Septembris, & tres dies Temporum Adventûs. Quatuor etiam Adventûs Dominicæ. Dies Natalis Domini cum tribus diebus immediatè sequentibus. Dies Circumcisionis, & Epiphaniæ. Dominicæ Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ. Et vltra hæc addit, quòd reliquis etiam anni diebus habetur Statio Romæ, & ibi obtinentur Indulgentiæ, quæ etiam obtinentur visitando quinque Altaria, virtute privilegij Bullæ. Quod vltimum non debet intelligi de Indulgentijs plenarijs; quia si plenariæ forent: frustrà numerasset illas, quæ obtinentur per singulos illos nonaginta quatuor nominatos dies, cùm facilius esset, dicere, omnibus anni diebus Indulgentiam obtineri plenariam.

Ad obtinendas igitur has Stationum Romæ indulgentias, quinque Ecclesiæ, aut Altaria quinque visitāda sunt. Quòd si nec tot Ecclesiæ, nec tot Altaria in loco fuerint, vna Ecclesia, vel Altare vnum quinquies visitetur, ibique oratio fiat; & pro victoriâ de infidelibus reportandâ, & pro vnione inter Christianos Principes stabiliendâ. *Vndè resolvitur.*

1. Quòd quamvis sint quinque Ecclesiæ in vno loco, sufficit quinque Altaria visitare; quia vnum ex duobus disjunctivè iniungitur. Mend. *d.20.n.32.*

2. Quòd, si sint quinque Altaria, non sufficit visitare vnum quinquies, quia hoc non permittitur, nisi quando non sunt quinque, vt habetur in Bullâ. *Idem n.39.*

3. Quòd, si non sint quinque Altaria, sed duo, aut tria, debentur omnia ista Altaria visitari repetendo visitationes in illis, quousque ad quinarium numerum perveniatur; quamvis Diana, & Quintanadueñas doceant probabiliter, quòd, quando Altaria ad quinarium numerum non perveniunt, sufficit vnum quinquies visitari. *Idem nu.39.*

4. Quòd, quinque Altaria possint visitari in diversis Ecclesijs, quia Bulla non coarctat, quòd in vnâ debeant visitari. *Idem nu.35.*

5. Quod, si in vnâ Ecclesiâ locî sunt quinque Altaria, & in alia Ecclesia non sunt plura, quàm duo, aut vnum, non sit necessarium visitare primam Ecclesiam, quæ habet quinque, sed sufficere visitare quinquies vnum, aut duo Altaria, quæ sunt in secundâ. *Idem nu. 41.* cum Nuño, *& alijs commun.*

6. Nomine Ecclesiarum, quæ visitari possunt, intelligi hic Ædiculas, Oratoria privata, Hospitalia, Templa regularium, & sacella; quia in favorabilibus omnia loca ista, nomine Ecclesiarum comprehenduntur, vt docent Doctores agentes de immunitate Ecclesiasticâ. Et Tuschus, & Alexander extendunt doctrinam istam, quamvis sacella, & Ædiculæ sint in fundis, campis, hortis, aut carcetribus, &c. Mend. *nu.32.* ex Suar.

7. Quod, ad obtinendas indulgentias istas sufficit visitare Ecclesiam fundatam cum auctoritate Episcopi, quamvis non sit benedicta, quia hæc absolutè est Ecclesia, & privilegijs gaudet Ecclesiæ. Item sufficit visitare Ecclesiam interdictam, violatam, aut pollutam; quia impedimenta hæc non prohibent, quòd in illâ fiat oratio.

8. Quòd Altaria, quæ visitari debent ad obtinendas istas Indulgentias, debent esse approbata ab aliquo Prælato ad id iurisdictionem habente, vt in illis

lis Missæ celebrari possint; quia his propriè convenit nomē, & essentia Altariū.

9. Quòd, quamvis in Altaribus non fuerit celebrata Missa, sufficit ad celebrationem esse destinata, quia convenit illis ratio Altarium; & addunt Trul. & Henriq. quòd, etiamsi non habeant actualiter aram, vt contingit sæpiùs in Altaribus pagorum, aut locorum desertorum; quin per absentiam aræ dubitetur, quòd sufficiat ista Altaria visitare, nec examinetur, an habeant aram, nec-ne?

10. Quòd si alicubi remansit Altare, in quo quondam Missam celebrare licuit, sed iam non licet, non sufficiet visitare Altare hoc ad obtinendas Indulgentias. Mend. *nu.*37.

11. Diem Stationum computari à media in mediam noctem, & in quacunque diei hora visitentur Altaria, posse Indulgentias concessas pro illo die obtineri, *Idem num.*43. cum Villal. Rodrig. Quint. &c.

12. Quòd qui visitat vnum Altare quinquies, non egeat distinguere visitationes surgendo, vel genuflectendo, aut inclinando caput, aut alio motu quovis corporis, sed sufficere intentionem orandi quinquies; quòd idem sentio de visitante quinque Altaria ex loco vno, in quo se habendo potest moraliter adesse cunctis; quia in Bullâ non requiritur talis diversa mutatio; & sine illâ intelligitur sufficienter visitatio Altarium, directâ tantùm intentionaliter oratione ad illa. Aliqui sentiunt contrarium, & quamvis eorum opinio sit minùs probabilis, est magis secura. *Idem nu.*47. *cum pluribus, & est commun. sententia.*

13. Posse visitari Ecclesiam, aut Altaria, adhuc cùm sit visitans extra Ecclesiam, modò quis moraliter Altaribus adsit; quia, si hæc præsentia sufficit ad audiendum Missam, quare non sufficiet ad Altaria visitanda. *Idem nu.*51.

14. Non esse necessarium continuare visitationes quinque Ecclesiarum, aut Altarium, sed posse intermpi, visitando alia vnâ horâ, & alia alterâ; quia in Bullâ non petitur talis continuatio; sed nequeunt visitari, hodiè Altaria vna, & cras alia, vt vult Quintanadueñas, quia Indulgentię assignantur pro diebus proprijs, & Indulgentia, quæ hodiè obtinetur, non obtinebitur crastinâ die, sed alia distincta. Qui ergo divideret inter hodiernum, & crastinum diem, visitationem Altarium, neque hodiernam, neque crastinam obtineret Indulgentiam, quia in nullo istorum dierum adhibet requisita ad Indulgentiam obtinendam, nempè visitare quinque Altariâ.

15. Orationem in quocumque Altari habitam, posse esse mentalem, aut vocalem. Si vocalis fuerit, Trul. docet sufficere semel *Pater noster*, & semel *Ave Maria*. Mendo suadet, bis ad minùs easdem orationes dicendas. Consuetudo quinquies repetendi easdem, est laudabilis. Si oratio sit mentalis, sufficit durare idem tempus, quòd vocalis. Vel vna ergo, vel alia sit, debet haberi devotè, sufficitque devotio illa, quæ necessaria est ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam, vel Horas Canonicas recitandi iuxta opiniones varias.

ARTICVLVS VI.

An Indulgentia, quam obtinet visitans quinque Ecclesias, aut Altaria, possit applicari defunctis?

CErtum est; Quòd diebus ijsdem, quibus Romæ Statio pro eruendis è Purgatorio animabus habetur, etiam eadem Statio, & animarum liberatio à Purgatorij pœnis habetur apud nos visitando quinque Ecclesias, aut Altaria modo dicto. Quinam dies sint isti? Sufficienter patet omnibus tam per Bullam, quàm per tabellas, quæ pro Ecclesiæ foribus appensæ, de tali Indulgentiâ admonent.

Vltrà, certum est: Quoties potest obtineri Indulgentia visitando quinque Altaria, posse etiam hanc Indulgentiam applicari defunctis per modum suffragij; quia quamvis in Bullâ scriptâ vulgari, hoc non exprimatur, exprimitur tamen in Latinâ Bullâ. *Vndè resolvitur.*

1. Diebus illis, in quibus anima è Purgatorio eruitur, vnâ, & eâdem Altarium visitatione obtinere quemquam, duas plenarias Indulgentias, aliam pro anima, & aliam pro se ipso.

2. Quòd reliquis diebus non potest quis vnâ, & eâdem Altarium visitatione obtinere Indulgentiam pro anima Purgatorij, & pro se ipso simul, sed disjunctivè, vel pro se, vel pro anima.

3. Quòd ad obtinendas Indulgentias istas, vel pro se, vel pro animabus, non debet orare, neque pro se, neque pro animabus, sed pro victoria contra infideles, & pro vnione inter Christianos Principes, quia hæc est conditio in Bullâ apposita.

4. Quòd, cum hæc Indulgentia possit obtineri toties quoties Altaria in die visitantur, in diebus illis, qui eruendis è Purgatorio animabus non assignantur, potest quis visitare Altaria pluries, & applicare Indulgentiam, vnam sibi, alteram animæ, &c. Mend. *d.*20. *nu.*9.

5. In diebus, quibus anima eruitur, eâdem vnâ Altarium visitatione posse quemlibet duas animas è Purgatorio eruere, si Indulgentiam quam sibi obtinere poterat applicet animæ.

Quæritur primò: An quando quis, alio indulto potest eximere animam è Purgatorio, vel sibi Indulgentiam obtinere, iste talis visitans Altaria, possit vnâ, & eâdem visitatione duas animas è Purgatorio eripere, aut duas Indulgentias obtinere, aliam per Bullam, aliam per indultum? Et Generaliter quæritur: An vno, & eodem opere possint obtineri plures Indulgentię concessæ per diversa Indulta?

Respondetur: Probabilem esse affirmativam sententiam, quemadmodum vno, & eodem opere potest duplici obligationi fieri satis, præcipuè si opus non esset iterabile eodem die, vt ieiunium, & communicatio. Itaque expedit habere intentionem obtinendi omnes, & quascumque Indulgentias possit quis opere quolibet obtinere. Cord. *de Indulg. quæst.*25. Faustus *de jubil. lib.*2. *quæst.* 39. Host. Grat. Sanctar. Henriq. Sà, Leander de Sacram. Lugo, & alij. Verum eodem opere non posse obtineri duplicem Indulgentiam plenariam constat ex decreto Innocentij XI.

Quæritur secundò: An ad obtinendas Indulgentias sit necessarium esse in gratia?

Respondetur primò: Quòd quando quis sibi ipsi lucraturus est Indulgentias, requiritur quòd sit in gratiâ; quando verò animabus Purgatorij applicat Indulgentias, non requiritur.

Probatur primò pars. Per Indulgentiam remittitur pœna pro culpis debita, quæ quidem pœna ita cum peccatis connectitur, vt si culpæ, & peccata non remittantur, neque etiam debita pro illis pœna remittatur. Iacenti ergo in lethali culpâ, non potest pœna remitti debita;

Universidad de Deusto Biblioteca

bita; nec similiter iste poterit Indulgentiam obtinere, quâ pœna illa debita remittatur.

Secunda pars probatur. Quia status gratiæ, solum requiritur in obtenturo Indulgentiam, ad tollendum obicem, requiritur itaque gratia, vt dispositio in illo, sine qua non potest relaxari pœna dum peccatum per gratiam non deletur. Qui applicaturus est Indulgentiam pro defuncto, non accepturus est in se ipso effectum Indulgentiæ, sed in defuncto, qui non habet obicem; cùm animæ cunctæ quæ in Purgatorio patiuntur sint in gratiâ; ergo non requiritur gratiæ status ad obtinendam Indulgentiam in eo, qui obtentam applicat animabus in Purgatorio existentibus. Mend. *d.* 36. cum pluribus.

DVBIVM XI.

Quænam privilegia obtineantur per Bullam tempore interdicti?

RESpondetur: Quòd sive interdictum sit Apostolicum, sive Ordinarium, conceditur tempore illius habentibus Bullam. 1. Quòd possint audire Missam in Ecclesijs, aut Monasterijs, aut in Oratorio privato, assignato, approbato ab Ordinario. 2. Quòd possint celebrare Missam, & alia divina officia, vel per se, si Presbyteri fuerint, vel curare vt alij celebrent coram se, & in præsentiâ suorum familiarium, & consanguineorum. 3. Quòd possint accipere Sacramentum Eucharistiæ, & reliqua Sacramenta, excepto die Paschatis, modò ipsi non dederint causam interdicto, nec per ipsos staterit, quòd non fuerit sublatum, & quotiescumque dicto Oratorio pro supradictis vsi fuerint, orationem, provt Deus devotionem dederit pro victoriâ, & vnione repetitâ faciant. 4. Quòd dicto tempore interdicti possint defuncti sepeliri in loco sacro, moderatâ funeris pompâ.

Hic advertendum est: Quòd in Bullâ scriptâ linguâ vulgari non fit mentio alterius privilegij, quod inter alia refert Bulla Latina, nempè quòd possint, & celebrare Missam, & audire vnâ horâ ante Solis ortum, & aliâ horâ post meridiem; quia hoc privilegium non concedit ipsa Bulla, nisi habenti licentiam à Commissario Generali, vt in Latina Bulla legitur.

ARTICVLVS I.

Resolutiones circa celebrandam Missam, & audiendam, & circa officia divina.

REspond. 1. Sufficere familiæ Dominum habere Bullam, vt tempore interdicti possint coram eo, & totâ familiâ, & consanguineis celebrari, & audiri Missæ, & divina officia: & hoc, in Ecclesijs, Oratorijs, & in quolibet alio loco, qui nomine Ecclesiæ intelligatur vt explicatum est *resolutione sexta articuli quinti.*

2. Quòd hoc nomine, *Familiares*, intelliguntur Commensales, servi, & qui regulariter comitantur Dominum familiæ, & qui vivunt expensis eius: tam habitantes domum propriam Domini, quam extra. Administratores statuum Procerum, Gubernatores, & Iudices ab eis præfecti; sed non intelliguntur hi, qui simulant se esse Domini servos, solùm, & cum fraude ad gaudendum privilegio

legio isto, quia isti non sunt verè servi, sed fingunt se servos ad effectum istum. Mend. *disp.* 25. *n.* 10.

3. Per hoc nomen, *Parientes*, intelligi tantum consanguineos; quia in Bullâ Latinâ legitur hoc verbum, & in linguâ vulgari non est verbum aliud proprius quam *Parientes*, vt explicetur, & communi plausu hoc verbum *Parientes*, sine additamento aliquo, significat consanguineos, quia quando volumus significare affines, dicimus: *Parientes por afinidad. Idem. n.* 11.

4. Per consanguineos intelligi vsque ad quartum gradum, & non vltra; quia iam in iure, & rescriptis non extenditur vltra consanguinitas *Idem n.* 12. cum alijs.

5. Per nomen consanguineorum intelligi virum, & vxorem eius, quia sunt duo in carne vna, itaque si illorum quilibet habeat Bullam, alter etiam isto gaudet privilegio. *Idem nu.* 11.

6. Contra Trullench: Quòd in Ecclesiâ specialiter interdictâ possunt habentes Bullam audire Missam quando in illa celebratur ad renovandam Eucharistiam; quia quando Bulla concedit privilegium istud, non distinguit inter interdictum generale, & locale speciale.

7. Quòd. Presbytero, non conceditur per Bullam privilegium, vt tempore isto celebret Missã, & officia divina, quia id iam habet à iure, sed conceditur illi, vt possit celebrare & celebrari facere coram suis familiaribus, & consanguineis.

8. Illi, qui dedit causam interdicto, vel, per quem stat, vt non tollatur, non concedi privilegia ista.

9. Quòd, qui vtitur Oratorio ad dictos effectus, debet orare mentaliter, aut vocaliter ad arbitrium suum; pro victoria, & vnione repetitis; sed si non oraverit non ideo audiendæ Missæ præcepto nõ satisfaciet, neque peccabit vltra veniale; quia est præceptum Pontificis in materia levi. Henr. Auila, Trull. Dian. Iuristæ, & Thus. Salmant. & quidam Com. Cruciatæ allegat. à Mend. *nu.* 17.

Quæritur an habens Bullam teneatur audire Missam diebus festis tempore interdicti?

Respondetur: Probabile, atque securum in praxi, non teneri. Ratio, quia nemo tenetur vti privilegio concesso, quia iam non esset privilegium, & honor, sed onus. Sed probabilior, & securior est opinio affirmativa. Ratio; quando præceptum instat, & quis potest adimplere, tenetur ad implerionem, sed in die festivo instat præceptum audiendi Missam, & qui habet Bullam potest adimplere; ergo tenetur audire. Rationi opinionis, contrariæ respondetur: privilegium non obligare ad vsum eius; sed concessum iam: & acceptatum, si removet impedimentum aliquod, vt præceptum possit observari, obligare tunc ad observantiam præcepti, quia nihil est, quod impediat illam, Mend. *n.* 19. & alij. *Hinc resolvitur.*

1. Quòd in hac secunda opinione, consequenter debet asseri: Familiares, & consanguineos habentis Bullam teneri, quamvis isti non habeant illam, audire Missam diebus festivis, tempore interdicti, quia æqualiter remotum habent impedimentum, ac ille, qui Bullam habet; sed si non possunt isti audire Missam, quam ille audit simul cum illo, non tenebitur ille audire secundam, aut tertiam Missam, vt illi audiant; sed tenebitur non impedire illos sine iustâ causâ, ne audiant eam Missam, quam ipse audit.

Et

Et peccabit graviter si impedierit, vt peccaret in tempore, quo non foret interdictum impediendo sine causâ iustâ ne obligatus die festivo, potens, & volens audiret Missam.

2. Tempore cessationis à divinis, non teneri habentem Bullam audire Missam, quamvis in aliquâ Ecclesiâ celebretur; quia privilegium, dumtaxat concessum est ad tempus interdicti, quia quamvis liceant aliqua in tempore cessationis à divinis, quæ etiam licent tempore interdicti, sed non ea, quæ dependent à privilegio. Covar. Navarro, Medin. Lop. Henriq. Trull. Rodr. & alij citati à Mend. *nu.* 25.

3. Habentes aliud quàm Bullę privilegium ad audiendam Missam tempore interdicti, non teneri Missam die festivo, neque adhuc posse audire illam die aliquo, durante interdicto, si non habent Bullam, quia quodlibet privilegium suspendit Commissarius, & revalidat posteà ei, qui accipit Bullam: excipiuntur privilegia onerosa, & lucrativa, & privilegia Religionum, de quibus posteà agemus.

ARTICVLVS II.

De privilegio accipiendi Sacramenta, & posse sepeliri in loco sacro cum moderata funeris pompa tempore interdicti.

SAcramenta, quæ tempore interdicti accipi non possunt, sunt, Eucharistia, Ordo, & Extrema Vnctio, & Benedictiones nuptiales Matrimonij, & vt ista possint accipi, concedit Bulla privilegium, modò accepturus illa, nec dederit causam interdicto, nec per ipsum stet, quòd non tollatur, *Circa quod resolvitur.* Ludovic. à Cruc. Trull. Suarez, Villal. Henriq. cum alijs, quos citat Mend. *d.* 25. *nu.* 36.

1. Privilegium accipiendi Sacramenta, non solùm concedi ad eorum acceptionem in Oratorio, quamvis ponatur post privilegium audiendi Missam in eodem, sed etiam accipiendi Sacramenta in Ecclesiâ quâlibet; quia concesso eo, quod maius est, conceditur id, quod est minus; & minus privilegium est, quod accipiantur in Ecclesiâ, quam in Oratorio.

2. Has facultates, quæ concedunatur tempore interdicti, non concedi, nisi eo modo, quo sunt licitæ in ipso interdicti tempore; itaque Benedictiones nuptiales non possunt accipi virtute privilegij in tempore Adventûs, & Quadragesimæ, sed in tempore, quo forent licitæ si interdictum non obstaret. Nec Ordines possunt accipi, nisi à proprio Episcopo, nec Extrema-Vnctio, & Benedictiones nuptiales, nisi à proprio Parocho.

3. Sacramentum Eucharistiæ, virtute huius privilegij non posse accipi, nisi à cuius manibus liceat accipi extra tempus interdicti. In Hispaniâ cuncti Sacerdotes approbati sunt ad huius Sacramenti administrationem; vel consuetudine, vel facultate à Prælatis videntibus, & consentientibus acceptâ quando non ministratur pro Viatico, sed si in aliqua Provincia, aut loco non esset ista generalis Sacerdotum approbatio, nequiret Eucharistia, nisi è Sacerdotis approbati manibus accipi.

4. Coarctationem, non accipiendi Eucharistiam in Oratorio in die Paschatis, non cadere supra interdictum, quia quamvis non sit interdictum, non potest accipi Eucharistia in Oratorio ad satisfaciendum præcepto annuæ communionis in Paschate; itaque absolutè excipitur dies iste, & potiore iure tempore interdicti. Dubio sequenti videbimus an tempore Paschatis possit pro devotione in Oratorio communicari, satisfaciendo aliàs præcepto, communicando in Parochiâ.

Vltra quæ, conceditur in Bulla: habentem illam, si moriatur tempore interdicti, sepeliri posse cum moderata pompa funerali. *Circa quod resolvitur.*

1. Ad gaudendum hoc privilegio, opus esse quòd defunctus accepisset defunctorum Bullam, nisi fortè post mortem commendasset sibi ab aliquo accipiendam ad hunc effectum, vt dictum est *art.* 4. *dub.* 4.

2. Morientem excommunicatum, non posse gaudere hoc privilegio, quin post mortem ab excommunicatione absolvatur.

3. Moderatam pompam funeralem, esse dimidium eius pompæ, quę habetur de more quando non est interdictum. Ita Corduba. Sed Rodriguez. Villalobos, & Trullench. citati à Mendo *num.* 47. aiunt deberi taxari ab Episcopo, vel eius Vicario, vel à Parocho in absentiâ eorum.

4. Clericos, qui de iure communi possunt sepeliri clausis foribus, & cum officio divino in Ecclesijs, quę non sunt interdictæ, & in his, quæ interdictæ specialiter sunt, sine divino officio, egere Bullâ, vt sepeliantur pompâ funebri moderatâ.

5. Etiam pueros, & amentes egere Bullâ, vt gaudeant sepulturâ Ecclesiasticâ tempore interdicti; & habentes posse sepiliri dictâ mediocri pompâ.

6. Laicos habentes Bullam, posse sepeliri dictâ pompâ adhuc in Ecclesiâ interdictâ; quia non excipit eam privilegium.

DVBIVM XII.

De privilegijs Oratoriorum.

NOn fit mentio Oratoriorum in Bullâ præter eam, quæ fit in privilegio antecedente, quòd possit tempore interdicti audiri, & celebrari Missa in ijs, si approbata sint, & visitata ab Ordinario. Occasione huius privilegij, variè opinantur Auctores. Dicemus id, quod probabilius videbitur.

Quæritur primò: An virtute Bullæ possit quis erigere domi suæ Oratorium, in quo post approbationem Ordinarij, possit celebrari Missa?

Trullench suppresso nomine refert aliquos, qui affirmativè repondent, & addit, Rodriguez id insinuasse, sed falsò. Ludovicus de la Cruz affirmativam tenet sententiam; & quòd possit habens Bullam compellere Ordinarium, vt approbet Oratorium. *In Bull. d.* 1. *cap.* 5. *dub.* 1.

Respondetur: Hanc opinionem, parum habere probabilitatis; primò quia non habet in Bullâ fundamentum, quia concedere, quòd tempore interdicti possit audiri Missa in Oratorio, est supponere Oratorium erectum iam per privilegium aliud, non verò concedere, vt denuò erigatur, sicuti concedere, vt audiatur Missâ in Ecclesiâ tempore interdicti, supponit iam Ecclesiam, non verò concedit, vt denuò fiat. Quapropter incredibile est, hoc privilegium tam indiscretè concedi omnibus accipientibus Bul-

Universidad de Deusto Biblioteca

Bullam; cùm penè nullus inveniatur infimæ plebis homuncio, qui non accipiat; quando Pontifices, vt concedant Oratorium, tantas nobilitatis, & necessitatis requirunt circunstantias.

Quæritur secundò: Quid liceat in vsu Oratoriorum privatorum virtute Bullæ?

Resp.1. Omnia, quæ diximus dubio antecedente circa audiendam, & celebrandam Missam, & accipienda Sacramenta, licere in Oratorijs, tempore interdicti, licita esse etiam quocumque alio tempore; excepto die Paschatis; quia illa clausula: *Aun en tiempo de entredicho*; habet hanc vim, *In omni tempore; quamvis sit tempus interdicti.*

Resp. 2. Si privilegium est coarctatum, ne vltra vnam Missam in Oratorio celebretur. Possunt virtute Bullæ celebrari, quot voluerit Oratorij Dominus.

3. Si privilegium coarctatum est, vt nullus satisfaciat præcepto audiendi Missam, per illam auditam in Oratorio, nisi Dominus ipsius Oratorij; quicumque habuerint Bullam, possunt per illam Missam satisfacere præcepto; & etiam non habentes, si familiares, aut consanguinei sint habentis Bullam, & audiant Missam vnà cum illo.

4. Si privilegium coarctatur, ne quibusdam diebus festis celebretur Missa, nec accipiantur Sacramenta in Oratorio, possunt celebrari Missæ, & Sacramenta accipi virtute Bullæ in ipsis diebus festis, excepto die Paschatis, de quo postea. Ratio; quia hæc omnia, quæ dicimus, colliguntur ex ipsis Bullæ verbis, in quibus nulla coarctatio præfigitur; itaque, quamvis inferiores Prælati coarctaverint privilegia Oratoriorum, has coarctationes infringit concessio Bullæ, vtpote à Pontifice; & quamvis ipse Pontifex coarctasset, per concessionem annuam Bullæ, coarctationes revocat: & quamvis post acceptam Bullam, daret cum limitationibus his privilegium Oratorij, debet intelligi coarctatio, pro non habentibus Bullam.

Addo: quòd quamvis fieret in limitationibus expressa Bullæ mentio, non potest Pontifex revocare privilegia Bullæ, quin satisfaciat quantum potuerit, quia sunt privilegia onerosa, vt diximus *in dubio tertio*. Sed attendendum est, vt horum privilegiorum modestus sit vsus ad vitanda inconvenientia, & præcipuè in festis, potissimùm in quibus consentaneum est, vt cuncti Ecclesias frequentent.

Quæritur tertiò: An die Paschatis possit audiri Missa, & accipi Eucharistia in Oratorio, virtute Bullæ?

Resp.1. Posse audiri Missam, quia in Bulla tantùm excipitur Eucharistiæ acceptio.

Resp.2. Etiam pro devotione posse Eucharistiam accipi, modò alio die ex assignatis ad implendum annuæ communionis præceptum, in propriâ Parochiâ accipiatur. Ratio, quia die Paschatis licet, vt in consuetudine apparet fidelium, accipere Eucharistiam pro devotione in Ecclesiâ quâlibet; ergo etiam in Oratorio privato, neque Bulla per exceptionem intendit aliud; nisi quòd communio annua ex præcepto in propriâ Parochiâ fiat, vt Pastor ovium suarum agnoscat faciem.

✝
IHS.

DV-

DVBIVM XIII.

De privilegio vescendi carnibus ex consilio vtriusque Medici, & ovis, & lacticinijs in diebus, quibus prohibetur.

ARTICVLVS I.

De privilegio vescendi carnibus.

VErba Bullæ sunt hæc: *Que concede à todas las personas que la tomaren que puedan durante el dicho año, de consejo de ambos Medicos, espiritual, y corporal, comer carne en Quaresma, y otros tiempos de ayuno, y dias prohibidos de comer carne por todo el año.*

Is, cuius necessitas est evidens, non indiget privilegio, vt vescatur carnibus in diebus, quibus prohibetur; & cùm privilegium hoc in opinione communi omnium supponat necessitatem, quia aliàs frustrà foret consilium vtriusque Medici, quod requiritur; ideò quæritur, in quonam casu privilegium istud locum habeat?

Respondetur: Quòd in casu dubio quando quis dubitat, an indigeat esu carnium, nec-ne? Et Medicus etiam dubitat, an causa ad esum carnium sit sufficiens? Potest Episcopus, aut in eius absentiâ Vicarius, aut Parochus absente vtroque, licentiam præbere ad esum carnium. Igitur vt tunc potest quis dispensatione Prælati carnibus vesci, ita etiam sine tali dispensatione, virtute Bullæ, de vtriusque Medici consilio. Henriq. Rodr. Villal. Ant. Gom. Lop. Sanch. Trull. & alij, quos citat, & seq. Mend. *disp.27. nu,6.*

Putabit aliquis, hoc iam non esse privilegium, cùm ad eius vsum requiratur consilium Medici spiritualis, qui est Parochus, & hic, etiam cum non habente Bullam possit in casu dubio pro carnium esu dispensare, non tantùm in absentia Episcopi, & Vicarij, vt suprà diximus, sed adhuc illis præsentibus, vel per tacitam Episcoporum concessionem, vel per consuetudinem legitimè iam præscriptam; ergo ad esum carnium non opus est privilegio Bullæ; itaque erit inutile.

Respondetur: Quod ad minùs, vbi non est introducta consuetudo, vt dispenset Parochus, privilegium habebit locum. Vltra hæc in dispensationibus, vt causa dispensationis adæquetur rei dispensatæ, imponitur aliquod gravamen, quod virtute huius privilegij excusatur, quia iam hic non datur dispensatio à Parocho, sed tantùm consilium. Vltimò: Nomine Medici spiritualis non intelligitur dumtaxat Parochus, sed etiam Confessarius quilibet; neque consilium est dandum in confessione, sed extra illam; vndè iam privilegium hoc non habebitur inutile. *Circa quod resolvitur.*

1. Quòd à quolibet Confessario, quamvis non proprio potest accipi consilium; quia non requiritur in Confessario, nisi scientia, & prudentia, vt agnoscat an verè sit dubia causa, quæ sibi proponitur, & non apparens, ne contemnatur, facilè Ecclesiasticum præceptum, & carnes absque necessitate comedantur; quæ scientia supponitur in Confessario quolibet: quia putatur Confessarius omnibus numeris absolutus; & consilium eius non requiritur, vt iurisdictionis actus, sed vt hominis timorati, & docti, causam discernere valentis.

Quod

Universidad de Deusto Biblioteca

2. Quòd Medicus corporalis, cuius consilium expetitur, proponere debeat sincerè dubium, provt ille intelligit, quin exageret causam, vt petenti licentiam moremgerat.

3. Quòd vbi non est Medicus, nec ad illum est facilis recursus, vt accidit in locis parvis, potest accipi consilium ab aliquo homine experto, vel ab ipso Confessario, si intelligit quidquam de infirmitatibus, aut languoribus, & ferè nullibi est, qui aliquid non intelligat. Addo: Hominem timoratæ conscientiæ, prudentem, & expertum ita, vt possit circa necessitatem esûs carnium arbitrari, posse ijs vesci absque alicuius Medici consilio. Ratio, quia nullus ex dictis Medicis in hoc casu dispensat, sed declarat secundum scientiam, & conscientiam, inveniri verum dubium: ergo qui pollet scientiâ, & conscientiâ ad noscendum dubium, potest carnibus vesci absque alicuius Medici declaratione; sed quia quis in propria causa non ita integer iudex esse solet, ideò vtriusque Medici consilio standum est, cùm haberi potest. Mend. *nu.9.*

4. Quòd ille, qui carnibus vescitur, huius privilegij virtute, quamvis in reliquis formam ieiunij observet, non ieiunat, quia deest ieiunio vna pars essentialis, quæ est abstinentia à carnibus.

ARTICVLVS II.

De privilegio vescendi ovis, & lacticinijs in Quadragesima.

ECce Bullæ verba: *Y que assi mismo puedan libremente à su alvedrio comer huevos, y cosas de leche; de manera, que los que no comieren carne, guardando en lo demás la forma del ayuno Eclesiastico, ayan cumplido, y satisfecho al dicho ayuno.*

Indultum hoc non conceditur per Bullam istam: *A los Patriarcas Primados, Arçobispos, Obispos, ni otros Prelados inferiores, ni à qualesquiera personas Regulares ni à los Clerigos seglares Presbiteros en dias de Quaresma.*

Quinam istorum indulto per aliam Bullam gaudere possint? Dicetur posteà.

Sed si omnes isti fuerint sexagenarij, per hanc Bullam conceditur illis hoc privilegium, quemadmodum etiam cunctis Militarium Ordinum Equitibus *Vndè resolvitur.*

1. Eum, qui habet speciale privilegium ad vescendum ovis, & lacticinijs tempore Quadragesimæ, quamvis sit Regularis, aut Presbyter, posse vesci ovis etiam acceptâ Bullâ, quia non vescitur ovis virtute acceptæ Bullæ, sed virtute alterius specialis privilegij, cuius vsus liber illi per Bullam remanet, quæ derogat privilegia cuncta, & revalidat accipienti. Lodov. à Cruc. *d.* 1. *c.*5. *dub.*18. *nu* 10.

4. Quòd si privilegium concedit, quòd omnes, qui discumbunt ad mensam, vel ad expensas habentis privilegium aluntur, possint comedere ova, & lacticinia in Quadragesimâ, licet comedere ista etiam Sacerdotibus, & Regularibus ad eius mensam, vel ad eius expensas comedentibus, etiamsi Bullam non habeant; quia supponimus in privilegio, Bullam personam excipi, & aliundè, vt privilegium valeat, & ista liceant, sufficit illum, cui privilegium conceditur, habere Bullam. Et vt notat Trull. & habetur in re, aliquæ familiæ nobiles gaudent hoc privilegio in Aragoniâ.

3. Locis illis vbi consuetudo iam introducta est, quòd ob defectum olei, ova lardo, aut pinguedine condiantur, non opus esse alio privilegio præter istud Bullæ, vt hoc condimento parata comedi possint, v.g. in Siciliâ, Galleciâ, Peruano Regno. Et quoad vsum pinguedinis, aut lardi, attendi debet loci consuetudo.

4. Nomine Prælatorum inferiorum, qui in hoc privilegio excipiuntur, eos intelligi, qui habent Ecclesiasticam iurisdictionem.

5. Clericos sæculares, non Presbyteros, gaudere hoc privilegio in virtute Bullæ, quamvis sint Diaconi.

6. Cardinales non Presbyteros, aut Regulares gaudere etiam hoc privilegio, quia in odiosis, nomine Prælatorum non comprehenduntur.

7. Novitios, cuiuscumque Religionis sint, non comprehendi nomine Regularium in exceptione, vndè etiam gaudent hoc privilegio.

8. Episcopum electum, qui non est Presbyter, aut Regularis, posse etiam hoc privilegio gaudere, sed non ita post confirmationem à Papâ. Ratio, quia in primo casu non est Prælatus; post confirmationem verò iam est Prælatus.

9. Episcopum consecratum non Presbyterum, etiamsi renuntiet Episcopatui, non posse gaudere hoc privilgio; quia remanet adhuc verè Episcopus, quamvis iurisdictione careat; sed si electus, & confirmatus à Papâ renuntiaret Episcopatui, antequam consecraretur, posset tunc privilegio gaudere; quia tunc non remaneret Episcopus, neque cum iurisdictione, quæ semel obtenta, potest cessare, quamvis Episcopalis dignitas per consecrationem obtenta, nequeat amitti.

10. Quòd vt hoc privilegio gaudeant hi, qui ob sexagesimum ætatis annum excipiuntur, non est opus, vt sexagesimum compleverint, sed sufficit attigisse, quia favores sunt ampliandi.

11. Quòd extra Quadragesimam in quibuscunque diebus ieiunij licet ovorum, & lacticiniorum esus sine Bullâ, vbi in contrarium consuetudo non extat.

12. Quod quamvis Thomas Sanchez probabile putet, illum, qui ex voto, aut ex pœnitentiâ impositâ tenetur ieiunare in Quadragesimâ, satisfacturum ieiunio comedendo ova, & lacticinia sine Bullâ, aut sine necessitate; probabilius tamen esse contrarium; itaque non peccabit solùm contra præceptum Ecclesiasticum abstinendi ab ovis, & lacticinijs, sed contra votum, & contra præceptum Confessarij; quia votum, aut præceptum Confessarij de ieiunio, non est de ieiunio quomodoliber, sed de ieiunio Quadragesimali. *In sum l.* 4. *c.* 11.

13. Probabilius esse, non esse dies Quadragesimales Dominicas Quadragesimæ, & ita in illis cunctos posse ovis vesci, & lacticinijs. Advertit Mendo, se audivisse à viro docto, & gravi: Quòd declaravisset Pontifex in Bullâ speciali, suam mentem esse, comprehendere etiam Dominicas Quadragesimæ, nomine dierum Quadragesimalium, sed ipse Mendo respondet benè. De tali declaratione autenticè non constare; ac per consequens non obligare; quòd si aliquando constaret, illi standum esset. Nec obstat quòd Commissarius Bullæ, pro *ieiunijs*, in Bulla Castellana, scripserit *dias de Quaresma,*

Universidade de Deusto Biblioteca

resma; vt etiam Dominicæ comprehensæ dicantur, quia Commissarius non potest mutare substantiam Bullæ Latinæ, sed tantùm explicare dubia, si fortè sint, & in hoc puncto non est dubium in Bullâ Latinâ, vt constat ex verbis: Attamen contraria sententia prohibens ova, & lacticinia in Dominicis Quadragesimæ est tuta magis, *Disp.18.n.30.& 31.*

14. Quòd quando Bulla concedit hoc privilegium Religiosis Ordinum Militantium, intelligitur concedere, non solùm Equitibus, sed etiam Regularibus earundem Religionum vtriusque sexûs, quia neminem excipit Bulla Latina præter Presbyteros, aut Prælatos. Mend. *d. 8. n. 16. & 17.* Affert. Bas. Leg. & alios. DD. Salmant.

ARTICVLVS III.

De privilegio, quod Ecclesiasticis datur per aliam Bullam vt ovis, & lacticinijs vescantur.

IN hac Bulla conceditur Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, Clericis, Presbyteris sæcularibus, quòd, excepta Hebdomada Sancta, possint vesci in Quadragesima ovis, & lacticinijs, data eleemosyna à Commissario taxata. *Circa quòd resolvitur.*

1. Quòd, quamvis hæc Bulla non concedatur, nisi ad tempus Quadragesimæ, durat tamen vnum annum, aut naturalem, aut Ecclesiasticum, prout diximus *de Bulla vivorum. Dubio tertio.* Itaque si promulgetur hæc *B*ulla, media Quadragesima, licebit vsus Bullæ non solùm pro dimidio illo anno, sed pro prima etiam mediare anni sequentis.

2. Quòd, in Hebdomada Sancta, ad quam hoc privilegium non extenditur, Dominica etiam Palmarum comprehenditur; vndè qui non sequeretur opinionem asserentem, quòd ova, & lacticinia non licent Dominicis, Quadragesimæ, non posset per hanc *B*ullam comedere ea in Dominica Palmarum.

3. Quòd nomine Prælatorum intelligendi non sunt Abbates, aut Priores Monachales, quamvis per accidens habeant in aliquo loco iurisdictionem sæcularem; intelliguntur tamen Abbates benedicti, qui habent Ecclesiasticam iurisdictionem. *d. 31. nu. 11.*

4. Quòd, neque etiam gaudent hoc privilegio Canonici Regulares; quia sunt verè Religiosi, & viventes in Religione approbata, & hæc *B*ulla non conceditur Religiosis. *Idem nu. 10.*

Quæritur: Quonam pretio Commissarius: Bullam taxaverit?

Respondetur primò: Quod à Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus benedictis, viginti quatuor exegerit argenteos. Et si in aliquâ Ecclesiâ Cathedrali, aut Collegiatâ foret Abbas, sed sine ampliori iurisdictione, quàm habent Decani, aut Priores in alijs Ecclesijs, non teneretur viginti quatuor illos argenteos porrigere, sed eam tantùm eleemosynam, quam alij, qui sunt Dignitates, elargiri tenentur; quia quamvis iste, nomine Abbatis, appelletur, in re tamen non est plus quàm Dignitas.

Respondetur secundò: Dignitatibus, & Canonicis Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum argenteos octo taxavisse. Quæ taxatio non intelligitur imposita Coadjutoribus Dignitatis, aut Canonicatûs; quia hi non sunt propriè Dignitates, aut Canonici, vt docent Garcia, *B*arb. & Trull. citati à Mend. *num. 13.*

Respondetur tertiò: Quòd his, qui in Ecclesiâ Cathedrali, aut Collegiatâ habent portionem integram, aut dimidiam, etiam Parochis, & gaudentibus beneficio simplici, aut assistentiam petente, si redditus beneficij trecenta ducatorum attingant, argenteos sex pro *B*ullâ taxaverit. *Hinc resolvitur.*

1. Quòd istorum nullus debeat sex argenteos erogare, si beneficium trecenta ducata integra non attingat, etiamsi parum desit; quia hæc taxatio est odiosa, & debet restringi.

2. Probabile esse, conditionem illam, *si trecenta ducata attingit*, cadere non solum supra Beneficiatos vltimos, sed etiam supra Portionarios, & Parochos; itaque si redditus eorum ad trecenta non pervenerint ducata, non debere huic stare taxationi, sed alij viliori; quia hic est favor, & ideò ampliandus.

3. Quòd redditus trecentorum ducatorum debeat remanere illis, exceptis oneribus, & expensis beneficij. Itaque debent excipi, & pensiones, si quas solvit, & subsidium, & excusatum, & quarta decima, etiam eleemosyna pro Missarum earum numero, quas Beneficiatus pro beneficij onere celebrare nequit. Trul. *cit.* à Mend. *d. 31. nu. 18.*

4. Quòd ad computationem trecentorum ducatorum, numerari debeant distributiones, quia sunt redditus, quamvis non sint fructus. Sed non est annumeranda eleemosyna pro Missis, quæ non debentur beneficio, quia istas liberè potest Beneficiatus celebrare per se, vel per alium, vel absolutè non celebrare. Nec etiam annumerandum est quidquam aliud præter redditus illos, qui Beneficiato obveniunt ratione beneficij, non verò ij, quos per accidens, & aliâ viâ obtinuerit.

5. Quòd si dat partem redditum beneficij, alij, qui pro se beneficio inserviat, illa pars, quæ datur, annumeranda est trecentis ducatis, ac si ipse beneficiatus inserviret.

6. Quòd hæc taxatio non intelligitur imposita his, qui habent Capellanias, quamvis istarum redditus trecenta ducata attingant, quia, quamvis intelligantur vulgò, nomine beneficiorum, Commissarius tamen distinguit vtrosque, & istis Capellanis sequentes assignat taxationes.

Respondetur quartò: Habentibus Cappellanias, cuiuscumque conditionis existant, aut Beneficia, pensiones, aut alios redditus Ecclesiasticos, ita vt annuatim ex eis ducenta ducata percipiant assignari pro eleemosynâ quatuor argenteos. *Vndè resolvitur.*

1. Quòd omnes resolutiones, quæ dictæ sunt post tertium responsum, exceptâ vltimâ resolutione, debeant applicari, & accomodari proportionaliter ad hoc quartum responsum.

2. Quòd Capellaniarum nomine non intelligantur hic laicales, & quæ non obligant ad Horas canonicas, nec officium parvum, quia hæ Capellaniæ non sunt strictè Ecclesiasticæ, & ita quamvis istarum redditus, ducenta ducata pertingant, taxatione dictâ non tenentur.

3. Per redditus Ecclesiasticos intelligi, eos, qui percipiuntur aliquo titulo Ecclesiastico, vt Præstimonio, aut alio simili. Et hìc includuntur Beneficia

Universidad de Deusto Biblioteca

curam animarum habentia,& portiones, quæ ducenta ducata non transgrediuntur, quia verè sunt redditus Ecclesiastici.

Resp. quintò: Cæteros quoscumque Clericos, prædictis taxationibus non comprehensos, quia neque dignitatem, neque redditus habent supradicto, teneri pro Bullâ, argenteos duos erogare. Et Clericorum nomine, semper hìc intelliguntur Sacerdotes, quia alij non indigent speciali hâc lacticiniorum Bullâ, vt dictum est.

DVBIVM XIV.

De electione Confessarij approbati ab Ordinario, quæ conceditur per Bullam.

HÆc sunt verba Bullæ: *Que puedan elegir por Confessor à qualquier Presbitero Secular, ò Regular, aprobado por el Ordinario, el qual los pueda absolver vna vez en la vida; y otra en el articulo de la muerte, de qualesquiera pecados, y censuras, aun de los reservados, y reservadas à la Sede Apostolica, y de los declarados en la Bula in Cœna Domini, excepto del crimen, y delicto de la heregia, y que consigan, y ayan Indulgencia plenaria de ellos.* Et à censuris, & peccatis non reservatis Sedi Apostolicæ, possint absolvi toties quoties confessi fuerint salutaribus pœnitentijs pro qualitate peccatorum impositis. Et casu, quo opus sit satisfactione ad consequendam absolutionem dictam, satisfaciant per se ipsos, & si aliquid obstiterit, possint hæredes, aut alij pro eis satisfacere.

(***)

ARTICVLVS I.

De approbatione necessaria in Confessario, vt per Bullam eligi possit.

SVpposito quòd approbatio, & iurisdictio distinguantur, vt constat ex *dubio secundo, & tertio capituli 3. tra. 6. lib.6.* Supposito etiam, Bullam concedere iurisdictionem Confessario electo ab habente Bullam; dico quòd, vt Confessarius possit eligi, debet esse approbatus ab Ordinario, approbatione illâ, quam exigit Concilium Trident. *sess.23. cap.15. de Reformat.* Quia privilegium hoc Bullæ non approbat Confessarium, sed requirit approbatum formâ supradictâ. Et quamvis *citato loco*; actum fuerit iam de approbatione necessaria in Confessario, agetur hìc de ijs, quæ ratione Bullæ præcipuè occurrunt.

Quæritur: An approbatus in vna Diœcesi, vel cum limitatione, pro aliquo tantùm loco, tempore; aut personis, possit eligi per Bullam in cunctis Diœcesibus, locis, temporibus, & pro personis quibuscumque?

Resp.1. Primam opinionem asserere: Confessarium approbatum cum limitatione, non posse eligi per Bullam, nisi in illa Diœcesi, loco, & tempore, in qua, & pro quibus est approbatus, & non extra ea, & pro personis tantùm ad quarum confessionem est approbatus, & non pro alijs. Ratio, quia quando Bulla requirit Confessarium approbatum, requirit approbatum, illo eodem sensu, quo à Concilio Tridentino disponitur; qui sensus debet ita intelligi, consentaneè ad declarationem quandam Congregationis eiusdem Concilij, & Breve expeditum ab Vrbano Octavo. Mend. *cum alijs d.22. c.4.*

Resp. 2. Secundam opinionem asserere approbatum semel, quamvis cum limitatione quacumque, posse eligi semper per Bullam. Ratio, quia non exigit nisi Confessarium approbatum ab Ordinario, ergo sufficit approbatio quæcumque, & cum Bulla non coarctet, debet favor extendi latiùs. Hæc opinio est plurium, quos apud Mendo videre licet. Prima opinio tutior est, & probabilior. Secunda habet multum probabilitatis, ad minùs extrinsecæ, quam potest quis tutè amplecti, cum restrictionibus quibusdam, quæ resolutionibus sequentibus adscribentur.

Resolvitur 1. Parochum, vbilibet, & pro quibuscumque personis, posse per *B*ullam eligi, in vtraque opinione; quia ex quo constitutus fuit Parochus; approbatus fuit ab Ecclesiâ, vt minister publiblicus eius sine restrictione aliquâ.

2. Quòd, quamvis animarum curæ renuntiaverit potest eodem etiam modo eligi; quia per renuntiationem, non amittit approbationem, sed iurisdictionem, quam iurisdictionem tribuit ei Bulla in ordine ad eligentem, quamvis Busembaum sentiat *loco cit. summæ*, amisisse approbationem; sed si non renuntiavit animarum curæ, sed talis cura ablata est ei ob culpas, aut dementiam, aut ignorantiam, quæ supervenit, non poterit elegi; quia tunc etiam ablata est ei approbatio, quæ concessa fuit in collatione Beneficij, & remanet ipse sine illo publico aptitudinis testimonio.

3. Quòd si coarctatio, quâ quis approbatur pro quibusdam personis audiendis, v.g. pro viris, & non pro fœminis, nititur in levitate, & fragilitate morum ipsius Confessarij; præcipuè si convictus sit, quòd parum cautè in confessionibus audiendis se gesserit, non potest elegi per *B*ullam ad audiendas fœminarum confessiones, in quo conveniunt vtriusque opinionis auctores; quia approbatio, non solùm est testimonium scientiæ, sed etiam prudentiæ, & gravitatis morum, quam approbationem absolutè non habet, qui ob defectum modestiæ, & cautelæ coarctatam habet approbationem; sed quando approbatio restringitur ob id tantùm, quòd ad quadragesimum ætatis annum non pervenerit, vt communiter solet à Prælatis coarctari, secunda opinio docet à quibuscumque personis eligi posse. Quam opinionem vltra plures eius auctores, probabilem etiam docent Thomàs Sanchez, & Diana citati à Trull. *B*osio, & Lugo citati à Leandro, quamvis Lugo contrariam sequatur, vt videre licet apud Mend. *disp.22. nu.68.*

4. Quòd si quis approbatus est pro vno loco, v.g. rusticorum, quamvis multi sentiant posse vbique per *B*ullam eligi; sed alij advertunt, alij supponunt, quòd si hęc coarctatio pro vno loco est ob scientiæ defectum, non potest eligi nisi ab incolis eius loci. Leander tamen sentit quod, quamvis coarctatio sit ob defectum scientiæ potest eligi in tota Diœcesi, & consequenter poterat asserere, vbique eligi posse, quia ratio Leandri, æqualiter probat vtrumque; sed consequentiùs negant reliqui auctores, quia approbatio est æquè testimonium scientię, ac gravitatis morum, & qui ob huius gravitatis defectum non approbatur nisi ad audiendos homines, sentiunt omnes ipsum non posse à fœminis eligi per

*B*ullam: Ergo, qui ob defectum scientiæ non approbatur, nisi pro vno loco, qui est rusticorum, non poterit eligi ab alijs, pro quibus iudicatur ignarus. Leand. *to.* 5. *tr.* 5. *d.* 11. *q.* 69.

5. Eum, qui approbatus fuit pro determinato tempore, posse per *B*ullam eligi, tempore adhuc transacto. Et quamvis opinionem istam non sentiant communiter auctores secundæ opinionis, tamen hanc docet Acosta *in Bull. q.* 39. & Leander vbi suprà, *quæst.* 71. Sed hic, non absolutè, sed casu, quo illa temporis coarctatio à sola tantum Prælati voluntate fluxerit, non autem si ab alia causa processerit. Quamvis conformiùs ad sua principia consequentiùs affirmare posset magis absolutè Leander. Minus habet probabilitatis in hoc puncto secunda opinio.

6. Quòd quamvis nequeat eligi, qui post approbationem reprobatus fuit iustâ causâ; quando tamen evidenter absque causâ reprobatus fuit, eligi posse sentiunt multi. In dubio an causa sit iusta, vel non? Debet iudicari iusta, quia præsumptio debet esse pro Prælato.

7. Confessarium Regularem Ordinis Mendicantis (quod idem sentio de quocumque alio Ordine privilegia participante Mendicantium) satis esse, quòd semel approbatus sit pro vna Diœcesi, vt possit eligi in ea, durante vitâ, & iurisdictione Episcopi, à quo fuit approbatus, nisi fortè aliqua vrgentissima extiterit causa iuridicè probata, vt ipse reprobetur; quia dicti Mendicantes gaudent hoc privilegio: vt approbati semel ab vno Episcopo, pro vna Diœcesi, non possint in eadem reprobari ab eodem Episcopo sine causa. Itaque in revocationibus generalibus, quas promulgat Episcopus circa approbationes Confessariorum, non revocantur Mendicantium approbationes, quos semel approbavit. Quare, adhuc post revocationes eas, possunt isti eligi virtute Bullæ. Et hæc est omnium communis opinio.

8. Quòd cum in Bullâ Latinâ legantur verba ista: *Et quòd regulares, qui semel approbati fuerint.* Videtur sufficere, quòd Regularis semel approbetur, vt semper, & in qualibet Diœcesi, & sine limitatione aliquâ possit eligi; quia privilegia Bullæ explicanda sunt eâ latitudine, quâ favores, & illa verba in hoc sensu sine violentiâ interpretationem istam admittunt.

9. Quòd Regularis, quem Superiores sui ab audiendis prohibent confessionibus, si approbatus est ab Ordinario, possit eligi virtute Bullæ, quia in illo concurrunt omnes requisitæ conditiones. An peccet, nec-ne audiens confessiones contra Superioris præceptum? Colligi potest ex circunstantijs, & modo, quo tale præceptum impositum fuit.

10. Posse etiam eligi Confessarium Regularem, si approbatus est ab Ordinario, quamvis à Superiore proprio non fuerit præsentatus. Suar. *t.* 4. *in* 3. *disp.* 28. *sect.* 5. *num.* 15.

11. Vicarium Parochi postquam Parochus desinit Parochus esse, nisi habeat approbationem alio titulo, non posse eligi virtute Bullæ, quia etsi Parochus, qui voluntariè renuntiavit animarum curæ, possit eligi, vt dictum est, hoc ideò accidit, quia habet approbationem ab Ecclesiâ, vt minister eius publicus; Vicarius autem non habet talem approbationem, nisi quatenus gerit Parochi vices: Hæc dicta sunt consequenter ad opinionem primam, nam consequenter ad secundam opinionem asserendum est, eligi posse.

12. Evidenter ineptum, quamvis approbatus sit, non posse per Bullam eligi, sive ineptitudo supervenerit, sive antecesserit ipsam, quia si præcesserit, debet approbatio censeri subreptitia; & si constet de ineptitudine ipsi Episcopo, data etiam approbatio non valet; quia non habet iurisdictionem approbandi in destructionem, sed in ædificationem, itaque non censetur habere iurisdictionem ad approbandum ineptum. Si dubitaretur de ineptitudine, deberet censeri aptus, quia præsumptio debet stare pro approbante. Mendo. *disp.* 22. *n.* 105.

13. Non posse eligi Confessarium approbatum ab Ordinario excommunicato non tolerato, neque à suspenso ab officio, & iurisdictione; quia verè ille Confessarius non est approbatus, nam approbatio est actus iurisdictionis, quam Episcopus ita excommunicatus, & suspensus exercere non valet.

14. Posse eligi eum, qui approbatus est vniversaliter ab Episcopo ad Sacramenta administranda. Item eum, qui approbatus est ab Episcopo approbatione tacitâ, aut ratihabitione, v.g. si Episcopus vidit eum audientem confessiones, & non prohibuit, vel permisit eum audientem. Mend. *disp.* 22. *nu.* 114. *cum alijs.*

15. Confessarium electum virtute Bullæ, & sufficienter approbatum consentaneè ad opinionem probabilem, quamvis sit minus tuta, & reverâ falsa, absoluturum validè, quia in hoc casu tribuit Ecclesia approbationem, vt in similibus iurisdictionem, quando opus sit cum opinione probabili. Neque peccabit Confessarius contra charitatem, neque iustitiam; quia non exponit pœnitentem periculo gravis detrimenti, quod non est quando confessio, & absolutio sunt validæ. Sall. Vasq. Bonac. Sanch. & plures alij relati à Leandro de Sacram. *to.* 1. *tr.* 5. *d.* 11. *q.* 79.

16. Approbationem necessariam in Confessario, vt possit eligi virtute Bullæ in ordine ad confessionem, esse etiam necessariam ad gaudium aliorum privilegiorum, quæ concedit Bulla cum interventione Confessarij.

17. Non esse necessariam formulam aliquam verborum, vt eligatur, sed sufficere pœnitentem habere Bullam, & quod sciat Confessarius, vt operari possit benefaciendo pœnitenti, quidquid concedit *B*ulla.

ARTICVLVS II.

De potestate Confessarij electi virtutæ Bullę quoad absolutionem culparum reservatarum, & non reservatarum.

POtest Confessarius virtute *B*ullæ electus absolvere pœnitentem, semel in vita, & semel in articulo mortis, à quibuscumque peccatis quocumque modo Apostolicæ Sedi reservatis, excepto crimine hæresis. A non reservatis verò, toties quoties pœnitens confessus fuerit. Si autem peccatum, aut censura, à quâ cupit absolvi, satisfactionem expostulet, præmonet *B*ulla non absolvendum fore, quin priùs per se, aut si ipse non potest,

Universitat de Deusto Biblioteca

tet, per hæredes suos satisfactionem reddat. *Hinc resolvitur.*

1. Quòd privilegium, quo gaudet habens *B*ullam, vt absolvatur à peccatis, non tantùm intelligitur de absolutione à peccatis commissis post acceptionem Bullæ, sed de illis etiam, quæ ante acceptionem commissa sunt. Ratio, quia *B*ulla non distinguit alia peccata ab alijs, sed eius verba, peccata omnia generaliter comprehendunt. Thomas Sanch. *in sum. to.* 1. *lib.* 4. *cap.* 53. *num.* 26. cum multis alijs.

2, Absolvi posse per *B*ullam, qui in fide *B*ullæ peccavit, ita vt non peccaret, nisi speraret virtute Bullæ absolvi posse; quia exceptio firmat regulam in contrarium, & cùm excipiatur dumtaxat privilegium componendi bona habita malâ fide, quæ incerti sunt Domini, & privilegium Indulgentiæ in articulo mortis, ne possint eo gaudere, qui operati sunt, vel socordes fuerunt in fide Bullæ; restat aliam partem esse firmatam. Covar. Sanctor. Fil. allegati à Mend. *d.* 23. *nu.* 6.

3. Quòd si casus Sedi Apostolicæ reservati, sunt occulti, potest pœnitens virtute *B*ullæ absolvi ab illis, toties quoties confessus fuerit; quia quando sunt occulti, non reservantur nisi Episcopo, vt constat ex Concilio. Trid. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 6. excipitur crimen hæresis, de quo posteà.

4. Quòd in locis vbi *B*ulla valeret, Tridentinum tamen non esset receptum, non posset absolvi pœnitens virtute *B*ullæ à peccatis Apostolicæ Sedi reservatis, quamvis occultis, toties quoties confiteretur, sed semel in vitâ, & semel in morte; quia ibi non esset ablata reservatio respectu Episcoporum, & ita non possent isti absolvere ab his occultis casibus; quia vbi non admitticur Concilium ad onus, neque etiam admittitur ad favorem.

5. Posse absolvi quemquam à prædictis casibus virtute Bullæ, toties quoties confessus fuerit; non solùm quando sunt occulti, vt nemo possit eos probare, sed etiam quando constant aliquibus modò vulgò non sciantur, neque in forum contentiosum sint deducti: quia occultum hic accipitur, quatenùs opponitur publico, & notorio, & ita accipitur á Tridentino, vt etiam in iure vsitatur. Quòd autem à casibus occultis in prædicto sensu possint Episcopi absolvere, quamvis sint Pontifici Summo reservati, docent Doctores citati à Mend. *disp.* 23. *n.* 68.

6. Quòd, quamvis dicti casus sint publici in vno loco, si in alio sunt occulti, in quo non timentur faciendi publici, & divulgandi, potest ibi ab illis absolvi pœnitens, virtute Bullæ. Quòd etiam dicimus, quamvis deducti fuerint ad contentiosum forum, modò aliâ viâ non sint publici, & Reus sententiam declaratoriam in favorem sui obtinuerit; quia tunc casus illi adhuc remanent occulti. Idem cum alijs *n.* 69. Et Diana putat veram hanc sententiam; quamvis Reus per turpia media sententiam sibi faventem obtinuerit, & quamvis non obtinuerit sententiam diffinitivam, sed interlocutoriam, in qua solùm absolutus fuerit ab instantia, ita vt possit iterum pro eodem delicto vocari in iudicium; quia tunc casus iste adhuc remanet occultus, & per illam sententiam deletur infamia, quæ orta erat ex crimine ad forum deducto contentiosum, & causa restituta permanet statui antiquo.

Ratio;

Ratio; quia potest Episcopus absolvere, à culpis Pontifici reservatis, quando aliquo ex dictis modis sunt occultæ. Henr. Caspens. Trull. Suar. Cast. Pal. & alij, quos affert Mend. *n.* 70. Dian. *p.* 7. *t.* 1. *Res.* 18.

7. Quòd est probabile, posse quemquam absolvi virtute Bullæ, toties quoties confessus fuerit à peccatis Pontifici reservatis, pro quibus fuit iam in foro contentioso castigatus; quia probabile est, posse ab illis absolvi ab ipso Episcopo. Mend. *d.* 23. *n.* 71. cum alijs.

8. Quòd, quamvis crimen hæresis excipiatur non intelligitur hæc exceptio, de hæresi purè interna; quia hæc non est reservata, & ita à peccatis istis potest quilibet approbatus Confessarius absolvere, solâ iurisdictione ordinariâ.

9. Quòd neque etiam intelligitur de hæresi materiali, aut purè externâ, quando aliquis, v.g. signis, aut verbis declarat hæresim, ob aliquem externum metum, aut convenientiam, conservando in corde fidem. Itaque potest quis ab hac hæresi absolvi à quocumque Confessario approbato; quia qui in talem hæresim incidit, nec hæreticus est, neque excommunicatus; si verò qui exterius negat fidem, idolatrat, incurrit excommunicationem impositam à Papâ Ioanne Vigesimo secundo in Extravaganti *Super illius specula*, à qua potest quilibet Confessarius approbatus absolvere, quia non est reservata Sylv. Nav. Sayr. Bar. Lud. à Cruc. Thom. Sanch. Azor, Trull. & alij, quos citat Mend. *nu.* 90.

10. Hæresim, à qua non potest quis absolvi virtute Bullæ, esse hæresim formalem externam, sive sit publica, sive occulta. Quæ vt sit externa, opus est, quòd verbis, vel signis declarata sit; ita vt si aliquis audiret, vel videret, posset cognoscere hæreticum animum pronuntiantis, aut facientis. Nec opus est, quod aliquis videat signa, vel audiat verba, vt hæresis sit externa, sufficit posse videri, aut audiri ab aliquo, si adesset, quamvis per accidens non adsit. Quando hæc hæresis formalis externa est occulta, videtur, quod, si potest ab ea Episcopus absolvere, vt docent plures, quod etiam posset absolvi quis ab ea, virtute Bullæ, vt diximus de casibus reliquis Pontifici reservatis, quando sunt occulti; & hæc absolutio posset obtineri, toties quoties quis confiteretur. Sed concesso etiam, quòd Episcopi possent absolvere ab illâ quando est occulta, & quod per Bullam *In Cœna Domini*, non derogetur illis facultas, quam habent à Concilio Tridentino, vt possint absolvere ab eâ, quod negant plures, quos apud Mendo *nu.* 8. videre licet. Adhuc dico, quod virtute Bullæ non potest absolvi à dictâ hæresi occultâ, quia expressè excipitur in Bullâ, & hæc est mens Pontificum, & praxis communis. Et quamvis videatur, exceptionem non cadere nisi supra hæresim publicam, vt semel in vitâ, & semel in morte non possit absolvi ab illâ, vt potest absolvi à cæteris peccatis Pontifici reservatis. Affero, cadere etiam supra hæresim occultam, ne possit quis absolvi ab eâ toties quoties confiteatur; quia tota absolvendi facultas, vel à peccatis publicis, vel occultis legitur in eâdem clausulâ, in qua legitur exceptio, & patet etiam; nam constat ex dictis, potentem absolvere à peccato Pontifici reservato, quando est occultum, toties, quoties, posse virtute Bullæ absolvere ab eodem, quando est publicum, semel in vitâ, &

tâ, & semel in morte; ergo qui non potest absolvere abhæresi quando est publica, & semel in vita, &c. vt non potest Confessarius virtute Bullæ; neque etiam potest absolvere ab eadem, quando est occulta, toties quoties, *Idem d.* 23. *c.*24.

11. Idem, quod dicitur quoad absolutionem à crimine hæresis, debere dici quoad apostasiam à fide, potiori iure.

12. Quòd à reliquis peccatis; exceptâ hæresi, & apostasiâ; quamvis reservata sint peccata Inquisitoribus, potest quis absolvi virtute Bullæ, & etiam ab ijs, quæ non sunt Apostolicæ Sedi reservata, toties quoties confessus fuerit.

Quæritur 1. *Quodnam sit privilegium Bullæ, quando concedit: quòd semel in articulo mortis possit quis absolvi à casibus Apostolicæ Sedi reservatis?*

Ratio dubitandi est; quia in illo articulo, neque casus est, neque censura vlla reservata; ergo nihil per istud privilegium conceditur.

Resp. 1. Quoad istos casùs reservatos Pontifici, qui omnes habent annexam censuram, concedi: Absolutum ab illis virtute Bullæ in articulo mortis, manere sine obligatione præsentandi se Pontifici ratione censuræ, casu quo ille mortem evaserit. Quæ obligatio remanet, quando in illo articulo absolvitur à Confessario, de iurisdictione tantùm ordinaria, qui absolutus, si non præsentatur, reincidit in eâdem censuram. Quod idem dicimus de casibus cum censura reservatis alijs Superioribus, inferioribus Pontifici; nempe absolutum ab illis virtute Bullæ in articulo mortis, non teneri se præsentare posteà Superiori; absolutum verò à Confessario de iurisdictione tantùm ordinariâ remanere cum obligatione istâ Sanch. Vasq. Lug. Gasp. Hurt. Leand. quos citat Mend. *n.* 102.

Resp. 2. Quoad casus sine censurâ reservatos, verum esse privilegium istud nihil operari; quia obligatio, quâ tenetur præsentandi se absolutus in articulo mortis, tantùm est ratione censuræ non vt absolvatur ab eâdem censurâ, quia iam fuit ab illâ absolutus, sed vt Superior videat, an oporteat imponere illi satisfactionem aliam; vel applicare illi aliam spiritualem medicinam. *Vndè resolvitur.*

3. Hoc privilegium absolvendi in articulo mortis, posse haberi in vsu, etiam in periculo mortis, & quod hoc periculum debet intelligi in casibus supra dictis, *dub.* 10. *art.* 3. *in resp. ad quæsitum* 5. *& resolutione eius.*

Quæritur 2. *Quibusnam verbis, aut forma absolvendum sit virtute Bullę à peccatis, & censuris?*

Respondeo: Quòd, quamvis in Bullâ vulgari ponatur forma; non tamen necessariam esse illam observare, sed sufficere Confessarium absolvere in formâ, quę communiter vsitatur, advertendo tamen absolvere virtute Bullę. Hic debebant adscribi casus Pontifici reservati; sed cùm nullus sit reservatus, qui non habeat annexam censuram, ponuntur isti casus *in tractatu de censuris lib.* 7. *c.* 2. *d.* 4. *art.* 3. 4. *&* 5. vbi videre licet.

Qui autem antiquo iure reservati erant Episcopis, iam non sunt reservati, quia consuetudo abrogavit reservationem; itaque inquirendi sunt ij, qui in qualibet Diœcesi sunt reservati.

(***)

ARTI-

ARTICVLVS III.

An possint Regulares eligere virtute Bullæ Confessarium, qui eos absolvat à peccatis reservatis, & non reservatis?

Resp. 1. Non posse quoad casus reservatos, neque Confessarium ordinarium Monasterij, vel domûs posse absolvere ab illis virtute Bullę. Hęc sententia est communis, & quamvis ante decretũ Vrbani VIII. Doctores aliqui graves contrarium senserint, post illius tamen decretum, nemo audet eam defendere, quia parum iam, aut nihil habet probabilitatis. Fundamentum robustum & Achiles nostræ sententiæ nititur in Bulla, quam decimo-nono die Iunij anni 1630. expedivit Vrbanus VIII. & refert Mendo. *num.* 122. *disp.* 24. Vbi declaravit, non esse mentem Apostolicæ Sedis, quando Bulla Cruciatæ conceditur, concedere Regularibus privilegium vt absolvi possint à reservatis. Videatur Mend. *c.* 12. *d.* 24.

Resp. 2. Quoad casus non reservatos posse Regulares gaudere privilegio Bullæ, vt possint eligere Confessarium approbatum, quem voluerint, vt absolvantur; quamvis pium erit non præsumere privilegium, renitente Prælato. Ratio desumitur ex ipsâ Vrbani *B*ullâ, in qua dumtaxat excipitur: quòd Regulares non possint gaudere privilegio *B*ullæ quoad casus reservatos; ergo possunt gaudere quoad non reservatos, quia exceptio firmat regulam in contrarium. Mend. cum pluribus, quos citat *d.* 24. *n.* 185.

Quæritur 1. *An Novitij possint gaudere virtute Bullæ quoad casus reservatos?*

Respondetur affirmativè: Quia Novitij non comprehenduntur nomine Religiosorum, quoad odiosa.

Quæritur 2. *An Regularibus Ordinum Militantium prohibeatur, per decretum Vrbani, gaudere Bulla quoad absolutionem à reservatis?*

Respondetur affirmativè, si forsan in Religionibus his, casus sint reservati; quia *B*ulla comprehendit Regulares Mendicantes, & non Mendicantes, quin excipiat quosquam, quamvis speciali notâ aliquâ sint digni. Dixi: *Si forsan in Religionibus his, casus sint reservati*; quia Mend. *nu.* 173. asserit se audivisse à personis fide dignis, & habentibus interiorem notitiam statutorum dictarum Religionum, nullos in his haberi casus reservatos.

DVBIVM XV.

De potestate Confessarij virtute Bullæ quoad absolutionem à censuris.

ARTICVLVS I.

De Censuris in generali.

Concedit Bulla, quod possit quis eligere Confessarium approbatum, qui possit eligentem absolvere à censuris Apostolicæ Sedi reservatis, semel in vitâ, & semel in morte. A non reservatis verò Sedi Apostolicæ, toties quoties confessus fuerit. *Vndè resolvitur.*

1. Quòd ea, quæ dicta sunt quoad absolutionem à casibus reservatis, tam Pontifici, quàm alijs inferioribus Prælatis, dicenda sunt proportionaliter quoad absolutionem à censuris.

2. Quòd

Universidad de Deusto

2. Quòd cùm ab his, quæ Papæ non sunt reservatæ, liceat absolutio toties quoties, etiam à reservatis Papæ licet absolutio toties quoties, si fuerint occultæ, exceptâ illâ censurâ, quæ incurritur per hæresim formalem externam, quia hæc quamvis sit occulta, non potest absolvi, vt diximus de crimine hæresis reservatæ.

3. Quòd quamvis non sit necessarium ad absolvendum à censuris, esse ordinatum in sacris; ad absolvendum tamen ab illis virtute Bullæ, necessarium est esse Confessarium approbatum, quia soli isti committitur Bullæ facultas.

4. Quòd à censuris possit absolvi absens, neque propter hoc desinit esse absolutus in foro conscientiæ; quia virtute Bullæ non conceditur absolutio ad forum externum; ergo conceditur ad internum tantummodò. Quamvis videbimus posteà, an aliquibus casibus possit etiam ad externum forum.

5. Quod si est pars læsa, debet absolutus à censuris virtute Bullę, satisfacere per se, aut per hæredes suos; & pro hac satisfactione reddenda, debet præstare cautionem sufficientem, iudicio prudentis Confessarij; quod possit per hæredes suos satisfacere, intelligitur, quando satisfacturus absolvitur in mortis articulo; quia extra articulum hunc non debet ad hæredes satisfactio transire, quando statim potest adimpleri satisfactio.

6. Quòd virtute Bullæ potest Confessarius absolvere in foro conscientiæ à censuris generalibus ab homine, quamvis qui excommunicationem imposuit, absolutionem, sibi reservaverit. Etiam à censuris particularibus ab homine potest quis absolvi in eodem foro, quando satisfactum est parti læsæ, vel data est sufficiens cautio, aut quando satisfactio est impossibilis, vel cum parte conventum est; quia in Bulla non excipiuntur censuræ particulares ab homine, & ita non debet coarctari facultas absolvendi ab illis, observatis debitis requisitis. Henr. Th. Sanch. Acosta, Sayr. Dian. Covar. Nav. Ludov. à Cruc. Trul. quos citat, & sequitur Mend. *d* 25. *nu.* 121.

7. Quòd, quamvis delictum, per quod censura Papæ reservata contracta est, ad forum contentiosum deductum sit, v.g. Percussio Clerici, si parti satisfactum fuerit, vel cautio data sufficiens, potest quis virtute Bullæ absolvi ab eo, semel in vitâ, &c. sed non vltrà, quia est delictum publicum.

8. Quòd si pœnitens reddit sufficientem cautionem iudicio prudentis Confessarij, quam tamen cautionem læsa pars non vult admittere; quia non videtur sibi sufficiens, non debet ista læsæ partis malitia, beneficio absolutionis obstare; potest itaque virtute Bullæ absolvi in foro interno à reservatâ censurâ; sed in his omnibus casibus, & similibus, in quibus iurisdictio Iudicis perturbari posset, debet Confessarius admonere pœnitentem, vt in exterioribus, vt censurâ ligatum se gerat. Quòd si videatur Confessario, pœnitentem præ ignorantiâ, vel aliâ quacumque ratione, admonitionem non observaturum, non debet absolvere; sed tamen si absolveret, quamvis illicitè faceret, absolutio teneret. Mend. *num.* 130.

9. Quòd absolutus in foro interno à censurâ, si habet beneficium, antequam absolvatur in foro externo validè potest beneficium retinere, eiusque fructus percipere, quamvis Iudex possit eum reconvenire, & beneficio privare; quia quamvis in foro conscientiæ fuerit collatio valida, in externo foro non iudicatur de occultis.

10. Absolutionem datam virtute Bullę sine satisfactione partis, aut cautione, validam esse quamvis illicitam. Ratio; quia clausula, quæ legitur in Bullâ, quòd parti fiat satis, non est ad coarctandam facultatem absolvendi, sed ad formam iuris advertendam, vt observetur. Auctores plures, quos apud Mendo *nu.* 139. videre est, contrarium sentiunt. Quia Pontifex non tribuit facultatem absolvendi per *B*ullam, nisi appositâ conditione illâ; *vt parti fiat satis*, ergo si deficit conditio illa, deficit etiam facultas. Hæc sententia est tutior, quamvis prima sententia probabilior, quia eius ratio robustior. Th. Sanch. Barb. Valero, Avila, Dian. citati à Mend. *nu.* 138.

11. Quòd cautio, quæ ante absolutionem debet dari, sive sit pignorativa, sive sit fideiussoria, danda est parti, vel partis iure gaudenti, vt videat, an sibi pignus, vel fideiussio pro cautione sufficiant? Et sufficiet quòd confessario detur pignus; quia sic securitas habetur. Quando per iusiurandum præstatur cautio, sufficit Confessarium accipere talem cautionem, & hoc confirmat communis praxis.

Quæritur 1. *An absolutio, quæ tribuitur in foro conscientiæ virtute Bullæ possit valere in externo foro ad effectum aliquem?*

Respondetur affirmativè: Quando parti realiter satisfactum est, vel conventio ad eius arbitrium facta fuit, aut quando non est pars læsa, vel causa ad forum contentiosum non est deducta (excepto casu publicæ percussionis Clerici.) Ratio; quia verè tollitur censura per absolutionem in foro interno; ergo si non est scandalum; neque ordini iudiciali præiudicatur, si de absolutione constet; potest ad externum valere forum. Ne scandalum fiat; qui incurrit censuram, debet non se gerere, vt absolutum, quovsque de absolutione constiterit, vel per fidem adhibitam à Confessario; obtentâ licentiâ ab ipso absoluto, si absolutio fuit in confessione facta, vel absolvendo eum coram testibus, & Notario, vel tradendo pœnitenti testimonium manu propriâ subscriptum, adhibitâ fide Notarij, quòd litteræ illæ, & subscriptio sint ipsius Confessarij, vel alio quovis modo, quo absolutio publicari, & fidem facere posset. Neque præiudicatur ordini iudiciali, si parti satisfactum fuerit, quia iudicialis ordo institutus fuit, pro tali partis satisfactione; quòd si pars non esset, adhuc potest Iudex habere se benignè, & admittere in suo foro absolutionem illam, expellendo accusatorem. Et adhuc Valerius addit, Iudicem teneri admittere illam; quia satisfactum est parti, & non fit illi iniuria: *Vndè infertur*, hanc esse Pontificum mentem, siquidem volunt, absolutionem virtute Iubilæorum concessam valere ad forum externum satisfactâ parte. Et ita declaravit Gregorius XIV. anno 1591. Et Pius V. anno 1568. Sed cùm sit probabilis opinio, quòd absolutio in foro conscientiæ data, non valeat in exteriori foro, potest Iudex illam non admitttere arbitrio suo. Itaque quando dicimus, talem absolutionem ad forum externum valere, volumus intelligi, si Iudex non repugnet in casu iam ad eius forum deducto; quâ intelligentiâ ordo iudicialis perturbari nequit. Mend. Rodr. Ferrar. Simanc. Decio,

cio, Paulo, Patiſ. Henr. Candidus, Avila, Trul. Mend. *num.* 158.

Quæritur 2. *An per Bullam poſſit abſolvi ad reincidentiam, ita vt abſolutus in eandem cenſuram reincidat, niſi adimpleat quod ſibi fuit impoſitum?*

Reſpondetur negativè; quia ſolùm poteſt abſolvere ad reincidentiam, qui poteſt ferre cenſuras, Confeſſarius autem virtute Bullæ non poteſt cenſuras ferre, ſed abſolvere.

ARTICVLVS II.

De Cenſuris in particulari.

TRiplex eſt cenſura: excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum. Hic aſſignandæ ſunt quæ vniuſcuiuſque speciei ex aſſignatis, reſervantur Pontifici, ne Confeſſarius à poteſtate ſibi per Bullam conceſſa excedat, abſolvens ab illis vlteriùs, quàm ſemel in vitâ, & ſemel in articulo mortis, quando cenſuræ incurſæ ſunt publicæ.

Excommunicationes reſervatæ Pontifici apud Bullam *In Cœna Domini.* Apud ius, & extra illud, invenientur, vt diximus *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 4. *art.* 3. 4. & 5. ſuper quibus nulla hic offertur difficultas ratione Bullæ, de qua agendum ſit.

Suſpenſiones communiores, quæ inveniuntur in iure, habentur in hac ſumma *lib.* 7. *cap.* 3. *dub.* 2. Quibus addo duas; primam ex *Cap.* 1. *De ordinatis ab Epiſcopo, qui renuntiavit Epiſcopatui.* Vbi ſuſpenditur ab ordinum executione, qui accipit ordines ab Epiſcopo, qui renuntiavit Epiſcopatui; quòd ſi acceperit ordines, ſciens, & prudens renuntiationis, ſuſpenſio hęc reſervatur Papæ; ſi autem ignarus renuntiationis, reſervatur Epiſcopo. Secundam: Si eveniret, vt Pontifex diſpenſaret cum Subdiacono ad contrahendum matrimonium, & iuſtè etiam ſuſpenderet illum ab vſu ordinis Subdiaconatûs, finito matrimonio, ſolus Pontifex poſſet talem ſuſpenſionem auferre; ſed ſi eſt matrimonium ratum, & diſſolvitur per ingreſſum Religionis, Diœceſanus Epiſcopus poteſt abſolvere.

Cunctæ ſuſpenſiones impoſitæ à iure in pœnam alicuius criminis, prout communis fert ſententia, Pontifici reſervantur; quod idem de ſuſpenſionibus extra ius à Summis Pontificibus impoſitis ſentiendum eſt. Panormit *c.* 2. *de ſol. num.* 5. Syly. *verb. Suſpenſio*, *nu.* 8. Fel. *ibid.* Mend. *d.* 25. *nu.* 96. & alij plures.

Quæ autem imponuntur in iure, non in pœnam, ſed pro contumaciâ, & non reſervantur, poteſt abſolvere Epiſcopus; quia cùm non ſint pœna, ſed Medicina, neque Pontifex eas ſibi reſervet, patitur lex hanc benignam interpretationem.

Interdictum, aut eſt locale, aut perſonale. Certum eſt autem, locale non poſſe Bullæ virtute tolli, ſed perſonale; quia Bulla eſt priviligium perſonæ, non loci.

Interdicta à iure ſunt multa, quæ refert Mend. *in C.* 10. *diſp.* 25. remittens ad ſpeculationem ipſius iuris, diſcutere an ſint reſervata, vel non? Quæ interdicta cùm non innitantur caſibus frequenter occurentibus, ideò non hic adſcribuntur, & ne etiam excedamus affectatam in hac materia brevitatem. Quoad abſolutionem ab eis, & ſuſpenſionibus, & excommunicationibus, obſervandum eſt id, quod ſæpius advertimus: Nempè contracta per delictum publicum

publicum, ſi Pontifici reſervantur, poſſe virtute Bullæ abſolvi non vlteriùs quam ſemel in vitâ, & ſemel in articulo mortis: Contracta autem per delictum occultum, & reliqua etiam non reſervata, vel reſervata Superiori, qui ſit Pontifice inferior, poſſe abſolvi toties quoties.

Quæritur: An virtute Bullæ irregularitas aliqua tolli poſſit?

Reſpondetur negativè: Quia irregularitas non eſt cenſura, vt communis fert ſententia, & cenſuræ dumtaxat abſolvuntur virtute Bullæ. Trullench verò aſſerit, contrariam ſententiam non eſſe improbabilem, & quòd in praxi poſſit quis illam ſequi quando neceſſitate vrgente non datur facilis ad Superiorem recurſus. Plures etiam, quos refert Diana ſentiunt, virtute Bullæ poſſe abſolvi ab irregularitate, quæ purè eſt pœna, non verò ab alia. *In Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 17. *num.* 4. Dian. 1. *p. tract.* 11. *Reſ.* 27.

DVBIVM XVI.

De poteſtate commutandi vota virtute Bullæ.

VErba Bullæ ſunt hæc: *Podrá tambien el dicho Confeſſor comutarles qualeſquiera votos, aunque ſean con juramento, dando la limoſna, que pareciere en favor, y beneficio de la Bulla de la Sancta Cruzada, exceptos los de la Caſtidad, y Religion, y Vltramarino.*

ARTICVLVS I.

Reſolvuntur dubia aliqua.

1. AN *in facultate, quæ concediatur commutandi vota virtute Bullę, concedatur etiam diſpenſandi?*

Reſpondetur negativè. Eſt ſententia communis. Ratio; quia in facultate minori, vt eſt facultas commutandi, non includitur facultas maior qualis eſt diſpenſandi. Sotus tamen tenet affirmativam partem; Leander etiam pro hac opinione refert Tabienam, & Toletum; ſed hi auctores non loquuntur de commutante cum poteſtate delegata, qualis eſt Bullæ poteſtas, ſed de commutante cum poteſtate ordinaria, quod longè diverſum eſt. Sot. *lib.* 7. *de iuſt. q.* 4. *verſ. Poſt hæc.*

2. *Quiſnam Confeſſarius poſſit commutare vota virtute Bullę? Et an commutatio facienda ſit in confeſſione?*

Reſpondetur: Quemlibet Confeſſarium ab Ordinario approbatum, iuxta opiniones à nobis relatas circa approbationem neceſſariam, vt quis eligi poſſit virtute Bullæ. Quod autem commutatio poſſit extra confeſſionem fieri, eſt communior ſententia.

3. *An ad commutandum vota virtute Bullæ requiratur cauſa?*

Reſpondetur: Non requiri aliam cauſam præter eam, quæ imbibitur in ipſa facultate, & exercitio commutationis, nempè eleemoſynam, quæ tribuitur ad ſubveniendum intentioni ipſius Cruciatæ. Hæc eſt plurium, quos refert Mend. *diſp.* 20. *nu.* 18.

4. *An per Bullam poſſint vota commutari in opus non æquale, ſed minus?*

Reſpondetur: Vndique eſſe auctores & negantes, & aſſerentes. Leander vtramque opinionem ęquè aſſerit probabilem, *to.* 1. *tr.* 5. *d.* 4. *q.* 156.

5. *An virtute Bullæ tota commutatio fieri debeat in ſubſidium Cruciatæ?*

Reſpondetur: Non eſſe neceſſarium ita

Universidad de Deusto Biblioteca

ita fieri commutationem, quamvis benè posset fieri si censeretur expedire.

6. *Quænam summa danda sit in subsidium Cruciatæ?*

Respondetur: Hanc summam in arbitrio prudentis Confessarij relinqui positam. Debet autem detrahere ab alijs pijs operibus, quod in subsidium Cruciatæ in commutatione addiderit.

7. *An in commutatione, pro eleemosyna temporali, his, qui non possunt talem eleemosynam elargiri, possit Confessarius imponere eleemosynam spiritualem, v.g. orationes, aut alia pia opera in subsidium expeditionis Cruciatæ?*

Respondetur: Plures Auctores affirmativam tenere sententiam, quos videre est apud Mendo; & ipse quamvis illam non sequatur, asserit tenendam in praxi, *disp.* 26. *num.* 177. & 178.

8. *An virtute huius privilegij, iuramenta possint commutari?*

Respondetur affirmativè: Et non solum quando iuramenta cadunt supra votum ad firmandum illud, in quo non potest esse dubium, quia exprimitur in Bullâ: sed etiam quando iuramentum fit seorsim, & separatim à voto; quia iuxta regulas iuris, *quidquid disponitur in altero duorum æquivalentium censetur etiam in alio disponi*; votum, & iuramentum procedunt ab eadem virtute Religionis, & fiunt in Dei honorem, & cultum; ergo quemadmodum votum potest per Bullam commutari, sic & iuramentum. Trull. Cand. Thom. Sanch. Suar. Fil. Dian. Basil. Delesm. *Hinc resolvitur.*

1. Quidquid in commutatione voti observatur, debere etiam in commutatione iuramenti observari. Layman. Leand. & Mend. *d.* 26. *nu.* 62.

2. Quòd, si aliquis fecisset votum iuramento confirmatum, commutato per Bullam voto, quòd est præcipuum, manet deobligatus à iuramento quod est accessorium.

3. Quòd si vota, aut iuramenta sunt in favorem tertij, non possunt per Bullam commutari, si à tertio iam acceptata sint; quia Pontifex non concedit privilegium vni, in alterius præiudicium, benè tamen possunt commutari antequam acceptentur, quamvis in subsidium pauperum, vel operum piorum fuerint facta. Et addit Trullench. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 7. *dub.* 8. *num.* 2. Vota etiam acceptata, posse non improbabiliter per Bullam commutari si adsit iusta causa; quod non admittit in iuramentis. Et Fagund. *l.* 2. *in Decalog. c.* 49. cum pluribus sentit idem, refertque Caiet. & Petr. de Navar. Basil. de Leon, Barbos. Laym. Mend. *d.* 26. *num.* 147.

9. *An si quis fecit votum, impasuitque sibi pœnam aliquam pecuniariam in pœnam violati voti; post violationem illius, possit ista pœna per Bullam commutari.*

Respondetur affirmativè; quia minor est obligatio, quæ resultat ex violatione voti, quam ea, quæ resultaret ex voto absoluto, & directo, quod quis fecisset dandi illam pecuniam: sed hæc obligatio ex voto absoluto, & directo potest commutari per Bullam; ergo etiam illa, quæ est minor. Mend. *d.* 26. *nu.* 149. cum multis.

10. *An votum faciendi quidquam, & non petendi commutationem illius voti, possit per Bullam commutari.*

Respondetur affirmativè; quia is, qui votum facit, non potest derogare auctoritati Superioris potentis commutare votum, & delegare facultatem commutandi, vt per Bullam Pontifex delegat.

An facienti votum cum intentione, vt tale votum Pontifici reservetur, & quòd nullus alius possit dispensare, neque commutare per privilegium quodvis, possit votum istud commutari per Bullam?

Respondetur affirmativè: Quia illa intentio, neque efficit, neque efficere potest quòd intendit; quia reservatio voti dependet vnicè à potestate reservantis.

ARTICVLVS II.

De votis, quæ virtute Bullæ, commutari nequeunt.

TRia sunt hæc vota, nempè Castitatis, Religionis, & Vltramarini, de quibus suo ordine disseretur.

Quæritur 1. *Quodnam Castitatis votum nequeat per Bullam commutari?*

Respondetur: Votum absolutum Castitatis perpetuæ, & perfectæ; quod sequẽtibus declarabitur resolutionibus.

1. Votum conditionale Castitatis, commutari posse per Bullam ante, & post purificatam conditionem; quia hoc votum potest commutari ab Episcopo, ergo etiam virtute Bullæ, siquidem per istius virtutem possunt commutari cuncta præter tria assignata. Thom. Sanch. Trull. Ant. Gomez, Dian. Tolet. Leand. Mend. *nu.* 85. & *alij.*

2. Votum Castitatis conditionale pœnale, posse etiam commutari per Bullam. Probatur eâdem ratione; & quia non est votum Castitatis perfectum, quia non fit propter affectum ad id, quod promittitur.

3. Votum Castitatis conditionale, quod non pendet à conditione contingenti, sed certâ, non esse conditionale, sed absolutum, & ita non posse per Bullam commutari, v.g. si quis voveret castitatem sub conditione quod Sol oriretur crastinâ die.

4. Neque etiam per Bullam commutari posse votum pœnale de materiâ reservatâ, quando tale votum fit in pœnam peccati iam commissi, vel quod committitur quando fit votum. Ratio, quia conditio non suspendit consensum, nec est contingens ita, vt ab eius contingentiâ, sit etiam contingens subsistentia, & obligatio voti, quàpropter votum censetur absolutum.

5. Non posse commutari votum Castitatis ad centum annos; quia censetur perpetuum, quia ab annis his, in quibus tale votum potest fieri non potest quis prudenter sibi promittere vitam vltra centum annos.

6. Posse commutari votum Castitatis, quod factum est ad aliquod tempus, v. g. quatuor, aut decem annos; quia non est reservatum Pontifici, quod non est perpetuum: sed si vovens esset iam ætatis multum provectæ, v.g. nonagenarius, aut centanarius, considerandæ sunt istius, & valetudo, & vires, an prudenti iudicio possit vivere vltra decem, aut quatuor annos, ad quos facit votum, quia si istius vita prolixior non speratur debet censeri perpetuum, & consequenter nequit per Bullam commutari.

7. Illum qui virginitatem vovit, animo dumtaxat abstinendi se à primo actu venereo, quo violatur virginitas, posse per Bullam obtinere commutationem voti, quia hoc votum est Castitatis partialis.

Vo-

8. Votum non potendi debitum posse commutari alterutri coniugum, & vtrique, quia est votum Castitatis partialis. Etiam potest commutari alteri coniugum, votum Castitatis, quod fecit sine licentia alterius post matrimonium consummatum; quia non est votum Castitatis perfectæ; siquidem remanet cum obligatione solvendi debitum: sed vtrique coniugi non potest commutari votum quando de communi consensu voverunt: quia est votum perfectum Castitatis, ita vt eorum neuter possit, nec petere debitum, nec reddere.

9. Votum non contrahendi matrimonium, per *B*ullam posse commutari; quia non est votum Castitatis perfectæ; neque contra votum faceret, qui non contrahendo, peccaret contra sextum Decalogi præceptum. Potest etiam commutari votum accipiendi ordinem sacrum; quia non est votum Castitatis, sed status cuiusdam, cui castitas annexa est. Itaque non peccaret contra votum, qui graviter circa castitatem delinqueret ante ordinem susceptum.

10. Votum coniugale Castitatis posse commutari: quia est votum Castitatis partialis; nisi fortè, auctoritate Pontificia hoc votum statui alicui annexum fuerit, v. g. Ordini Militaris, in quo equites, qui professionem emittunt, Castitatem coniugalem vovenent: quamvis videatur probabile iuxta opinionem negantem hos esse veros Religiosos, quòd votum istud Castitatis coniugalis possit commutari in his, quemadmodum in alijs coniugibus.

11. Quòd votum disiunctivum est commutabile per *B*ullam, quamvis vna eius voti pars sit Pontifici reservata, dummodò alia non reservetur: quia est in voluntate eius, qui vovit, eligere partem illam materiæ non reservatæ, quæ commutabilis est: sed si elegisset partem materiæ reservatæ, communior opinio negat commutari possit: quamvis Maldero defendat contrariam sententiam, & Diana dicat, cum probabilitate magnà defendi posse. Mendo etiam id affirmat, modò postquam materiam reservatam elegerit, non denuò voveat; quia votum illud non fuit à principio reservatum; ergo si non denuò fiat votum, non potest electio materiæ, reservatum facere. Mald. 2. *tract.* 10. *cap.* 5. *dub.*10. Mend. *dis.*26. *nu.*115.

12. Quòd probabile, & tutum est, commutari posse per *B*ullam votum Castitatis factum propter metum levem ab extrinseco causatum, quia simpliciter non est perfectum, siquidem deest illi perfectio libertatis, & spontanei, propter id quod habet de coacto, & involuntario. *B*onac. Les. Ang. Navar. Fun. Dian. Trull. Mend. *nu* 117.

13. Quòd, si quis facit plura vota Castitatis partialis, v.g. votum non contrahendi matrimonium, & post hoc, votum etiam abstinendi se ab vna specie luxuriæ, & postea ab alia specie, &c. Ita vt in omnibus votis simul iunctis includatur obligatio servandæ Castitatis perfectæ, hæc vota non possunt commutari per *B*ullam, si vovens voluit iungere votum vltimum cum reliquis votis, ita vt vltimum votum foret complementum omnium, vt vovens omnimodà, & perfectà castitate teneretur; sed si non habuit talem intentionem, sed fecit quodcumque votum quasi seorsim, & vnumquodque cum affectu solo ad materiam partialem eius, commutari possunt hæc vota, vnumquodque seorsim, quia

quia singula sunt vota castitatis partialis.

14. Quòd si votum castitatis, aut cuiusvis materiæ reservatæ commutavit Pontifex in aliam materiam non reservatam, hæc secunda obligatio voti potest virtute Bullæ commutari, quia commutatio, delevit reservationem. Les. Arag. Suar. Thom. Sanch. & alij, quos citat, & seq. Mend. *nu.*125.

15. Quòd votum castitatis factum ante contractum matrimonium, non potest cuiquam commutari per Bullam, vt petere debitum possit. Ratio, quia illud votum, fuit absolutum castitatis perfectæ, & ita non potest commutare partem illius, qui non potest commutare totum, vndè Pontifex solus potest.

Quæritur 2. *Quodnam Religionis votum nequeat per Bullam commutari?*

Respondetur: Votum absolutum, & perfectum Religionis. *Vndè resolvitur* ex Thom. Sanch. Trull. & alijs, quos citat Mend. *n.*119.

1. Quòd in circunstantijs, in quibus dictum est in resolutionibus supradictis, quòd votum castitatis commutari potest, Religionis etiam votum commutari valet, accommodatis casibus proportionaliter vnius materiæ, & quæstionis, ad aliam.

2. Quòd votum hoc debet esse votum Religionis approbatæ, ne commutari possit; itaque potest commutari votum ingrediendi domum aliquam, vel Hospitium, vel Collegium, vbi viri, aut fœminæ commorantur divino cultui dediti; & etiam est commutabile votum ingrediendi Religionem approbatam, non vt ibi quis Religiosam vitam degat, sed vt habitu incedat heremitæ, &c. Quia isti non sunt verè Religiosi. Hic est communis omnium Bullæ expositorum sensus.

3. Posse commutari vota paupertatis, & obedientiæ quæ quis facit in sæculo, aut Religione non approbatà, quia ista non sunt vota Religionis.

4. Posse commutari votum accipiendi habitum in Religione Divi Iacobi, Alcantaræ, Calatravæ, & alijs Religionibus Militaribus (exceptâ Religione Divi Ioannis, quia hæc est vera Religio, vtpotè, in qua castitas, paupertas, & obedientia voventur.) Ratio; quia, cum alij defendant, Religiones illas, non esse verè, & propriè Religiones, alij verò contrarium sentiant, restat in opinione, an sint propriè, & verè Religiones? Et consequenter an reservatum sit votum ingrediendi eas; quod sufficit, ne hoc votum censeatur reservatum, quia odia restringenda sunt. Mend. *d.* 26. *nu.* 132.

5. Posse commutari vota ingrediendi Religionem austeriorem in ingressum Religionis laxioris; votum ingrediendi in hoc Monasterium, in ingressum alterius Monasterij; votum etiam differendi ingressum quoad certum tempus, votum perseverandi in Religione, prout votum istud distinguitur à voto ingrediendi Religionem; quia in cunctis istis casibus, non commutatur substantia voti, sed qualitas Mend. *in varijs num. cap.*12. in quo citat alios.

Quæritur 3. *Quodnam votum Vltramarinum non valeat per Bullã cõmutari?*

Respondetur: Votum dumtaxat absolutum, & perfectum peregrinationis ad visenda loca Sancta Hierosolymorum, vel eorum aliquem. In quo omnes Bullæ Expositores conveniunt. *Hinc resolvitur.*

Universidad de Deusto Biblioteca

1. Quòd hoc votum potest commutari per Bullam in casibus, quibus diximus de voto Castitatis, & Religionis proportionaliter, v.g. quando hoc votum est conditionale, pœnale, vel factum est ob metum causatum ab extrinseco, &c.

2. Quòd, quidquid non est de substantia voti, sed tantum de qualitate, commutari potest, v.g. ire peditem, vel mendicando, &c.

3. Hoc votum non posse commutari, quamvis ob devotionem solam sit factum. Est communis sententia, vt potest videri apud Mend. *num.* 143. contra Graffis, & Sà, qui putarunt, votum hoc tunc dumtaxat reservari, & incommutabile esse per Bullam, cùm in subsidium fiebat terræ Sanctæ.

DVBIVM XVII.

De aliquibus difficultatibus Bullę, quæ explicandæ restant.

ARTICVLVS I.

An debeat asservari summarium Bullæ, & inscribi nomen accipientis?

HÆc sunt verba Bullæ: *Y declaramos, que los, que la tomaren, ayan de guardar, y recibir este sumario, y Bulla, que và impresso de molde, y sellado, y firmado de nuestro nombre, y sello, porque de otra manera no ganan, ni gozan de la dicha Bulla, ni gracias de ella. Y por quanto vos N. disteis dos reales de plata, que es la limosna que avemos tassado, y declarado, y recibisteis esta dicha Bulla, y escrito en ella vuestro nõbre, declaramos, q̃ aveis conseguido, y se os cõceden las dichas gracias, &c.* Circa quod, *resolvitur.*

1. Opinionem esse communem, quòd ad obtinendas Bullę gratias necessarium sit accipere summarium, taxatamque eleemosynam erogare.

2. Communiter etiam sentire omnes *Bullæ* Expositores, non esse necessarium afferre secum Bullam, sed sufficere, habere domi asservatam, vel sub alterius confidentiâ.

3. Quòd, quamvis communiter sentiant plures, quòd si quis absque culpa perdiderit summarium, adhuc eius gaudeat gratijs, non verò si culpabiliter; probabile tamen est, acceptâ *Bullâ*, & erogatâ eleemosynâ obtineri gratias, perdatur inculpabiliter, vel culpabiliter, etiamsi voluntariè scindatur. Quia vt sentiunt Trullench, & Mendo, *dis.* 23. *nu.* 3. Non est præceptum Pontificis, sed consilium, quando dictat summarium asservandum. Basil. Ponce *in manuscriptis*, Mend. *eodem nu.* 3.

4. Non esse etiam de præcepto inscribere in *Bullâ* vivorum nomen accipientis: nec in defunctorum Bullâ nomen eius, pro cuius animâ accipitur; quamvis debeat fieri præcipuè in Bullâ vivorum, vt; si fortè quis in articulo mortis obmutesceret, constet per eius inscriptum nomen, ipsum habere Bullam, & possit ei applicari Indulgentia, & tempore interdicti possit in loco sacro cum moderatâ pompâ sepeliri.

ARTICVLVS II.

An acceptis duabus Bullis possit aliqua privilegia obtinere duplicata?

REspondetur affirmativè: Quia ita declarat expressè ipsa Bulla. *Circa quod resolvitur.*

Non

1. Non posse accipi pro vno, tam vivo, quàm defuncto plures Bullas quàm duas; quia ita disposuit Gregorius XIII.

2. In ordine ad privilegia, quæ conceduntur indefinitè, non esse necessarium duplicatam accipere Bullam, v.g. ad privilegium lacticiniorum, esûs carnium de consilio vtriusque Medici, eligendi Confessarium, qui absolvat à casibus Pontifici non reservatis, & ad alia similia, quia ista privilegia, vnicâ tantum Bullâ obtinentur toties quoties quis vult, aut indiget.

3. Privilegia, quæ conceduntur ad vnicam dumtaxat vicem, posse obtineri bis, acceptis Bullis duabus, itaque qui duas accipit potest absolvi bis à casibus Pontifici reservatis, potest Indulgentiam plenariam, quæ conceditur semel in vitâ, & semel in articulo mortis, sibi applicare bis in vtroque casu; potest etiam in opinione asserentium Indulgentias stationis ad Altaria non obtineri nisi semel per dies singulos, ipse obtinere bis, duplicando stationes &c.

4. Posse accipi duas Bullas pro eodem defuncto: est autem vtilius non accipere eas simul, quia potest accidere, quòd in primâ vice non applicetur Indulgentia defuncto ob defectum alicuius requisiti, quod requisitum suppleatur in secunda vice.

ARTICVLVS III.

De suspensione, & revalidatione Indulgentiarum, & gratiarum, quas Bullæ Commissarius concedit.

COmmissarius Cruciatæ Generalis, virtute facultatis sibi à Pontifice concessæ, suspendit durante anno publicationis Bullæ, cunctas gratias, & Indulgentias, vbique terrarum, quibus Bulla promulgatur, exceptis illis, quæ Superioribus Ordinum Mendicantium in ordine ad Religiosos concessæ sunt; & postea Commissarius declarat in favorem Cruciatæ, quòd qui acceperit Bullam possit gaudere cunctis ante suspensis Indulgentijs, & gratijs; quę declaratio, est revalidatio. Finis intentus per hanc suspensionem est: Ne deficiat Cruciatæ subsidium eleemosynarum, quæ à fidelibus erogantur; quia si possent sine Bulla, alias obtinere gratias, & Indulgentias, plures Bullam non acciperent, & ita, datâ eleemosynâ pro Bulla revalidantur Indulgentiæ suspensæ, vt possit accipiens obtinere. *Circa hoc videbis sequentes resolutiones.*

1. Respectu accipientis Bullam statim ac promulgatur, non suspendi gratias, nec Indulgentias vllas, quia iste nec locum, nec tempus suspensioni tribuit, & quamvis dicatur revalidari Indulgentias, est quia suspendendæ erant, casu quo iste non esset tam sedulus in accipiendo *Bullam*.

2. Commissarium, non suspendere has gratias, & Indulgentias in locis illis, vbi Cruciata non valet; quia nec illos attingit eius potestas, nec ad finem intentum suspensio talis conducit.

3. In opinione asserente annum durationis Bullæ esse naturalem, posse inveniri aliquos dies, in quibus sine Bullâ Indulgentiæ aliquæ obtineantur, & gratiæ. V.g. promulgata fuit Bulla anno superiore in aliquo loco Kalendis Februarij, hoc anno promulgatur decimâ die mensis in eodem loco; in diebus illis, qui restant à Kalendis Februarij,

rij, vsque ad decimam diem mensis, possunt obtineri prædictæ Indulgentiæ sine Bullâ; nam suspensio pro anno superiore expiravit primâ die Februarij, & suspensio pro anno præsenti, non incipit nisi à decimâ.

4. Iubilæum, quod quandoque Pontifices concedunt pro duabus septimanis obtinendum, posse obtineri sine Bullâ, si Pontifex contrarium non expresserit; quia est mens Pontificum, & animus, vt omnes tale Iubileum obtineant, & neque pauperes, quibus ad Bullam accipiendam pecunia non suppetit excludantur à Iubilæo obtinendo; itaque Commissarius nunquam hoc Iubilæum suspendit, Fernand. Villalob. Rodr. Trull. Dian. citati à Mend. *d.* 29. *num.* 10.

5. Facultates, & gratias in iure communi contentas non suspendi à Commissario Bullæ; quia communis doctrina est: id, quod est de iure communi non revocari, si clarè non exprimitur.

6. Neque etiam suspendi Indulgentias, & facultates quæ conceduntur ab Episcopis; quia tantùm suspenduntur gratiæ, & facultates, quæ immediatè à Sede Apostolicâ dimanant, vt constat ex Bullæ proœmio.

7. Suspendi gratias, & Indulgentias, quæ conceduntur post promulgationem Bullæ. Praxis, & stylus est: quòd Commissarius illas examinet, & faciat copiam, vt promulgentur, & quòd non possint obtineri sine Bullâ, *lib.* 1. §. 5. *dub.* 4. *nu.* 3.

8. Trullench sentire: Gratiam concessam pro animâ è Purgatorio eruēdâ per Missam in Privilegiato Altari celebratam, non suspēdi per Bullam; quod etiam Diana probabile censet; sed communior, & probabilior est contraria sententia, & illa favet magis expeditioni Cruciatæ: Itaque ad obtinendam hanc gratiam est opus Bullâ. Ludovicus de la Cruz ait: quòd ille, qui Missam commendat, debet habere Bullam. Melias Rodriguez, asserit: teneri celebrantem; quia Bullam debet habere, qui Indulgentiam obtinet, obtinet verò qui celebrat, non qui celebrare commendat; Religiosus autem, quicelebrat in Altari Monasterij sui, nonindiget Bullâ; quia Religiosi, absque Bullâ gaudent gratijs sibi concessis, vtstatim videbimus.

9. Non suspendi per Bullam gratias, & facultates, quæ non habent similitudinem aliquam, aut æquivocationem cum gratijs, & facultatibus Bullæ, v.g. si Episcopus aliquis haberet testandi licentiam: & gratiæ illæ, quæ pertinent ad honorem, & iurisdictionem, vt sunt gratiæ illæ, quibus fruuntur docentes, & studentes in Vniversitatibus, Ministri Sancti Officij, & alij constituti in aliqua dignitate, aut officio. Ratio; quia cùm in litteris Apostolicis revocantur aliquæ gratiæ quæcumque sint, intelligitur revocari dumtaxat gratias illas, quæ obviare, vel opponi possent his gratijs, quæ in dictis litteris revocantibus conceduntur, vt advertit Mendo citatis Felino, & Bartolo: gratię, quas pro exemplo apposuimus, non opponuntur gratijs in Bullâ concessis, neque Bullæ expeditioni; ergo istæ non revocantur per Bullam. Est plurium, quos citat Mend. *d.* 29. *n.* 33.

10. Neque etiam suspendi per Bullam, gratias concessas Religionibus Mendicātibus quoad Religiosos earum: quia expressè excipiuntur à Commissario in suspensione aliarum; sed neque etiam potest illas suspendere, quia Pontifex non tribuit ei facultatem hanc in Bullâ Latinâ. Quod etiam dico de gratijs concessis Religionibus non Mendicantibus, si istæ participes fuerint privilegiorum illarum. Quod de Religiosis dicitur, debet etiam intelligi quoad novitios, quia in favorabilibus, nomine Religiosorum comprehenduntur; non verò includuntur Donati, quia non sunt Religiosi; neque etiam Tertiarij Franciscani; quia vtrique indigent Bullâ, vt gratias Religioni concessas obtineant. Mendo cum alijs, *n.* 44. & 45.

11. Idem quòd de Religiosis viris, intelligendum esse de Religiosis fœminis, idest Monialibus, cum proportione, si sunt Ordinis Mendicantis, non egent Bullâ ad obtinendas Ordinis sui gratias, quia istæ non suspenduntur; si verò non sunt Mendicantis, neque participant privilegia eorum, egebunt Bullâ.

12. Seculares etiam egere Bullâ ad obtinendas gratias aliquas concessas in favorem Religionum Mendicantium, quæ immediatè attinent etiam ad favorem ipsorum sæcularium, v.g. Indulgentias, quæ conceduntur visitantibus Altaria, aut Ecclesias dictarum Religionum.

13. Alias gratias, quæ pręcipuè, & immediatè conceduntur in favorem dūtaxat Religionis, & redundant etiam in beneficium sæcularium, posse etiam à sæcularibus obtineri sine Bullâ, quia non suspenduntur, v.g. Facultas, quam habent Mendicantes absolvendi à casibus reservatis, commutandi vota, dispensandi in quibusdam rebus, & aliæ similes facultates, quæ in vnaquaque Religione videndæ sunt, quæ, & quales sint. Quod etiam dico de Religionibus non Mendicantibus, si participant privilegia earum. Hæc resolutio est contra Navarrum, Lopez, Acosta, & Trullench, sed assentiunt ei supra decem, & octo aut viginti Auctores, quos citat, & sequitur Mendo, *nu.* 63. Qui etiam addit: *B* Pium V. consultum respondisse: Mentem suam non esse revocare per Bullam hæc privilegia, & expressit anno 1571. in privilegijs Ordinis Prædicatorum; & putandum est, hunc, fuisse, & esse animum reliquorum Pontificum.

ARTICVLVS IV.

De suspensione interdicti dum Bulla promulgatur.

COmmissarius Generalis virtute facultatis sibi à Summo Pontifice concessæ suspendit interdictum, vbicumque fuerit, per octo dies ante, & post Bullę promulgationem, vt solemniù fiat promulgatio. *Circa hoc, quædam difficultates resolvuntur.*

1. An suspensio interdicti duratura sit sexdecim, aut decem, & septem dies; quia cùm Commissarius suspendat interdictum octo dies ante, & totidem post promulgationem Bullæ, videtur eundem diem promulgationis non esse numerandum inclusivè cum alijs antecedentibus, & consequentibus. Respondetur, hoc esse probabile, v.g. illum diem non esse inclusivè numerandum, & quia favorabile est, posse extendi suspensionem vsque ad dies decem, & septem. Mend. *d.* 30. *n.* 2.

2. Suspendi interdictum positum à quo-

à quocumque Iudice; quia Pontifex est superior cunctis, & delegat quoad hoc Commissario propriam potestatem.

3. Quòd si in aliquâ Civitate populosâ promulgetur in diversis Ecclesijs, & diversis diebus Bulla præ multitudine populi, interdictum suspenditur octo diebus ante, & totidem post promulgationem in vnaquaque Ecclesia; & Parochiani illius Ecclesię in qua adhuc interdictum non suspensum est, frequentare possunt Ecclesiam illam, in qua est suspensum. *Idem nu.6.*

4. Excommunicatos, aut publicè denuntiatos, propter quos interdictum positum fuit, non manere absolutos per illos dies, quibus suspenditur interdictum; quia vinculum excommunicationis, distinguitur à vinculo interdicti, quod suspenditur.

5. Neque interdictum personale particulare suspendi; quia hoc non obstat promulgationi solemni Bullæ, qui est finis intentus in suspensione interdicti, neque hoc vocatur absolutè interdictum. *Idem nu.12.*

6. Interdictum generale personale, comprehendens cunctos vicinos loci, suspendi, quamvis non sit locale, quia hoc obstat solēni Bullæ promulgationi.

7. Quòd si interdictum, positum est in Ecclesiâ loci, in qua non est promulganda Bulla, adhuc suspenditur; quia Commissarius loquitur absolutè, non dicens suspendi interdictum in Ecclesiâ in qua promulganda est Bulla, si in eâ fuerit interdictum, sed suspendi in loco toto, in quo Bulla promulgatur.

8. Idem dicendum esse si aliqua Regularium Ecclesia interdicta foret in loco, in quo Bulla promulgatur, etiamsi omnes in tali communitate commorantes, essent interdicti generaliter; quia illud interdictum est publicum, & non particulare; ac si in vnâ Parochiâ, cuncti Parochiani interdicti essent.

9. Quòd finitis diebus suspensionis, iterum resurgit interdictum quin denuò ponatur.

CAPVT II.

DE BVLLA COMPOSITIONIS.

COmmissarius Generalis Bullæ, in virtute facultatis sibi à Pontifice concessæ potest facere conventionem super bonis malè habitis, aut vsurpatis quando de Domino eorum non constat; quam facultatem potest ipse Commissarius subdelegare, vt de facto subdelegat Commissarijs Bullæ in Indijs, & quia difficile erat, & molestum, pro minoribus quibusdam quantitatibus ad Commissarium recurrere ad debita ista componenda, expedit Bullas.

DVBIVM I.

De bonis in communi, de quibus Commissarius potest compositionem facere.

ARTICVLVS I.

Quænam quantitas componi possit?

REsp.1. Singulis quoque annis componi posse quantitatem duorum millium nongentorum quadraginta, & vnius argenteorum, & sex maravedisiorum cum quinquaginta Bullis Compositionis acceptis, quæ singulis annis accipi possunt; quia per vnamquamque Com-

Compositionis Bullam componuntur quinquaginta argentei, & viginti, & octo maravedisij, & ita cum quinquagintâ Bullis Compositionis acceptis, dicta quantitas componitur.

Respond.2. Quòd si inveniatur maior quantitas componenda quam ea, quæ cum quinquaginta Bullis componi potest; recurri debet ad Commissarium; qui solet exigere pro compositione, decimam partem eius quantitatis, quæ componenda est, & hanc in subsidium Cruciatæ applicare: Quòd etiam ordinat exigendum Commissarijs in Indijs subdelegatis. *Hinc resolvitur.*

1. In vno anno non posse accipi plures quàm quinquaginta *B*ullas Compositionis, sive sumantur singulæ seorsim sive plures, sive omnes simul.

2. Quòd si quidam debet vltra id, quod per quinquaginta *B*ullas componere potest, non valet differre compositionem, aut restitutionem ad sequentem annum, vt componat quantitatem acceptis novis *B*ullis; sed statim debet restituere, aut componere cum Commissario restantem illam bonorum quantitatem. Peccabit autem graviter differendo, nisi dilatio aliâs prudentis iudicio iustificata fuerit.

3. Quamvis peccaverit differendo culpabiliter restitutionem, aut compositionem, posse tamen in sequenti anno, acceptis Bullis, debitum componere; neque obstabit distulisse, intuitu per Bulas componendi; quia quamvis Bulla non prosit his, qui in fide *B*ullæ aliena vsurpavêre bona, illis tamen, qui *B*ullæ fidentes, restitutionem distulerunt videtur valitura, quia valdè diversa sunt hæc duo; nempè vsurpare in fide *B*ullæ, & differre restitutionem in fide eiusdem, & cum aliàs hoc quod est, non valere *B*ullam sit odiosum, non debet ampliari; & si fiducia privaret hoc beneficio, adhuc perspiciendum est: An compositio dilata fuerit in fiduciâ, aut cum fiduciâ *B*ullæ, quia si dilata fuit cum fiduciâ, adhuc compositio potest fieri per *B*ullam. Mendo *disp.32. nu.51.*

4. Quòd si quis per vnam *B*ullam composuit minorem quantitatem, quàm componere potuisset, v.g. triginta argenteos, si postea contrahat aliud debitum, cuius incertus sit Dominus, v.g. debitum viginti, & octo argenteorum, non potest componere hos viginti, & octo argenteos, per illam eandem *B*ullam, per quam composuerat triginta, quamvis nec illi triginta, neque isti viginti, & octo argentei excedant quantitatem, quæ per vnam *B*ullam componi potest; quia *B*ulla non valet ad debitum de futuro contrahendum, sed ad debitum iam de præterito contractum, & compositio finitur quando accipitur *B*ulla, nec potest vltrà extendi.

5. Quòd si vnus debet alicui Domino incerto triginta argenteos, & alius debet alicui Domino incerto viginti, non licet illis accipere vnicam *B*ullam Compositionis pro debito vtriusque; quia vnaquæque *B*ulla conceditur vni soli, & hæc est praxis: sed eorum quisque posset suscipere debitum alterius, pro quo satisfaceret, quod impleret accipiens *B*ullam Compositionis.

Quæritur: Quænam eleemosyna pro Bulla Compositionis eroganda sit?

Respondetur: Duos erogari argenteos; sed si compositio fiat de bonis, quæ debentur pro ommissione Officij Divini, erogandi sunt, & alij duo ad fabricam, eius Ecclesiæ, in quâ beneficium

cium habet qui officium omisit.

ARTICVLVS II.

Cuiusnam qualitatis futura sint bona super quę fieri possit compositio?

REspondetur: Hæc bona debere esse incerta, vel hanc compositionem fieri de bonis incertî Dominî, vel de bonis, quæ debentur Ecclesiæ, pauperibus, aut operibus pijs; quia Pontifex est Administrator horum bonorum, & potest de illis compositionem facere, alijsque compositionem delegare. Dilucidatur autem hoc magis, *resolutionibus sequentibus.*

1. Cùm sit probabilis opinio, & tuta in conscientiâ: *B*ona incertî Dominî, quæ quis non adquisivit iniustè, sed invenit, v.g. posse sibi applicare, si postquam sufficientem diligentiam adhibuerit pro inveniendo Domino, non invenerit; neque teneri ad compositionem, aut restitutionem, nisi fortè Dominus inventus fuerit, ante necessarium præscriptionis tempus; quo impleto, iam non tenetur reddere Domino; Quæritur nunc: quodnam temporis spatium ad hanc præscriptionem requiratur? Hæc est materia Iurisconsultorum *in tit. de Præscrip. & in tit. de Vsucapion.* Theologorum etiam *in tractatu de Iust. & Iure*; sed in opinione asserentium prædicta bona deberi operibus pijs, potest fieri de ijs bonis compositio.

2. Vt aliqua bona censeantur incertî Dominî, necessarium esse, habentem illa bona, sufficientem, prudentum virorum iudicio diligentiam adhibere pro Domino certo inveniendo; quòd si factâ sufficienti diligentiâ, Dominus non comparuerit, habenda sunt illa bona pro bonis Dominî incertî, & potest fieri de illis compositio. In hoc Auctores consentiunt.

3. Quòd, quando constat bona ista esse alicuius ex tribus, aut quatuor Dominis, non tamen constat cuiusnam eorum sint, hæc bona non sunt incerta, neque de illis potest fieri compositio, sed debent tradi tribus illis, aut quatuor, de quibus est dubium, vt illi inter se dividant; & inter se componantur; neque postea si verus Dominus appareret, tenerentur alij consortes restituere vero Domino id quod in partitione acceperunt; quia quando divisio facta fuit, vnusquisque cessit iuri suo. Mendo cum alijs; quos citat *d.33. nu.* 12. Dicastillo, *to.1.de iustit.& iure.lib.2.tit.2.d.9. dub.*15.

4. Non esse incerta, bona illa, quę iura, aut leges cuiusque Regni disponunt sic, vel sic applicanda, quamvis de Domino non constet; quia hæ leges obligant in conscientiâ, vtpote iustæ, & ita non potest fieri de illis compositio.

Quæritur 1. *An in casu, quo comparet Dominus, bonorum, de quibus per Bullam facta est compositio, vel cum Commissario conventum fuit; is, qui composuit illa bona, debeat restituere, aut tuta conscientia possit sibi retinere?*

Respondetur. Quòd in conscientiâ non tenetur restituere, factâ iam legitimè compositione, & remanere in conscientiâ securum, quamvis Dominus ipse in externo foro possit coram Iudice ista bona expostulare, & ipse Iudex ad restitutionem compellere. Probatur prima pars; quia Pontifex præ dominio excellentiæ, pollet auctoritate ad transferendum per compositionem dominium talium bonorum quando talis compositio ad animarum salutem conducit, & talia bona sũt in tali statu, quòd ad pauperes pertineant; ergo in conscientiâ non debet restituere ille, ad quem per compositionem, dominium talium bonorum translatum fuit. Secunda pars probatur, quia horum bonorũ compositio, dumtaxat est ad forum conscientiæ, ergo in externo foro repeti possunt. Hinc fit satis asserentibus non posse fieri hanc cõpositionem tutâ conscientiâ, quia est in præiudicium tertij nempè Dominî bonorum. Satisfit inquam quia remanet Domino ius, & actio, vt in externo foro sua bona expostulet; irrationabiliter autem invitus erit Dominus bonorum, in eo quòd is, qui eorum compositionem per Bullam fecerit maneat in foro conscientiæ liber ab onere restitutionis, cum ipse bonorum Dominus sit Pontifici subditus, eiusque bona, subijciantur supremæ Pontificis potestati, quando eorum administratio spirituali saluti conducit, vt conducebat quando illorum dominium in foro conscientiæ per compositionem fuit translatum. Neque hæc compositio, aut translatio dominij debet censeri facta in præiudicium Domini, quemadmodum neque præscriptio censetur in præiudicium, quamvis post bonorum præscriptionem appareat illorum Dominus; nam quemadmodum Respublica eò quòd habeat potestatem super bona temporalia, quatenùs conducit vtilitati civili, & publicæ, concedit præscriptionem bonorum, quin Domino iniuriam inferat; ita Pontifex, eò quòd habeat potestatem super bona incerta, quatenùs conducit spirituali saluti, concedit iustè eorum compositionem in conscientiæ foro, quin bonorum Domino præiudicium fiat.

Quæritur 2. *Quibusnam personis possit valere compositio per Bullas aut cum Commissario?*

Respondetur posse valere. 1. Cunctis; quibus diximus vivorum Bullam posse valere in *cunctis articulis dubij quarti.*2. Defuncto qui ante mortem iniunxit suo hæredi, vt acciperet *B*ullas compositionis necessarias ad exonerandam defuncti conscientiam.

Quæritur 3. *Quibusnam personis Bulla hac valere non possit?*

Respondetur: Illis non valere, qui in fiduciâ *B*ullæ aliena bona vsurparunt sed posse valere his, qui cum fiduciâ *B*ullæ vsurparunt. Quod vt intelligas: Nota, quòd ille vsurpavit in fiduciâ *B*ullæ, qui si non sperasset se compositurum ea bona per *B*ullam, non vsurpavisset ea. Ille verò vsurpavit cum fiduciâ *B*ullæ, qui motus est ad vsurpanda bona per cupidinem, aut motivum aliud; & quamvis non sperasset se compositurum illa bona, tamen eodem modo vsurpavisset, quamvis aliquod habuerit solamen, quòd per *B*ullam compositioni daretur locus.

Hic advertendum est: Quòd quamvis bona, malè habita in fiduciâ *B*ullæ componi nequeant potest tamen pro illorum compositione adiri; vel Commissarius Generalis: hic enim potest talem compositionem concedere: Vel Episcopus, cuius potestatem componendi bona malè habita, non limitat Commissarius Mend. *d.*33. *n.*43. & 44.

(*.*)

Universidad de Deusto Biblioteca

DVBIVM II.

De particularibus casibus, in quibus Bulla Compositionis intrat?

DEcem, & octo casus particulares assignantur, in quibus *B*ulla Compositionis habet locum. In quibus omnibus, duo supponuntur, quæ iam animadversa relinquimus. Primum, quòd non constet de Dominó bonorum, quæ componuntur. Secundum; quòd facta fuerit sedulò diligentia prudentum iudicio sufficiens, vt eorum Dominus inveniatur. In *B*ullâ Latinâ additur à Pontifice alia conditio, nempè quòd à volente se componere exigatur iuramentum, quòd sufficientem diligentiam adhibuerit in quærendo bonorum Domino, & non invenerit; sed iuramentum hoc, dumtaxat exigitur quando fit compositio cum Commissariò, non verò quando fit per *B*ullas, quia tunc sufficit, quòd quis in conscientiâ sibi persuadeat, quòd sufficientem curam in Domino, quærendo habuerit. Et ita in praxi acceptum est.

In hoc casu advertendum est, quòd videatur *Dubium 7. tractatûs 5. in lib. 3. summæ*, vbi agitur de vsurâ, & in casibus, in quibus debetur eius restitutio, poterit compositio per *B*ullam habere locum, modò de Domino cui restitutio facienda sit, post diligentiam sufficientem non constiterit, neque vsuræ commissæ fuerint in fiduciâ *B*ullę. Quòd idem advertendum est in reliquis quibuscumque casibus, ne iterum repetere cogamur.

Dicitur componi posse id, quod obtinetur: *Por logros*, quæ exsurgunt ex accommodatione fructuum, *Por vsuras*, quæ resultant ex accommodatione pecuniæ, in significatione strictâ, & in latâ, ex accommodatione cuiusvis mercis *ù otra qualquiera manera*, Idest modo simili vsuræ vt mohatra.

2. Casus. *Iten, se puede componer sobre los frutos de los beneficios, y otras rentas Ecclesiasticas mal avidas, y llevadas por defeto de no aver rezado las Oras Canonicas.* Circa quod resolvitur.

1. Quòd quando ob defectum in recitando fit horum bonorum compositio, tribuenda est tanta pars ad fabricam Ecclesiæ, vbi est beneficium, quanta Cruciatæ, v.g. si accipitur pro compositione *B*ulla, vna, tribuendi sunt Ecclesiæ argentei duo, si duodecim *B*ullæ accipiantur, 24. argentei tribuendi sunt Ecclesiæ, & sic proportionaliter.

2. Quòd, cùm fructus beneficij, percipiantur etiam alijs titulis, & obligationibus onerosis, à recitatione diversis, hinc fit, solùm id debere restitui ob defectum in recitando, quod recitandi oneri correspondet, debitâ spectatâ proportione, Thomas, Sanchez, Henriquez, & Mendo, *d. 34. n. 25.* asserunt: Episcopum recitare ommittentem ad quintam fructuum partem restituendam teneri. Canonicum verò, & Parochum, ad quartam. Reliquos *B*eneficiatos, & qui gaudent beneficio simplici, Præstamo, Capellania, aut pensione sufficienti ad onus recitandi, teneri ad tertiam partem. Quare posset vnusquisque hanc partem per *B*ullas componere, v.g. Habet quis *B*eneficium simplex, ex quo percipit quotannis trecenta ducata, ommittit recitare officium per totum annum, debet restituere fabricę Ecclesię, aut pauperibus ducata centum, quę est tertia pars redditu; quam partem componere potest, acceptis decem, & novem Compositionis *B*ullis, erogando Cruciatę triginta, & octo argenteos, & totidem fabricę Ecclesię. Si omittit officium per mensem, aut per dies quindecim illam partem restituere tenebitur, quę mensi, aut diebus quindecim ex redditu correspondent, quam partem per *B*ullam, aut *B*ullas componere potest.

3. Omittentem officium parvum, ad quod tenetur pro pensione, eodem modo ad restitutionem obligari; quòd, si per *B*ullas velit componere debitum, tantam partem debet restituere fabricę Ecclesię vbi est beneficium à quo pensionem accipit, quantam Cruciatę. Quòd si pensio fuerit super Episcopatum, probabile est partem dandam fabricę, posse applicari, vel fabricę Ecclesię Matritis, vel alterius cuiuscumque Ecclesię, in quâ Episcopus habeat Ecclesiasticos proventus.

4. Habentem beneficia in diversis Ecclesijs, si componat per *B*ullas debitum, quod ommissione officij contraxit, id quod fabricæ Ecclesiæ tribuendum est, dispertiri deberi inter omnes illas Ecclesias, in quibus habet beneficia, maiorem partem illi, vnde maiores percipit redditus, tribuendo.

3. Casus. *Iten, se pueda componer sobre la mitad de los legados, que fueren echos en descargo de lo mal llevado: Siendo las personas, à quien se huvieren echo las mandas, negligentes por vn año en la cobrança; aunque se sepa quien son los tales legatarios, y personas.* Circa quod resolvitur.

Negligentiam legatarij in preceptione rei legatæ, non debere numerari à tempore, quo factum est testamentum, vel testator obijt, sed à tempore, quo ipse certior factus est legati, ab hærede, vel testamentario; quia vbi de re non constat, non potest quis accusari de negligentiâ in re. Itaque si à tempore, quo habuit notitiam, numeratur annus, & ille negligenter se habuerit in recuperando legato, poterit hęres dimidium legati per *B*ullas componere. Si legatarius verò fuerit aliquis locus pius, debet admoneri is, qui talis loci curam habet; Si legatarij fuerint pauperes in communi; Procurator pauperum debet admoneri; quòd si isti post admonitionem negligentes fuerint per annum, potest fieri compositio de legati dimidio.

4. Casus. *Iten, se puede componer sobre los legados hechos antes de ahora, ò que en el tiempo de la predicacion desta Bulla se hizieren, cuios legatarios no se hallaren, hecha la devida diligencia.* Circa quod resolvitur.

1. Quòd si non invento legatario, invenitur hęres ipsius, legatum absolutum debet dari isti hęredi, legatum quoque conditionatum, purificatâ conditione; & super hoc legatum

ARTICVLVS I.

De primis sex casibus, qui ponuntur in Bulla.

1. CAsus, sic habetur in *B*ullâ Castellanâ; *Primeramente se puede componer sobre lo mal ganado y avido, sobre lo mal llevado, y adquirido por logros, vsuras, ù otra qualquier manera, no constando los dueños à quien se deve hazer la legitima restitucion hecha la devida diligencia.*

gatum nequit hæres per *B*ullam componi.

2. Idem, quod conceditur circa legata non inventis legatarijs, posse applicari fideicommissis, & donationibus, quando non inveniuntur partes, itaque possunt etiam per *B*ullas componi.

5. Casus. *Iten, si algun Iuez ordinario, ù delegado, ò Assessor, huvieren recibido algun dinero, ù otra cosa, por dar mala, ò injusta sentencia, ò por dilatar la causa en perjuizio de la parte, ò por hazer algun agravio, ù otra cosa, que no devan, en tal caso se pueden, y deven componer de lo que assi recibieron: quedando à salvo el daño, que la parte recibió, para que se satisfaga.* Circa quod resolvitur.

1. In opinione plurium asserentium non debere restitui id, quod pro actione turpi, aut iniustâ acceptum est, quando tale obsequium non est debitum ei, qui solvit, & aliàs id obsequium est pretio æstimabile, nullum istorum Iudicum, qui in re malâ perpetratâ peccaverunt, teneri ad compositionem pretij pro re malâ perpetratâ: In opinione verò tutiori asserentium contrarium; teneri si non restituunt, componi per Bullas, Quod observandum est in sequentibus *B*ullæ casibus, huic similibus.

2. Idem, quod dicitur de Iudicibus, qui reverà sunt Iudices, debere intelligi de quibuscumque potentibus sententiam ferre pro officio, aut subdelegatione, aut partium consensu.

3. Damnum, quod parti intulerunt, ipsos non posse componere per *B*ullas, sed teneri restituere, etiam dato casu, quod non deberent restituere id, quod pro iniustâ sententiâ acceperunt.

6. Casus. *Iten, que si algun Abogado recibió alguna cosa, por abogar en causa injusta, sabiendolo su parte se puede dello componer: pero à la parte à quien perjudicó, á de hazer satisfacion del daño.*

Circa hunc casum resolvitur idem, quod in resolutione primâ, & tertiâ præteriti casûs. Vltra notandum est: Quod si pars, quam defendit Advocatus nescit causam suam esse iniustam, iuraque pro se trahi violenta, tunc Advocatus restituere tenetur parti id, quod pro patrocinandâ causâ accepit, & damna, siqua parti orta fuerunt ex susceptione talis causæ.

ARTICVLVS II.

De sex alijs casibus, qui ponuntur in Bulla.

7. Casus. *Iten, que si algun Testigo, por testificar falso, ò algun Fiscal, ò Acusadór, por acusár à alguno falsamente, ù dexarle de acusar siendo obligado de acusarle, recibió alguna cosa se puede componer de lo que assi recibió, y ha de satisfacer à la parte à quien perjudicò.*

8. Casus. *Iten, los Oficiales, Escrivanos, Notarios, ò Secretarios, que por hazer algo injustamente en su oficio recibieron alguna cosa, se puedan dello componer, pero à las partes á quien perjudicaron han de hazer satisfacion del daño.*

Hi duo casus 7. Scilicet, & 8. coincidunt cum casibus 5. & 6. supradictis Iudicis, & Advocati, & ita eâdem regulâ vtendum est.

9. Casus. *Iten, se pueden componér todos los Iuezes Seculares, y los Ecclesiasticos en causas temporales, de lo que por razon de administrár la justicia, que devian à las partes conforme á derecho, huvieron recibido, assi dineros, como en otra especie.*

Dicitur. 1. *en causas temporales.* Quia est simonia accipere quidquam pro causis spiritualibus, & etiam est simonia, id per *B*ullas componere. Et quamvis advertat Trullench. Pontificem dumtaxat prohibere compositionem, & dispensationem in simoniâ incursâ ratione *B*eneficij, Apostasiæ, Hæresis, Homicidij, aut Ordinum non ritè acceptorum; inde tamen, tantummodo infertur: Commissarium habere potestatem ad componendum pretium acceptum in alijs simonijs; non verò, quòd hoc pretium possit componi per *B*ullas, siquidem hæc non conceduntur, nisi vt componatur id, quod pro causis temporalibus susceptum est.

Dicitur. 2. *Por razon de administrar la justicia.* Quia nō potest Iudex pro iustitiâ administrādâ stipendium accipere, neque pretium; siquidem pro eius administratione salarium accipit, quod bis solveretur, si vltra id, pretium acciperet. *Vndè resolvitur.*

1. Quòd in casibus, in quibus Doctores, probabiliter excusant Iudicem à restitutione, non tenetur Iudex ad compositionem pretij accepti pro administratione officij sui, si ipse Iudex horum Doctorum sequitur opinionem; contraria verò pars, securior est.

2. Quòd, quando litigans dedit Iudici aliquid pro redimendâ vexatione, quia aliàs Iudex non ferret sententiam iustam pro eo, tenetur Iudex acceptum restituere litiganti, in quo negotio non datur compositionis locus. Hæc est, omnium sententia communis.

3. Quòd, quando litigans dat bonâ fide aliquid Iudici, vel quia putat se teneri dare, vel quia ad dandum cogitur, debet Iudex restituere ipsi litiganti, quin habeat in hac causa locum compositio.

4. Quòd, quando litigans dat aliquid animo corrumpendi Iudicem, & attrahendi illum, vt pro se ferat sententiam, quia putat litigans iura pro se in tali negotio non stare, quamvis in rei veritate favorabilis sententia sibi debeatur; tunc Iudex agnoscens se ferre sententiam iustam, & debitam in favorem litigantis, non potest retinere sibi id quod accepit, sed tenetur restituere ipsi litiganti, antequam exequatur actionem pro qua pretium accepit; sed post actionem iam exequutam tenetur restituere pauperibus; in quo casu, compositio per Bullam habet locum. Quia quando litigans intendit corrumpere Iudicem muneribus, aut stipendio, consentit tunc in transferendo dominio munerum pro ferendâ in suum favorem sententiâ, & non aliter; ergo datâ in favorem sententiâ, quę est conditio posita, litigans carec iam titulo, & iure, vt restituantur sibi munera, quæ dedit, quia iam se dominio illo abdicavit. Ex aliâ parte non potest Iudex id, quod accepit retinere, quia cognoscit datum fuisse sibi pro eo ipso, quod ipse tenebatur facere, nempè pro ferendâ sententiâ iustâ, & debitâ, ergo tenetur retribuere pauperibus, & consequenter potest id per *B*ullas componere. Tolet. Fag. Mald. Navar. Salon, Lessius, Villalob. Trull. quos citat, & seq. Mend. *d.* 14. *nu.* 138.

10. Casus. *Iten, se pueden componer los Escrivanos, Notarios, y Secretarios y los otros Oficiales de justicia, que huvieren recebido, y llevado derechos demasiados por razon de sus oficios, contra las leyes, y ordenanças, que les estàn dadas, no sabiendo*

sabiendo las personas á quien se deven restituir. Circa quod resolvitur.

Quód in tutiore opinione, lex, quæ taxat stipendium pro quolibet instrumento solvendum, non solum est pœnalis, sed etiam absoluta, & obligans in conscientia, itaque debent Notarij restituere id, quod vltra legis taxationem accipiunt; præcipuè si ad taxationis legem se staturos cum iuramento promiserunt; sed si ignoratur cuinam iniuria illata sit, poterunt per *B*ullas id, quod vltra taxationem acceperunt, componere. Non tamen caret probabilitate contraria opinio nempè legẽ illam esse tantummodò pœnalem, & ita non obligare in conscientia, & consequenter non teneri restituere, neque componere id, quod acceperunt vltra taxam, nisi forcè excederet iustum laboris pretium, quia tunc tenerentur restituere, quamvis lex non adesset.

11. Casus. *Iten, que si alguno, injusta, ò indevidamente, por rogar, y favorecer que no se haga justicia, ò que suelten aquel, que justamente estava preso por delitos, llevò dineros, ù otras cosas algunas, se podrà componer en lo que assi llevó satisfaciendo el daño de la parte, à quien se hizo el agravio.*

Hic casus ponitur, supponendo, id quod accipitur pro causa iniusta, aut turpi restituendum esse pauperibus, qui verò adhæserit opinioni contrariæ, excusanti à restitutione, non eget compositione, vt dictum est. Hic adverto: Quòd si sequatur parti contrariæ damnum, non solùm debet accipiens, satisfacere tale damnum; sed etiam is qui largitus est aliquid pro illâ intercessione iniustâ, quia tam agens, quàm intercedens, ad damnum concurrerunt.

12. Casus. *Iten se pueden componer de lo que por juegos fueren obligados à restituir à pobres: pero aviendo intervenido engaño en ellos, ó ganado à personas que no pudiessen enagenar lo que perdieron, no se pueden componer: y sabiendo á quien selo ganaron, son obligados à selo restituir, y no lo sabiendo se pueden componer en este caso, como en el de arriba.*

Vide Dubium 13. *tractatus* 5. *libri* 3. vbi agitur de ludo, & de casibus, in quibus malè parta per ludum, restitui debent; in quibus casibus locum habet compositio quando ignoratur, cuinam fieri debeat restitutio.

ARTICVLVS III.

De sex vltimis casibus, qui ponuntur in Bulla.

13. Casus. *Iten, si alguno, dissimulando en si lo que no ay en èl, ù otra cosa semejante, de lo que en este color huviere recibido, se puede componer. Y el que pide limosna fingiendo ser pobre, no lo siendo, de lo que por esta causa huviere recibido se puede componer, no sabiendo en ambos estos casos, à quien como dicho es, se deve restituir.* Hinc resolvitur.

1. Adquisitum per eleemosynam, fictâ paupertate, posse per Bullas componi, quamvis sciatur, quisnam tales eleemosynas erogaverit; quia est multorum opinio; hanc restitutionem non deberi nisi pauperibus, quia erogantes tales eleemosynas intendunt erogare illas Christo in pauperibus ad levandas illorum miserias, & ita eleemosynarum dominium transfertur in pauperes. Et quando Commissarius coarctationem illam

illam assignat: *No sabiendo à quien se deve restituir.* Loquitur Commissarius in opinione asserentium deberi eleemosynas restitui ipsius, qui eas erogaverunt, quando paupertate fictâ acceptę sunt. Trul. Henriq. Navar. Villal. & alij quos citat Mendo *nu.* 169.

2. Quod adquisitum fuit fictione aliâ, v.g. Consanguinitatis, Sanctitatis &c. si scitur, cuinam debeat restitui, non posse per Bullas componi, benè tamen si nescitur.

3. Si id, quod fingitur, non fuit plusquàm impulsiva causa, vt aliquis erogaret, non esse opus compositione; quia non est obligatio restituendi; quòd si accipiens, cum fictione fuit causa motiva, vt alter erogaret, tenetur restituere, & si ignoravit personam, potest componere. Impulsiva causa est illa, quę inclinat ad aliquid dandum, vel faciendum, sed ita inclinat, vt daretur, vel fieret etiamsi talis causa impulsiva non adesset; motiva est illa causa sine qua, nec daretur, nec fieret.

14. Casus. *Iten en todas las cosas, que alguno huviere hallado, hecha primero suficiente diligencia, no pareciendo sus dueños, ni à quien competen de ser restituidas, se puede componer.*

In hoc casu loquitur Bulla in opinione asserentium, non posse quemquam inventa bona retinere sibi, post inquisitum diligenter, & non inventum Dominum; sed iam supra diximus, contrariam opinionem, esse probabilem, & tutam, neque in illa opus esse compositione. Circa bona verò naufragantium standum est iuris, & *Bullę In Cœna Domini* dispositionibus.

15. Casus. *Iten, el que tuviere alguna, ò algunas cosas en su poder, de persona, ò personas, que no pueden ser havidas para restituirselo, haviendose para ello hecho la devida diligencia necessaria, se podrá componer de lo que aquello montare.*

Potest quis habere aliqua bona alterius pro diversis titulis, v.g. Commendationis, Mutui, Oppignorationis, Depositi aut alicuius alterius contractûs, in quo dominium non transfertur. De istis igitur bonis potest fieri compositio, non comparente Domino, cui restituenda sint, nec habitâ spe illum inveniendi.

Hic advertendum est: Id quod quis habet in Deposito iudiciali, quod vocatur *Sequestratio* teneri reddere illi, quem Iudex assignaverit, nec habentem posse auctoritate suâ decernere cuinam illa bona reddenda sint, neque etiam ex eius arbitrio dependet inquirere, neque curare de inveniendo Domino. Et si Iudex assignaverit Dominum, & talis Dominus non inveniatur, tenetur Depositarius tradere depositum Iudici, vt ipse decernat de deposito, quid sit faciendum sed si Iudex postquam assignavit Dominum, & officium suum explevit, non reperit depositum, sed committit Depositario curam restituendi illud, iam tunc depositum remanet in potestate Depositarij, tanquam si Dominus ipse commendavisset; & tunc si Dominus non compareat, habet locum compositio.

16. Casus: *Iten, se pueden componer de los daños que se ayan hecho andando à caça, con sus ganados, ù de otra manera, assi en los panes, y viñas, como en otros qualesquier heredamientos, no sabiendo à quien se ha hecho el daño.* Casus hic, per se pater.

17. Casus: *Iten, todas las mugeres, que no son publicamente deshonestas, se pueden componer, de qualquier dinero, ù joyas*

joyas, que por causa fea huvieren recibido; y los hombres si de mugeres, que no tienen maridos, se pueden componer por la mesma razon.

Hic casus loquitur in opinione paucorum asserentium non posse fœminas, quæ in occulto turpiter vivunt accipere, nec retinere pro turpitudine pretium; sed cum probabilius sit, posse, non egent compositione. Quod idem dico de viris, sed si tam isti, quàm illæ acciperent pretium ab eo, qui non potest talia bona alienare, tenentur restituere, neque componere possunt, nisi Dominus, cui facienda esset restitutio ignoraretur.

18. Casus: *Iten, si alguno ha vendido vino aguado por puro, ò medido con falsa medida, ò huviere vendido alguna otra cosa con menores pesos, ò medidas, ò vendido vna cosa por otra, ò mezclado, ò pesado, ò mal medido, no sabiendo à quien se huviere vendido, se pueden componer.*

Casus hic est latissimus, & in tractatu de Restitutione videndum est, quando ob dictas, & similes fraudes teneatur quis restituere, & quando excusari possit. Quando verò restituere tenetur, poterit componi si certus Dominus ignoretur.

ARTICVLVS IV.

Conclusio huius Bullæ.

Concludit ita Bullam Commissarius Generalis: *En los casos, y cosas que aqui particularmente no van expressados, atento que la facultad, y comission à Nos dada, y concedida por su Santidad, es general, y comprehende, otras mas cosas, en que se puede hazer la dicha composicion lo remitimos al arbitrio de los Confessores, para que ellos como Medicos espirituales, digan, y declaren à sus penitentes de todo lo que en virtud de esta Bulla, y facultad Apostolica se podrá componer, para el descanso, y satisfaccion de sus almas, y conciencia, demás de los casos en esta Bulla declarados.*

Longum esset discurrere per cuncta officia, artes, & facultates, vt diceremus casus, in quibus teneantur restituere, & componere, per Bullas, hi, qui tales artes, & officia exercent. De hac materiâ tractant Mend. *disp.* 35. Ioannes Machado *tom.* 2. *de Perfect. Confess.* Petrus de Oñate *tom. de contract.* qui omnes eruditissimè.

Vt regulam propono: Cunctos professores artium, tam liberalium, quàm mechanicarum; hos etiam, qui Reipublicæ habent officia, Mercatores, & eos qui quodcumque genus contractuum exercent, posse componi per Bullas, & eximi ab obligatione restituendi, pro defectibus in obligatione suarum professionum, aut negotiorum, si ignorent cuinam debeatur restitutio, nec ipsi iniustè processerint in fiduciâ accipiendæ Bullæ. Et ita in qualibet professione debent hæc duo puncta disquiri.

Solùm hìc libet advertere, de quibusnam redditibus Ecclesiasticis possit fieri compositio, & de quibus non possit, quando redditus tenentur restitui alio titulo, quàm ob officium non recitatum, quia de hoc iam sermo habitus est. *Circa quod resolvitur.*

1. Episcopum, & Parochum quando defuerunt residentiæ sine causis, quas assignat Trid. *sess.* 23. *de Reform. c.* 1. & quando vltra tempus indultum ibi defuerunt, non posse percipere fructus, neque

neque componi pro ijs, quia ibidem prohibet Concilium ipsam compositionem, neque Bulla derogat prohibitioni.

2. Ecclesiasticos non assistentes Ecclesiæ, non posse percipere distributiones, neque componi pro his; quia hæ habent Dominum, cui debeant restitui, nempe assistentes. Ita sentiunt Expositores Bullæ.

3. Omnes Ecclesiasticos non habentes curam animarum posse componi pro fructibus restitutioni obnoxijs, ob defectum residentiæ, nisi hi fructus debeantur residentibus, quia tunc nequit fieri compositio.

4. Posse componi per Bullas, vel cum ipso Commissario fructus malè perceptos, aut ex eo, quòd quis non obtinuerit Canonicè beneficium, aut quòd incurrerit in censuras post beneficij possessionem, quando isti fructus sic malè percepti debentur Ecclesiæ, aut pauperibus; quia Pontifex potest istos fructus tunc componere, aut per Bullas, aut cum ipso Commissario, vt Administrator ipsorum bonorum, & ita concedit.

Dixi: *Quando debentur Ecclesiæ, aut pauperibus.* Quia si iuxta consuetudinem, & statum deberentur successori, non possent componi; sed si faceret sibi revalidari titulum beneficij, qui illud possidet invalidè, tunc nihil teneretur restituere, quia in hoc casu, ipse est successor beneficij respectu vltimi possessoris. Ita Mendo *d.* 34. *num.* 42. *vsque ad.* 47.

Quæritur 1. *An dilatio componendi se per Bullas, & quanta, sit peccatum mortale?*

Respondetur: Illam dilationem, quæ in restituendo foret peccatum mortale, futuram etiam mortale peccatum in componendo, quando quis habet bona incerti Domini, & intendit componere per Bullam, & quandoque dilatio minor erit peccatum mortale; quia sæpè impossibilitas, aut difficultas, magna restituendi excusat à restitutione prompta, quæ impossibilitas, aut difficultas non poterit à compositione excusare, cum possit parvâ quantitate fieri.

Quæritur 2. *An qui non habet vnde pro integro restituat, habet tamen, vnde per Bullas componatur, teneatur accipere Bullas in casibus, quibus per Bullas possit satisfacere?*

Resp. Videri obligatum esse; quia debet restituere eo modo, quo potest: Probabilior est tamen contraria opinio, quia compositio est privilegium, & nullus tenetur vti privilegio, vt restituere cogatur.

Quæritur 3. *An possit componi per Bullas qui accepit eleemosynam pro celebrandis Missis, & non recordatur à quo accepit, vel cui debet applicare?*

Respondetur negativè: Iste autem satisfacit offerendo sacrificium pro his, qui eleemosynas erogaverunt. Mendo *cum alijs d.* 35. *nu.* 31.

CAPVT III.

De Bulla Defunctorum.

IN hac Bullâ, quam format Commissarius Generalis, ex vnâ clausulâ Latinæ, concedit Pontifex Indulgentiam plenariam per modum suffragij in favorem Animę cui applicatur ista Bulla, & pro quâ, taxata erogatur eleemosyna.

[*.*]

Universidad de Deusto Biblioteca

DVBIVM I.

De Indulgentia plenaria, quę per Bullam conceditur Animæ in Purgatorio patienti.

POntificem posse concedere Indulgentias, tam in favorem vivorum, quam defunctorum est perspicuum, tum per Conciliorum definitiones, tum per continuatam concedendi praxim; sed vivis concedit, vt subditis adhuc suis, per modum absolutionis; defunctis verò vtpotè iam extra iurisdictionem eius existentibus, per modum suffragij, tribuens ex Ecclesiæ Thesauro, cuius opes ipse dispensat, quando indulgentiam plenariam concedit, id quod sufficit, vt pro integro solvatur debitum pœnæ, quod Anima illa tenebatur pro culpa in Purgatorio pati; itaque suffragium est subsidium, aut auxilium quod illi tribuitur, vt solvat in parte, vel in toto, & eripiatur à pœnis, quas patitur.

Quæritur 1. An infallibiliter indulgentia plenaria Bullæ lucretur Animæ pro qua offertur?

Respondetur affirmativè: Concurrentibus cunctis ad applicationem requisitis.

Quæritur 2. Quandonam huius indulgentiæ beneficio fruatur Anima?

Respondetur: Tunc, quando erogans eleemosynam taxatam pro Bullâ applicat illi suffragium. Communiter fideles applicant hoc suffragium, vbi primùm Bullam accipiunt; sed possunt non statim applicare, præsertim si se extra statum gratiæ senserint; quia quamvis; speculativè loquendo, non sit opus statu gratiæ in applicante, vt Animæ prosit indulgentia; qui tamen tutiorem semitam cupit sequi, differet prudentiùs applicationem, quoad se in statum gratiæ restituat.

Quæritur 3. An sit vtile accipere vltra vnam vicem Bullam pro vna Anima?

Respondetur affirmativè: Quia contingens est quandoque deesse requisitum aliquod, quo deficiente non habeat indulgentia effectum; itaque conducit accipere sæpiùs Bullam pro eâdem Animâ, vt si semel, aut sæpiùs defuit requisitum aliquod, supleatur per aliam Bullam. Singulis annis non possunt vltra duas Bullas pro eadem Animâ accipi; duæ tamen singulis annis accipi possunt.

Quęritur 4. An quando quis accipit Bullam defunctorum, possit determinationem relinquere Deo, vt ipse eligat Animam, quam voluerit, cui applicetur indulgentia?

Respondetur negativè. Mend. *d. 36. num. 2.*

Quæritur 5. An possit accipi Bulla pro pluribus Animabus, aut pro omnibus, vt inter eas dividatur indulgentia, perquam Anima vna poterat à pœnis eripi?

Respondetur affirmativè. Ratio est, quia, qui accipit hoc summarium potest, quidquid illi, qui vadunt, vel mittunt ad bellum contra infideles; illis, conceditur, quod possint applicare indulgentiam Animabus Purgatorij per modum suffragij, quin coarctetur vt vni tantùm applicent; (quamvis communiter fidelium praxis vni applicet); ergo, & ille poterit pluribus applicare.

(***)

DV-

DVBIVM II.

De alijs difficultatibut circa Bullam.

QVæritur 1. *An sit necessarium quòd sit in statu gratiæ ille, qui applicat suffragium huius Bullæ, aut aliam quamlibet indulgentiam defunctis, vt eis prosit?*

Respond. 1. Quoad hanc Bullam supponere communiter Auctores, vt videre licet in Trull. *lib. 4. dub. 10.* prodesse Bullam defuncto, quamvis accipiens, & applicans ei non sit in gratiâ; quia Pontifex ex opere operato aplicat ex Thesauro Ecclesiæ hanc indulgentiam per modum suffragij, apponendo pro conditione, solùm vt taxata eleemosyna erogetur, quòd potest facere peccator, neque ideò privabit Animam defuncti applicatione Thesauri, quemadmodum qui erogat eleemosynam per manum servi, aut Eleemosynatij peccatoris, non privatur merito, & præmio eleemosynæ.

Resp. 2. Quoad aliam quamcumque indulgentiam, quæ defunctis applicatur per modum suffragij, quamvis Caietanus cum alijs senserit, applicantem debere esse in statu gratiæ, vt prosit illi, cui applicatur, opinionem tamen contrariam esse probabiliorem, & communiorem. Ratio est; quia status gratiæ, tantùm requiritur in indulgentia ad tollendum obicem, & vt possit recipi gratiæ effectus, qui est relaxare pœnam debitam pro culpâ, quæ pœna non potest relaxari illi, cui non est dimissa culpa per gratiam; ergo sufficit esse in gratiâ illum, qui recepturus est effectum Indulgentiæ, nempè Animam in Purgatorio existentem; non verò applicantem Mend. *d. 36. nu. 12. vbi* citat plures.

Quæritur 2. Quænam eleemosyna taxata sit pro defunctorum Bullâ?

Respondetur. Quòd extra Indias eleemosyna est duorum argenteorum; apud Indos verò pro Hispanis defunctis argenteorum quatuor; pro Indis verò, nigris, Hispanis pauperibus, servis, Religiosis, vtriusque sexûs, argenteorum duorum.

CAPVT IV.

De facultatibus Commissarij Generalis Cruciatæ.

SPeciales facultates, quas habet Commissarius Generalis à Pontifice, non circumferuntur Hispanico sermone, sed Latino, & Brevibus quibusdam in favorem Commissarij, hæ pertinent partim ad animarum salutem, partim ad bonam subsidij Cruciatæ expeditionem. Quæ magis è re fuerint, eas in hoc capite ventilabimus.

DVBIVM I.

De facultatibus in ordine ad bonam Bullæ expeditionem.

QVæritur 1. *Quamnam facultatem habeat Commissarius, vt procedat contra delinquentes in Cruciatam?*

Respondetur. Posse procedere contra illos, ijsdem penis, quibus quælibet Ecclesiastica iurisdictio, vsque ad relaxandum delinquentes sæculari bracchio, si pœnâ capitali iudicarit dignos.

Quæritur 2. Quinam putentur in Cruciatam delinquere?

Respondetur: Impedientes, aut detinen-

Universidad de Deusto Biblioteca

tinentes promulgationnem Bullæ, rapientes, aut occultantes bona ad Cruciatam pertinentia; opponentes se privilegijs ministrorum Cruciatæ; remorantes, aut malitiosè percutientes eos, qui ad bellum contra infideles vadunt, ne vadant, & alios similes: Inter eos autem, qui ad bellum pergunt, non sunt numerandi, qui pro stipendio pugnant, nisi sint pauperes, & eant substituti, & missi ab alijs in Cruciatę subsidium; quia hi, qui vadunt pro stipendio, si non sint pauperes, non gaudent *Bullæ* privilegijs.

Quæritur 3. An pœnæ pecuniariæ quas imponit Commissarius, debeant pro integro Cruciatæ applicari?

Respondetur affirmativè.

Quæritur 4. An pœnæ impositæ ab Ordinarijs pro quocumque delicto, debeant applicari Cruciatæ?

Respondetur: Olim omnes pœnas applicandas fuisse, nunc verò dimidium earum; præcipiturque Ordinarijs in virtute sanctæ obedientiæ, vt applicent eas Ordinariorumque dictis standum est quoad earum quantitatem; quoad fidelitatem verò Pontifex onerat Ordinariorum conscientias, committitque Commissario, vt inquirat, an fideles se gerant; & vt possit ad fidelitatem compellere.

Quæritur 5. Quosnam Officiales possit commissarius Generalis eligere?

Respondetur: In omnibus Provincijs posse eligere Commissarios, subdelegando eis in toto, vel in parte suam iurisdictionem; & Notarios ad quidquid in hoc negotio se obtulerit: sed tam Commissarios, quàm Notarios approbaturus est Ordinarius prudenti iudicio; potest etiam compellere quoscumque Notarios, vt exhibeant chirographa ad hoc negotium pertinentia. Commissarius autem Generalis non potest cogi, vt compareat coram alio Iudice, quàm Pontifice; neque Commissarij, & Notarij subdelegati coram alio, quàm Commissario Generali in rebus ad Cruciatam spectantibus dum eis attendunt: quamvis hos possint punire Ordinarij locorum, in quibus delinquunt in materia, quæ ad Cruciatam non pertineat.

Quæritur 6. Quamnam potestatem habeat Commissarius in recolligendis Cruciatæ bonis?

Respondetur: Posse admonere omnes habentes bona Cruciatæ, chirographa, aut instrumenta pertinentia primariò, aut secundariò ad Cruciatam, vt manifestent Commissario, aut alteri personæ ab eo deputatæ statim ac possint, sub pœnis pecuniarijs in subsidium Cruciatæ adiudicandis; Episcopos verò, & alios Prælatos, sub pœna suspensionis, & interdicti ab Ecclesia ingressûs, reliquos verò sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ex qua solus Pontifex possit absolvere; qui autem aliquid bonorum, quæ diximus scienter retinuerit, non poterit beneficio, neque gratijs gaudere *Bullæ*.

Aliæ facultates, quas habet Commissarius quoad expeditionem Bullæ, vel inferuntur sufficienter ex ipsâ Bullâ, vel iam in hoc libro tractatæ sunt.

DVBIVM II.

De facultatibus, quas habet quoad animarum salutem.

Quæritur 1. An possit in irregularitatibus dispensare?

Respondetur, affirmativè: Exceptis illis, quæ procedunt ex homicidio voluntario, simoniâ, apostasiâ á fide, hæresi, aut malâ Ordinum acceptione, aut ex celebratione Missæ, & aliorum divinorum officiorum, cùm quis censurâ esset ligatus, in contemptum clarum. Potest verò dispensare in reliquis, quæ procedunt, ex delicto, vt possint retinere beneficia, & percipere fructus eorum, delendo infamiam, & inhabilitatem, quę ab irregularitate proveniebat, & restituendo exercitia Ordinum non malè acceptorum.

Quæritur 2. In quanam forma possit in his irregularitatibus dispensare?

Respondetur. Quòd dispensando, & componendo simul, hoc est imponendo aliquam pœnam pecuniariam in subsidium Cruciatæ, quæ succedit pro pœna irregularitatis.

Quæritur 3. An hæc dispensatio, valeat in foro externo?

Respondetur: affirmativè: Quia Pontifex non coarctat facultatem Commissario ad forum tantùm internum.

Quæritur 4. An valeat quando delictum est publicum.

Respondetur affirmativè. Eâdem ratione.

Quæritur 5. An possit dispensare Commissarius in aliquo impedimento occulto matrimonij, postquam invalidè contractum est?

Respondetur: Posse dispensare in impedimento affinitatis ob fornicationem quoad primum, & secundum gradum, quod præcessit ad matrimonium, vt possit matrimonium revalidari; sed cum his limitationibus. 1. Vt contrahentes servaverint formam Concilij Tridentini. 2. Quòd ista dispensatio valeat solùm in foro conscientiæ; & ita Commissarius debeat talem dispensationem concedere verbo, aut scriptis, quæ tradantur Confessario, vt lecta, statim rumpat. 3. Quòd impedimentum sit occultum. 4. Quòd matrimonium sit iam contractum. 5. Quòd ex eius dissolutione timeantur gravia scandala, vt communiter timeri possunt. 6. Quòd vnus ex contrahentibus processerit bonâ fide imprudens impedimenti. 7. Quòd hic debeat fieri certior de nullitate primi consensûs. 8. Vt occultè iterùm contrahant novo consensu. Et non debet dici nullitatis causa illi, cui redditur, ratio nullitatis primi consensûs.

Quæritur 6. An si hoc impedimentum supervenit matrimonio, possit in eo Commissarius dispensare?

Respondetur: Posse dispensare, vt valeat petere debitum, qui contraxit impedimentum.

Quæritur 7. An possit Commissarius legitimare prolem, quæ nata est ex matrimonio, durante illo impedimento occulto, quo matrimonium contractum fuit?

Respondetur: Posse; quia etiam tribuitur illi hæc facultas. Et valet in opinione Doctorum hæc legitimatio ad actus spirituales, vt ad Ordinis, & Beneficia suspicienda; In opinione etiam Henriq. Trullench. & Mend. valet hæc legitimatio ad succedendum in bonis temporalibus Parentum; quia non coarctatur à Pontifice.

Quæritur 8. An possit Commissarius Generalis licentiam dare, vt erigatur Oratorium in privatis ædibus, & vt in eo celebretur Missa?

Universidad de Deusto Biblioteca

Respondetur: Posset si priùs visitatum fuerit ab Ordinario ipsum Oratorium. Quia ita affirmat Commissarius ipse in facultatibus suis, quas promulgari iubet; & vt advertit Ildephonsus de Lara, affirmatio Commissarij facit fidem, debetque illi adhiberi assensus.

Quæritur 9. An possit dare licentiam, vt celebretur Missa, & audiatur vna hora ante diem, & alia post meridiem, & quibus personis?

Respondetur: Posse dare hanc licentiam personis Nobilibus, & quas ille censuerit esse sufficientis qualitatis.

(†)
(IHS)

PROPO-

PROPOSITIONES QVAS ROMANI PONTIFICES ALEXANDER VII. INNOCENTIVS XI.

Et Novissimè.

ALEXANDER VIII.

IN SACRA GENERALI CONTRA HÆRETICAM pravitatem Congregatione damnarunt.

Propositiones, seu opiniones damnatæ ab Alexandro VII.

1 HOMO nullo vnquam tempore suę vitę tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2 Vir equęstris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3 Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hęresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de ocultis criminibus, sermo est, anno 1629. die 18. Julij in consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

4 Prelati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere, quoscumque sęculares

Universidad de Deusto Biblioteca

culares ab hæresi oculta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5 Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6 Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur solicitasse in Confessione; ac proinde non est denunciandus.

7 Modus evadendi obligationem denunciandæ solicitationis, est si solicitatus confiteatur cum solicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

8 Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Vrbani VIII.

9 Post decretum Vrbani VIII. potest Sacerdos, cum Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendij sibi retenta.

10 Non est contra iustitiam pro pluribus Sactificijs stipendium accipere, & sacrificium vnum oferre, neque etiam est contra fidelitatem, etiam si promittam promissione etiam iuramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11 Peccata in confessione omissa, seu oblita, ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12 Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13 Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo iniuste reprobato.

14 Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15 Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16 Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem Sacerdotem non aprobatum ab ordinario.

17 Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, vti supperere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel eius Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18 Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam iudicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19 Non peccat maritus occidens propria authoritate vxorem in adulterio deprehensam.

20 Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam iudicis, eo quod sit pœna.

21 Habens capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

22 Non est contra iustitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23 Fragens ieiunium Ecclesiæ, ad quod tenetur non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subijcere præcepto.

24 Mollicies, sodomia, & bestialitas, sunt peccata eiusdem speciei infimæ: ideoque sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem.

25 Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit præcepto Confessionis dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26 Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem vnius præ alio.

27 Si liber sit alicuius iunioris, & Moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, reiectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilē.

28 Populus non peccat, etiam si absque vlla causa non recipiat legem à principe promulgatam.

29 In die ieiunij, qui sępius modicum quid comedit: etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium.

30 Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione ieiunij, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum ieiunio.

31 Excusantur absolute à precepto ieiunij omnes illi, qui iter agunt equitando, vtcumque iter agant, etiam si iter necessarium non sit, & etiam si iter vnius diei conficiat.

32 Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadragessima obliget.

33 Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosinas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficij fecerit.

34 In die Palmarum recitans Officium Paschale, satisfacit præcepto.

35 Vnico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

36 Regulares possunt in foro conscientiæ vti privilegijs suis, quæ sunt expræssè revocata per Cōciliū Tridentinū.

37 Indulgentię concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38 Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ex necessitate sacrificanti cum peccato mortali, confitendi, quàmprimum, est Consilium non pręceptum.

39 Illa particula, quàmprimum, intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitetur.

40 Est probabilis opinio, quę dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus vlterioris, & pollutionis.

41 Non est obligandus concubinarius ad eijciendam, si hæc nimis vtilis esset ad oblectamentum concubinarij, vulgo, *regalo*, dum deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tœdio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficilè inveniretur.

42 Licitum est mutuanti, aliquid vltra sortem exigere, si se obligat ad non repetendam sortem vsque ad certum tempus.

Annum

Universidad de Deusto Biblioteca

43 Annuum legatum pro anima relictum, non durat plus quam per decem annos.

44 Quoad forum concientiæ, Reo correcto, eiusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45 Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retinineri vsque dum adhibita deligentia corrigantur.

Propositiones damnatæ ab Innocentio XI.

1 Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum vtendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2 Probabiliter existimo, Judicem posse iudicare iuxta opinionem, etiam minus probabilem.

3 Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo á probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4 Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita elicerei, condemnare non audemus.

6 Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquennijs per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solùm obligat, quando tenemur iustificari, & non habentes aliam viam, qua iustificari possumus.

8 Comedere, & bibere vsque ad satietatem ad solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9 Opus coniugij ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10 Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12 Vix in Sæcularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur ex superfluo statui.

13 Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14 Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem vt malum Patris, sed vt bonum cupientis, quia, nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15 Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias indè ex hæreditate consecutas.

16 Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.

17 Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18 Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, vt Deo & fidei gloriosum consulo; tacere, vt peccaminosum per se non damno.

19 Voluntas non potest efficere, vt assen-

assensus fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20 Hinc potest quis prudentur repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21 Assensus fidei supernaturalis, & vtilis ad salutem stat cum noticia solum probabili revelationis; immò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22 Non nisi fides vnius Dei necessaria videtur necessitate medij, non autem explicita Remuneratoris.

23 Fides latè dicta ex Testimonio Creaturarum, similivè motivo ad iustificationem sufficit.

24 Vocare Deum in Testem mendacij levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25 Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26 Si quis, vel solus, vel coram alijs, sive interrogatus, sive propria sponte, sive creationis causa, sive quocumque alio fine iuret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec est perjurus.

27 Causa iusta vtendi his amphibologijs est, quoties id necessarium, aut vtile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita vt veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

28 Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum vel Officiũ publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare iuramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29 Vrgens metus gravis est causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi.

30 Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31 Regulariter occidere possum furem pro conservatione vnius aurei.

32 Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus; sed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33 Licitum est tam heredi, quam legatario contra iniustè impedientem, ne vel hereditas, adeatur, vel legata solvantur se taliter defendere, sicut & ius habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem iniustè impedientem.

34 Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35 Videtur probabile omnem fœtum, quandiu in vtero est carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36 Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

Famu-

37 Famuli, & famulæ domesticæ, possunt ocultè hæris suis subripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.

38 Non tenetur quis sub pena peccati mortalis restituere, quod abblatum est per panca furta, quamtumcumque sit magna totalis.

39 Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40 Contractus Mohatra licitus est etiam respectu eiusdem personæ, & cum contractu retro venditionis præviè inito, cùm intentione lucri.

41 Cùm numerata pecunia prætiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid vltra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vsura excusari.

42 Vsura non est, dum vltra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tanquam ex iustitia debitum.

43 Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere.

44 Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, vt suam iustitiam, & honorem defendat. Etsi hoc non sit probabile, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia.

45 Dare temporale pro spirituali non est simonia; quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

46 Et id quoque locum habet etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo etiam si sit finis rei spiritualis; sic vt illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47 Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles, ipsi iudicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium, vel primo videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundò, locutione minus propria ponit digniores, vt excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48 Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdictam, vt contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49 Mollities iure naturæ prohibita non est. Vndé si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, aliquando obligatoria sub mortali.

50 Copula cum coniugata consentiente marito non est adulterium; adeòque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51 Famulus, qui, submissis humeris, scienter adiuvat hærum suum ascendere per fenestras ad strupandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile operando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

Præcep-

32 Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, sepposito scandalo, si absit contemptus.

53 Satisfacit Præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, immo quatuor simul à diversis Celebrantibus audit.

54 Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.

55 Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56 Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57 Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò honestam.

58 Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.

59 Licet Sacramentaliter absolverè dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis, v.g. potest contingere in die magnæ alicuius festivitatis, aut Indulgentiæ.

60 Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, & si emendationis spes nulla appareat, nec est negenda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.

61 Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimo, directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62 Proxima occasio peccandi non est fugienda, quandò causa aliqua vtilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63 Licitum est quærere directe occasionē proximā peccandi pro bono spirituali, vel tēporali nostro, vel proximi.

64 Absolutionis capax est homo quantumvis laboraret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiam si per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium Santissimę Trinitatis, & Incarnationis D.N. Jesv Christi.

65 Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

Propositiones seu opiniones damnatæ ab Alexandro VIII. decreto edito die 24. Augusti. Anno 1690.

1 BOnitas obiectiva consistit in convenientia obiecti cum natura rationali: Formalis verò in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, vt actus moralis tendat in finem vltimum interpretativè. *Hunc Homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suę moralis.*

2. Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale est transgressio libera Divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æternā pœnā dignum.

Aliæ Propositiones, seu opiniones damnatę ab Alexandro VIII. decreto edito die 17. Decembris. Anno 1690.

1 In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum

fiat

fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

2 Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturæ, hæc in statu naturæ lapsę operantem ex ipsa, non excusat à peccato formali.

3 Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

4 Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus, & solis Fidelibus.

5 Pagani, Judæi, Hæretici, alijque huius generis nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum, adeoque hinc rectè inferes in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti.

6 Gratia sufficiens statui nostro, non tám vtilis, quam perniciosa est, sic vt proindè meritò possimus petere, à gratia sufficienti *Libera nos Domine.*

7 Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi, si Dei, Charitas Patris est, si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.

8 Necesse est infidelem in omni opere peccare.

9 Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob eius turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine vllo ad Deum offensum respectu.

10 Intentio qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè vt Cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11 Omne quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12 Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamsi videantur credere, non est Fides Divina, sed humana.

13 Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.

14 Timor gehennę non est supernaturalis.

15 Attritio, quæ gehennę, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentię Dei, propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16 Ordinem premittendi satisfactionem absolutioni, induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio naturæ rei id ipsum quodam modo dictante.

17 Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

18 Consuetudo moderna, quoad administrationem sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro vsu, sed abusu.

19 Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20 Confessiones apud Religiosos factæ, pleræquè, vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21 Parochianus potest suspicari de mendicantibus qui eleemosynis communibus vivunt, de imponendo nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione, ob quęstum, seu lucrum subsidij temporalis.

22 Sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23 Similitèr arcendi sunt à sacra Communione quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

Obla-

24 Oblatio in Templo quæ fiebat à B. V. M. in die purificationis suę, per duos pullos columbarum, vnum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testantur, quod indiguerit purificatione, & quod filius qui offerebatur, etiam macula matris maculatus esset secundum verba legis.

25 Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.

26 Laus, quæ defertur Mariæ, vt Mariæ, vana est.

27 Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *in nomine Patris, &c.* prætermissis illis: *Ego te baptizo.*

28 Valet baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamquè baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit: *non intendo, quod facit Ecclesia.*

29 Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium, Oecumenicum authoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis, infallibilitate.

30 Vbi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad vllam Pontificis bullam.

31 Bulla Vrbani VIII. in eminenti, est subreptitia.

CONSTITVTIONVM APOSTOLICARVM SERIES CONTINENS CASVS QVOS SVMMI PONTIFICES SANTO TRIbunali Inquisitionis Reservarunt.

IVLII III. Constit. II. incip. *licet à diversis.* Contra impedientes Inquisitores, hereticæ pravitatis in eorum officio, aut in causis Inquisitionis se ingerentes, eorumque complices; & fautores. Et contra ipsos Inquisitores admittentes laicos ad criminis hæresis cognitionem.

Et Pij V. Constit. 82. incip. *si de protegendis.* Contra occidentes, verberantes, dejicientes aut perterrefaciētes quemvis ex Ministris Sanctissimi Officij Inquisitionis, vel Episcoporum id munus in sua Diœcesi, vel Provincia, obeuntium, seu accusatorem denuntiatorem, aut testem in causa fidei quomodocumque productum vel evocatum: necnon contra diripientes, expugnantes, invadentes, incendentes, expilantes, aliovè exportantes alicuius prædictorum bona, libros, litteras, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, aliavè instrumenta, sivè publica, sivè privata, vbicumque posita, eorúmque complices, & fautores, & contra effringentes carcerem, vel custodiam publicam, vel privatam, extrahentes, vel emittentes vinctum, prohibentes capiendum, captumvè eripientes, recipientes, occul-

tan-

tantes, seu facultatem effugienti dantes, seu id fieri iubentes, eorúmq; complices, & fautores, etiam effectu non sequuto nullatenus excusandos nisi claras tantummodo probationes in contrarium adducentes, & contra intercedentes pro præfatis delinquentibus: Inflictis contra quemlibet prædictorum pœnis, quæ damnatis ex primo capite legis Iuliæ Maiestatis, eorúmque filijs irrogantur, & oblata relevantibus impunitate.

PII IV. Constit. 31. incipit. *Cum sicut nuper*. Contra Sacerdotes, qui Pœnitentes Mulieres in actu Sacramentalis confessionis ad inhonestos actus provocare, & allicere tentant, & sollicitant. Et Gregorij XV. Constit. 34. incipit. *Vniversi Dominici gregis*, ampliativæ circa huius criminis probationes, & extensivè contra Confessarios, qui personas (quæcumque illæ sunt) ad inhonesta, sivè inter se, sivè cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confessionis, sivè ante sivè post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis, vel extra occasionem confessionis in confessionarium, aut alio in loco ad audiendam confessionem electo, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sivè tractatus habuerint. Et contra Confessarios non monentes eos, quos sciunt ab alijs Confessarijs sollicitatos esse, vt Inquisitoribus, vel Ordinarijs, sollicitantes denuncient, vel docentes eos ad ita denuntiandum non teneri.

GREGORII XIII. Constit. 21. incipit. *Officij nostri partes*. De jurisdictione Inquisitorum hæreticæ pravitatis in eos, qui ad ordines Presbyteratus non promoti, Missas celebrant, & Sacramentaliter confessiones audiunt. Clementis VIII. Constit. 81. incipit. *Et si alias*. Declaratoriæ pœnæ, contra eos infligendæ per Iudices laicos, prævia eorum degradatione. Et Sanctitatis suæ Constit. 79. incipit. *Apostolatus Officium* extensivè ad minores viginti quinque annis, dummodo vigesimum ætatis annum compleverunt.

SIXTI V. Constit. 17. incipit. *Cœli, & terræ Creator*. Contra exercentes artem Astrologiæ iudiciariæ, & alia quæcumque Divinationum genera, librosvè harum artium legentes, vel tenentes. Et Vrbani VIII. Constit. 113. incipit. *Inscrutabili Iudiciorum Dei*, extensivè ad alia, & cum gravioribus pœnis.

CLEMENTIS VIII. Constit. 42. incip. *Cùm sicut*. Contra Italos, ne extra Italiam proficiscantur ad loca in quibus liber, & publicus cultus, sive vsus Catholicæ Religionis non existant, minúsque in eis locis habitent. Et Gregorij XV. Constit. 28. incipit. *Romani Pontificis*, contra hæreticos, nè in locis Italiæ, & insularum adjacentium quovis prætextu commorentur, & contra fautores, & receptores.

PAVLI V. Constit. 26. incipit *Romanus Pontifex*. Revocatoriæ facultatum Superioribus quorumcumque Ordinum, & Religiosorum, quoquomodo concessarum, cognoscendi causas suorum subditorum ad Officium Sanctæ Inquisitionis quomodolibet pertinentes.

Eiusdem Constit. 97. incipit: *Regis pacifici*. Innovatoriæ Constitutionum à Sixto IV. & Pio V. de Conceptione Beatæ MARIÆ Virginis editarum: Impositionis maiorum pœnarum in transgressores, à locorum Ordinarijs, & hæreticæ pravitatis Inquisitoribus puniendos. Et Gregorij XV. Constit. 29. incipit. *Sanctissimus Dominus noster auditis*, ampliativæ, & declaratoriæ prohibitionis asserendi, B. MARIAM Virginem Conceptam esse in peccato originali.

GREGORII XV. Constit. 27. incipit *Romanus Pontifex specula*, revocatoriæ quarumcumque concessionum vivæ vocis oraculo factarum. Sanctitatis suæ Constit. extensivæ ad quoscumque quantumvis privilegiatos, & exemptos incipit. *Aliàs fœl record. Gregor. Papa XV. sub dat. Romæ* 20. *Decembris* 1631.

Eiusdem Constit. 40. incipit. *Apostolatus Officium*. Et Vrbani VIII. Constit. 114. incip. eodem modo, revocatoriæ licentiarum quarumcumque legendi, & habendi libros prohibitos.

VRBANI VIII. Constit. 37. incipit. *Sanctissimus Dominus noster sollicitè animadvertens*. De imaginibus nondum à Sede Apostolica Canonizatorum, vel Beatificatorum cum radijs, splendoribus, aut laureolis, non proponendis: tabellis, aut luminaribus ad eorum sepulchra non apponendis: eorumvè gestis miraculis, revelationibus, beneficiorum impetrationibus non publicandis, aut imprimendis.

Pariter VRBANI VIII. Constit. 50. incipit. *Sanctissimus noster, pro debito sui Pastoralis Officij*. De libris vbicumque compositis, de quacumque materia tractantibus, ab his, degunt in statu Ecclesiastico, non transmittendis aliò, vt imprimantur sine Vicarij, & Magistri Sacri Palatij in Vrbe, vel extra eam sine Ordinarij, & Inquisitoris, aut ab eis deputatorum licentia.

Eiusdem Sanctitatis suæ Constit. sub data Romæ die 5. Novembris 1631. incipit. *Cùm sicut accepimus*. Quod Constitutiones Apostolicæ in Fidem Catholicam, Sanctæ Inquisitionis Officium hactenus editæ, & in posterum, etiam super quacumque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet privilegiatos comprehendant, nisi in edendis specialiter excipiantur.

APENDIX DEFINITIONVM IN HAC MEDVLLA contentarum cum aliquibus annotationibus, alphabetico ordine dispositarum.

A

Affinitas: Propinquitas personarum nata ex copula carnali, sive licita, sive illicita. Ex licita dirimit Matrimonium vsque ad quartum gradum; ex illicita vsque ad secundum.

Ambitio: Appetitus inordinatus dignitatis, & honoris non debiti, vel debitò maioris. Est filia superbiæ, & ex se venialis.

Antichrysis: Contractus, quo convenitur, vt Creditor vtatur pignore, v.g. agro, ac fructus indè tandiu lucretur, donec debitum ipsi restituatur.

Apostasia: Error ex toto contrarius fidei.

Universidad de Navarra Biblioteca

Approbatio Sacerdotis: Publicum iudicium de aptitudine personæ ad iurisdictionem recipiendam.

Assecuratio: Contractus, quo quis rei alienæ periculum in se suscipit, obligando se, vel gratis, vel pro certo prætio ad eam compensandum si perierit.

Avaricia: Appetitus inordinatus temporalium. Ex genere suo venialis.

B

Baptismus: Sacramentum consistens in ablutione corporis exteriore facta sub prescripta forma verborum.

Beneficium Ecclesiasticum: Ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, propter Officium aliquod spirituale, authoritate Ecclesiæ constitutum.

Blasphemia: (directè opposita laudi Dei): Verbum maledictionis, vel convicij, seu contumeliæ in Deum, sive id fiat attribuendo ei falsa, sive negando vera, sive attribuendo creaturis, quæ ipsi debentur: sive etiam dicendo vera, sed quæ ad eius dehonorationem, seu vilipendium tendunt, vt fit per modum indignantis, contemnentis &c.

C

Cambium: (sumptum pro permutatione pecuniæ) Contractus, quo Campsor campsario volenti cambit pecunias, cum lucro aliquo præter sortem.

Censura Ecclesiastica: Pœna spiritualis, & medicinalis, per quam homini baptizato delinquenti, ac contumaci per potentiam Ecclesiasticam aufertur vsus quorundam bonorum spiritualium.

Chyromancia: Quæ ex lineis, & partibus manuum considerat temperiem corporum, imò etiam animi propensiones, & effectus probabiliter coniectat. Licita est.

Codicullus: Quasi Testamentum imperfectum, non factum ad instituendum heredem, nisi ex privilegio, v.g. in Milicia: sed ad aliquid in Testamento explicandum, addendum, notandum, detrahendum, vel ad legata instituenda.

Cognatio consanguinitatis: Vinculum personarum ab eodem stipite proximo descendentium. Dirimit vsque ad quartum gradum lineæ transversę inclusivè: per omnes gradus in linea recta.

Cognatio legalis: Propinquitas personarum proveniens ex adoptione perfecta (qua scilicet persona extranea assumitur in filium vel nepotem, ita vt transeat in potestatem adoptantis, eique succedat, vel tanquam hæres necessarius ex Testamento in quarta parte, vel tanquam filius ab intestato in totum) Dirimebat ante Tridentinum vsque ad quartum gradum inter adoptantem, & adoptatum, eiusque descendentes: post Tridentinum vsque ad secundum inclusivè.

Cognatio spiritualis: Propinquitas personarum orta ex iure Ecclesiastico inter personas aliquas ratione Baptismi, & Confirmationis. Dirimit Matrimonium inter baptizantem, & baptizatum, & huius Patrem, & Matrem: item inter susceptorem, & susceptum, & huius Patrem, & Matrem.

Commodatum: Contractus, quo res aliqua mobilis, vel immobilis quoad solum vsum

vsum gratuitò conceditur, idque ad aliquod certum tempus.

Confirmatio: Sacramentum consistens in vnctione Chrismatis sub præscripta forma verborum in fronte baptizati, ab Episcopo, qua confirmatus, ex Christi institutione, gratiæ augmentum, & robur accipit.

Conscientia: Dictamen rationis, seu actus intellectus, quo iudicamus aliquid hic, & nunc agendum, vel omittendum esse, vel fuisse tanquam bonum, vel malum, idque vel per modum præcepti, vel consilij.

Contractus: Pactum, ex quo vltrò, citròque oritur obligatio. Vel pactum, seu consensus duorum, quo scienter, liberè, & legitimè vterque, seu vicissim, vel saltem vna pars se alteri acceptanti obligat, quocunque signo externo id fiat.

Contumelia: Diminutio iniusta honoris: Honor: Testificatio alienæ excellentiæ animo conceptæ.

Culpa (iuridica) *Lata*, qua quis omittit, vel facit quod vt plurimum non facerent, vel non omitterent in ea re homines suæ professionis. *Levis*: qua quis omittit, vel facit, quod non facerene, vel non omitterent diligentissimi: & hoc etsi fiat, vel omittatur inadvertenter.

Curatela: Quasi contractus, quo Curator ad procuranda bona, & commoda puberum cuiusque sexus, qui, vel Parentibus carent, vel sub eorum potestate constituti non sunt, obligatur ex iustitia, perindè ac si ex contractu ea obligatio suscepta fuisset, supplente nimirum lege, vel Magistratu vim contractus.

D

Degradatio: Privatio executionis officiorum, & Beneficiorum simpliciter, & in toto, absque spe restitutionis, facta cum certa solemnitate, & privatione privilegij Clericalis tã Canonis, quã fori, itavt sęculari Curiæ subdatur.

Depositio: (verbalis; nam realis idem est cum degradatione) Privatio similis degradationi, sed sine eius solemnitate, & relicto vtroque privilegio, Canonis, & fori.

Depositum: Contractus, quo aliquid (comuniter mobile, vel se movens) custodiendum traditur, vt integrum reddatur.

Detractio: Violatio, vel denigratio iniusta alienæ famæ. Fama autem, opinio, seu existimatio de alterius excellentia.

Divinatio: Qua quis opẽ Dæmonis tacitè, vel expressè invocat, vt noscat res contingentes, & liberè futuras, alterove ocultas, & naturaliter incognoscibiles.

Dubium: Suspensio assensus circa obiectum aprehensum.

Duellum: Certamen duorum, vel plurium, quod ex indicto, vno indicente, & altero acceptante suscipitur, itavt id non sit vitam defendere, sed exponere periculo.

E

Ebrietas: Qua quis sine iusta causa ob voluptatem, & inglutiem volens, & sciens se privat vsu rationis simpliciter. Ex genere suo mortalis.

Universidad de Navarra Biblioteca

Emphiteusis: Contractus similis locationi, in quo res immobilis, quæ culturâ possit effici melior, conceditur alteri in perpetuum, vel non brevius quàm ad decennium, ita vt dominium directum rei, eiusque possessio civilis maneat apud Dominum: dominium autem vtile transferatur in Emphiteutam; cum onere tamen solvendi singulis annis Canonem (vt vocant) seu pensionem Domino directo, quam si Emphiteuta totam solvere negligeret 26. annos continuos, in Emphyteusi Ecclesiastica (cum scilicet res est Ecclesiæ, vel pij loci) vel in sæculari 36. annos, incidit in pænam commissi, hoc est, Dominus acquirit ius, quo potest, si velit, expellere Emphyteutam à possessione rei, & hoc etsi de solutione eum non requisierit. Ius huius contractus pendet ex consuetudine locorum.

Emptio: Contractus, quo pretiũ pro merce solvitur. Completur mercis traditione.

Eucharistia: Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini divinitùs institutum.

Excommunicatio: Censura, perquam quis privatur communione Ecclesiæ. *Minor*: quæ tantùm privat vsu passivo, seu acceptione Sacramentorum. *Maior*: qua quis privatur omni communione Ecclesiastica.

Execratio: Amissio consecrationis rei sacræ, ita destructæ, vt formam, & vsum suum perdat. Tunc de novo consecretur.

Extremaunctio: Sacramentum à Christo institutum ad ægroto de vita periclitanti conferendam salutem animæ, vel etiam corporis, per vnctionem olei benedicti, & orationem Sacerdotis.

F

Feudum: Contractus, (similis Emphyteusi) quo res immobilis alicui conceditur, cum translatione dominij vtilis, proprietate retenta, sub onere exhibendi fidelitatem, & obsequium personale directo Domino: si Vassallus id non exhibeat perdit feudum. Si solvatur in recognitionem directi dominij aliquid in feudo, istud ex hac parte declinat à puro feudo, & inclinat in Emphyteusim. Ius Feudi pendet à locorum consuetudine.

Fideicommissum: (*Generale*) Institutio hæredis in Testamento gravati à Testatore ad restituendum alteri hæreditatem. Hęres gravatus dicitur *Fiduciarius*: cui restituitur hæreditas, *Fideicommissarius*: ille retinet quartam partem: is reliquum hæreditatis capit. *Particulare*, idem ac legatum.

Fideiussio: Contractus, quo quis alienam obligationem suscipit implendam, si debitor principalis non solverit.

Fides: Virtus theologica à Deo iussa, per quam firmiter propter ipsius Dei authoritatẽ assentimur ijs, quæ à Deo revelata sunt, & ab Ecclesia proposita.

Fornicatio: Concubitus soluti cum soluta ex mutuo consensu.

Fraus: Dolus in facto. Filia est Avariciæ: ex genere suo mortalis, & contingens multipliciter in contractibus, tũ circa materiã viciosam, tũ circa prætium.

Furtum: Ablatio oculta rei alienæ, invito rationabiliter Domino. Mortale, si quantitas sit notabilis, quæ non mathematicè, sed moraliter metienda.

Hæresis

H

Hæresis: Error intellectualis liber, & pertinax contra fidem in eo, qui fidem suscepit. Differt ab Apostasia, quòd hæc est ex toto contra fidem: hæresis tantum ex parte.

Hipocresis: Vanagloria, qua quis per facta bona cupit videri bonus, quamvis talis non sit. Filia est superbiæ: ex se tantum venialis; nisi sit cum iniuria, vel contemptu Dei, vel proximi.

Hypotheca: Contractus, quo debitor dat Creditori rem immobilem, vt sit pro debito obligata, ex eaque solutio peti possit.

I

Iactantia: Vanagloria, qua quis verbis laudat se, & inanem gloriam quærit de rebus bonis, vel malis, sive veris, sive falsis. Si sit de rebus bonis est per se venialis; si de mortaliter malis mortaliter mala. Filia est superbiæ.

Incestus: Congressus cũ consanguinea, vel affini vsque ad quartũ gradũ inclusivè.

Indulgentia: Gratia, qua certo aliquo opere, quod concedens præscribit præstito Deo, temporalis pœna (non autem culpa) extra Sacramentum, sacrificium, & Martyrium remittitur per applicationem satisfactionum Christi, & Sanctorum: idque, vel per modum absolutionis erga subditos Ecclesiæ, vel nudæ solutionis erga non subditos, vt defunctos, & Cathecumenos, quibus proindè tantum dãtur Indulgentiæ per modum suffragij.

Infidelitas: Dissensus fidei sufficienter propositæ. Triplex: Paganismus, Iudaismus, & hæresis.

Intentio virtualis: Quæ ex actuali præcedenti relicta durat in aliqua actione vi illius incepta, & continuata; vt si ex intentione baptizandi, vel celebrandi vadas ad Ecclesiam, sacras vestes induas, ad altare, vel baptisterium accedas, etsi interim omnia alia cogites.

Interdictum. Censura Ecclesiastica prohibens divinorum officiorum, Sacramentorum aliquorum, & Ecclesiasticæ sepulturę vsum, quatenus talis est. Vsum dictarum rerum vt vsum prohibet interdictum: vt Communicationem cum fidelibus, Excommunicatio: vt exercitium potestatis Ecclesiasticæ, suspensio.

Invidia: Tristitia de alterius bono, prout istud est diminutivum propriæ excellentiæ. Est contra charitatem, quæ gaudet de bono proximi, quod invidia destructum optat, vel quo non destructo dolet. Est ex genere suo mortalis.

Ira: Inordinatus appetitus vindictæ. Est ex genere suo mortalis ex parte *obiecti*: scilicet, quando est appetens vindictam iustô maiorem: vel ob causam iniustam, vel exequendam propria authoritate, vel vt satiativam animi malevoli. Est ex genere suo venialis ex parte *modi*, scilicet quando interiùs est nimis exardescens, vel prodit exteriùs per signa nimia.

Irregularitas: Impedimentum Canonicum, susceptionem ordinum sacrorum, & susceptorum vsum impediens. Non est censura, sed inhabilitas.

Irreligio: Vitium oppositum virtuti religionis per defectum. Eius species sunt tentatio

Universidad de Deusto Biblioteca

tatio Dei, & perjurium, tendentes directè ad irreverentiam Dei: & sacrilegium, & simonia, tendentes ad irreverentiam rerum sacrarum.

Iubileum: Indulgentia, cui adiuncta sunt privilegia, nempè dispensatio in certis votis: absolutio à reservatis, & Censuris; & quòd Confessarius quivis approbatus possit eligi.

Iudaismus: Infidelitas agnoscens Christum solùm vt promissum; non vt existentem.

Iuramentum: Invocatio tacita, vel expressa Numinis divini tanquam primæ, & infallibilis veritatis in testem alicuius rei.

Iurisdictio Confessarij: Authoritas aliqua in alium vt subditum, in quem in foro interno accipit potestatem per externam concessionem Ecclesiæ: quæ potestas non omnibus datur Sacerdotibus, potestque ab his tolli, ac, nisi adsit invalida est absolutio: ac proindè distinguitur à potestate Ordinis.

L

Legatum: Donatio quædam à defuncto relicta, & ab hærede præstanda.

Lex: Recta agendorũ, aut omittendorum ratio. Si non Comunitati, sed alicui, vel aliquibus in particulari sit imposita, non appellatur lex, sed præceptũ.

Libellaticus contractus, sive, Datio ad libellum: Quasi subfeudum, & subemphyteusis, quo Emphyteuta, seu feudatarius rem, quam in feudum, seu Emphyteusim accipit, simili contractu tradit tertio. Si in decennium fiat requiritur Domini consensus.

Locatio: Contractus, quo quis personam, vel rem aliquam mobilem, vel immobilem alteri ad tempus vtendam, vel fruendam concedit certo prætio, vel mercede, vel pensione constituta.

Ludus: Contractus, quod ludentes interse pacisciuntur vt victori cedat, quod vterque disposuit. Iure naturæ licitus est.

Luxuria: Appetitus inordinatus venereorum. Est mortalis ex genere suo.

M

Magia: Quæ ex pacto, & Cooperatione Dæmonis intendit facere mira.

Maleficium: Vis nocendi alijs ex pacto, & cooperatione Demonis. Duplex est: Amatorium, seu philtrum, ad carnalem amorem, vel odium excitans: & veneficium, personæ, vel eius bonis damnum inferens.

Matrimonium: Sacramentum inter baptizatos, quo vir, & Mulier sibi mutuò legitimè corpora sua tradunt ad perpetuam vitæ societatem.

Missa: Sacrifitium consistens in consecratione panis, & vini. Est actus latriæ, qui fit in recognitionem supremi dominij Dei, & signum nostræ servitutis.

Monopolium: Conspiratio plurium, vel vnius tantum, vt ipsi soli aliquid vendant, vel non minoris vendant, si propria authoritate, & non extra iustum prætium fiat non est contra iustitiam, sed contra charitatem. Si authoritate Principis, vel Magistratus taxantis prætium, & istud non est maius iustô, licitum fit.

Montes pietatis: Thesauri, qui in refugium pauperum à Republica, vel Principe reponuntur, vt indè pauperibus gratis mutuetur, ita tamen vt parum retri-

retribuant pro expensis, quæ fiunt in ministros, & conservationem talium montium. Licitè fiunt.

Mutuum: Contractus, quo rei alicuius numerô, pondere, vel mensurâ constantis dominium á mutuante in mutuatarum transfertur, cum obligatione restituendi eandem, vel similem specie, & bonitate. In mutuo lucrum accipere est vsura.

N

Necessitas proximi: *Extrema*. Ex qua egenti imminet periculum vitæ, vel gravis, & diuturni morbi. *Gravis*: Ex qua imminet periculum gravis mali, vt captivitatis, infamiæ, gravis iacturę bonorum, vel statûs: v.g. si Nobilis cogatur alteri famulari: Artifex, aut vir honestus mendicare. *Communis*: quâ laborant Mendici triviales.

Negociatio: Quâ quis rem sibi comparat eo animo, vt integram, & non mutatam cariùs vendendo, vel permutando lucretur.

O

Obduratio cordis: Immisericordia quę quis egenis, & pauperibus non compatitur, eos obiurgat, debita nimis exigit, quando debitor non est solvendo &c. Filia est avaricię.

Observantia vana: Superstitio, quâ medio aliquo improportionato, & à Deo non instituto procuratur aliquis effectus, v.g. sanitas, scientia &c. Vndè ordinatur ad effectum externum. Divinatio autem ad occultorum cognitionem.

Occasio proxima: In quâ quis sæpiùs in illam incidens, rarò non labitur in peccatum.

Ordo: Sacramentum, quô traditur potestas ad Eucharistiam administrandam.

P

Paganismus: Infidelitas non agnoscens Christum Redemptorem vt promissum, neque vt existentem. Comprehendit Atheismum, & Mahometismum.

Patronatûs ius: Potestas præsentandi ad Beneficium Ecclesiasticum vacans.

Peccatum: Actus liber rationi contrarius.

Pensio: Ius percipiendi fructus ex alieno Beneficio. Debet esse moderata, v.g. tertia pars fructuum.

Pertinacia: Adhesio nimium tenax propriæ sententiæ. Filia est superbiæ: Si sit oppugnatio veritatis magni mommenti est mortalis.

Physiognomia: Quæ ex vultu, dispositione, & habitudine corporis, & membrorum considerat temperiem corporis, imò etiam animi propensiones, & affectus probabiliter coniectat. Est licita.

Pignus: Contractus, quô debitor dat creditori rem mobilem, vt sit pro debito obligata, ex eâque solutio peti possit.

Pœnitentia: sacramentum remissivum peccati per modum iudicij.

Præceptum: Vide Lex.

Præstimonium: Quod solet dari Adolescentibus in subsidium studiorum. Non est pro-

propriè Beneficium. Hinc non obligat ad Horarum recitationem.

Præsumptio: Appetitus aggrediendi aliquid supra vires. Filia est superbiæ: communiter venialis. Mortalis, si damnum Deo, aut proximo afferat grave.

Præcarium: Contractus, quò conceditur petenti res vtenda, donec concedens repetat, sivè tacitè, vt si det alteri, vel vendat.

Prodigalitas: Deffectus conservandi, & excessus erogandi. Ex se venialis.

Pusillanimitas: Qua quis, cui omnia videntur magna, putat quovis bono alterius minui suum. Filia est invidiæ.

R

Rancor: Quo alicui sunt fastidio, qui ad spiritualia inducunt. Filia est Acediæ.

Rapina: Ablatio rei alienæ apertè, & cum vi facta. Differt specie à furto.

Raptus: Abductio personæ (sive masculi, sive fœminæ, sive nuptæ, sive innuptæ; libidinis causâ,) illatâ vi, sive abductæ, sive ijs, quorum potestati subest.

Religiosus status: Modus stabilis vivendi in comuni fidelium ad divinæ charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, ab Ecclesia approbatus.

Reservatio casuum: Negatio iurisdictionis circa aliqua peccata.

Resignatio Beneficiij: Dimissio spontanea proprij Beneficij facta coram legitimo superiore id acceptante.

Restitutio: Actus Iustitiæ ad salutem necessarius necessitate præcepti, quò reparatur damnum proximo illatum per iniuriam: id est, illatum contra iustitiam, quò læditur ius proximi, quod hic habet in re, vel ad rem, in qua damnum patitur.

S

Sacramentum: Res sensibilis, quæ ex stabili institutione Christi vim habet sanctitatis, sive gratiæ sanctificantis efficiendæ, & per consequens, significandę.

Sacramentalia: Actus externi religionis ad colendum Deum accommodati.

Sacrilegium: Violatio rei sacræ: hoc est, dicatę cultui divino.

Scandalum: Dictum, vel factum (sive omissio) minus rectum, præbens alteri occassionem ruinæ spiritualis. *Passivum*: Ruina ipsa sive peccatum, in quod labitur proximus ex occasione alterius dicti, vel facti.

Scrupulus: Aprehensio inanis: & hinc ortus timor, & anxietas alicubi esse peccatum, vbi non est.

Sententia probabilis: Quę gravi authoritate, vel non levis momenti ratione nititur.

Sigillum confessionis: obligatio iuris divini strictissima in omni casu (etiam quo integri Regni salus periclitetur) ad tacendum (etiam post mortem pœnitentis) dicta in Confessione (id est, in ordine ad absolutionem sacramentalem) omnia, quorum revelatio sacramentum redderet onerosum, vel odiosum.

Simonia: Studiosa voluntas emendi, vel vendendi prætio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum.

Socie-

Societatis contractus: Quo aliqui interse conveniunt, & contributis alicubi rebus ad lucrandum idoneis (vt pecunia, & Animalibus, industriâ, valore &c.) commune aliquod lucrum faciunt, quod (vti & damnum) pro ratione, & rata cuiusque dividant inter se.

Sodomia: *perfecta*: Congressus duorum eiusdem sexus, vt maris cum mare, fœminę, cum fœmina. *Imperfecta*: Congressus cum debito quidem sexu, maris nempè, cum fœmina; sed extra vas naturale.

Sponsalia: Promissio voluntaria, deliberata, & mutua signo sensibili expressa futuri Matrimonij inter personas iure habiles.

Sponsio: Contractus, quo duo de veritate, aut eventu alicuius rei certantes, sibi invicèm aliquid spondent, vt id eius sit, qui veritatem assequutus fuerit. Licita est, si sit de re vtrique spondenti dubia equaliter.

Stuprum: Defloratio Virginis, ipsâ invitâ.

Superbia: Appetitus inordinatus proprię Excellentiæ, Mortalis est, si Deo, superioribus, ipsorumque legibus nolit subiici. Venialis, si in suo tantum affectu sese magnificat.

Superstitio: Religio falsa, seu cultus falsus veri, vel falsi Numinis.

Suspensio: Censura, qua Clericus functiones aliquas Ecclesiasticas exercere prohibetur.

Suspicio: Assensus incoatus, quo quis inclinat in vnam partem, iudicans probabiliter latere aliquod fundamentum opinandi. Est ex genere suo venialis, etiam sit temeraria.

Susurratio: Obloquutio mala de proximo ad tollendam amicitiam ipsius cum alijs; Filia est invidię. Susurro tenetur reconciliare proximos, quos inimicos reddiderat, & restituere famam, quam abstulerit.

T

Tentatio Dei: Dictum, vel factum, quo quis explorat nùm Deus sit potens, sapiens, misericors, aut aliquam perfectionem habeat. Est duplex: *Formalis*, quâ quis dubitans de aliqua perfectione Dei, eam experiri cupit: hæc est ex genere suo mortalis. *Interpretativa*: quâ quis non expressè intendens Deum tentare, agit tamen quod suâpte natura eò referri videtur: hæc plerumque est venialis.

Testamentum: Iusta voluntatis sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, cum directi hæredis institutione.

Torpor, quò bona fiunt non cum debito fervore. Filia est Accediæ.

Tutela: Idem ac Curatela, nisi quod hæc principaliter datur rebus Minorum; secundariò autem Personis: illa verò è contra.

Tutela inculpata: Ius ad defensionem inferendi damnum non maius, & vtendi vi non maiori, quàm necessarium sit ad arcendum iniuriam.

V

Vanagloria: Cupiditas inanis glorię ad finem inordinatæ manifestationis excellentiæ propriæ, sivè veræ, sivè falsæ. Filia est superbiæ. Per se est venialis; per

Universidad de Deusto Biblioteca

per accidens mortalis, ratione materiæ malæ, ex qua, vel ratione damni, quod proximo infertur, vel finis intenti.

Vassallus: Feudi acceptor. *Vide* Feudum

Venditio: Contractus, quô traditur merces pro prætio.

Veneficium. *Vide* Maleficium.

Votum: Promissio facta Deo deliberatè de bono possibili, & meliori. Est actus latrię soli Deo debitus: Vndè, quæ voventur Sanctis, voventur Deo in honorem simul Sanctorum: vti & Templa, & Altaria edificantur Deo in honorem eorundem. Est duplex: *Solemne*, quod vt tale acceptatur ab Ecclesia, vt Castitatis annexum sacris Ordinibus: & Professionis religiosæ. *Simplex*, quod talem solemnitatem non habet.

Vsura: Lucrum immediatè proveniens ex mutuo. Est illicitum; quia mutuans ex re iam non sua, sed mutuarij, non potest acquirere, id est, quid supra summam capitalem mutuatam accipere.

DEFINITIONES PROPOSITIONVM DAMNATIONIS notam incurrentium.

Hæretica: Quæ habet omnimodam, seu manifestam contrarietatem cum veritate aliqua, quam certò constat esse de fide: talis est: *Corpus Christi, ex vi verborum consecrationis à Sacerdote cum intentione requisita ab Ecclesia Catholica prolatorum, non est sub speciebus panis.* Non requiritur pertinacia vt propositio damnetur vt hæretica requiritur tamen, vt qui eam profert damnetur vt hęreticus.

Erronea: (quę & proxima hæresi dicitur) Propositio contradicens directè conclusioni Theologicæ: talis est: *Christus non est risibilis.* Quę propositio est contradictoria huic conclusioni Theologicæ: *Christus est risibilis*, deductę ex hac prępmissa moraliter evidenti: *Omnis homo est risibilis*, & ex illa de fide: *Christus est homo.*

Errori proxima: Propositio, ex qua per aliquas manifestas consequentias homo deducitur in erroneam.

Suspecta hæresis: (quæ & Malesonans dicitur) Propositio, quæ & sensum Catholicum, & hæreticum habet, sed frequentius secundùm sensum hæreticum accipitur: talis est: *Fides iustificat*, iuxta circunstantias hæresum recentiorum.

Sapiens hæresim: Propositio ex qua cum notorio verò, quod negari non potest, sequitur hæresis: talis est: *Omnis homo existens Romæ est in peccato mortali:* Ex illa enim, & ex hac: *Aliquis homo infans baptizatus est existens Romæ*, sequitur hæc hæretica. *Aliquis homo infans baptizatus est in peccato mortali.*

Temeraria: Propositio, quæ in rebus ad fidem, vel bonos mores pertinentibus, sine regula rationis procedit, & omni prorsus authoritate caret: talis est: *Discipu-*

cipuli Ioannis Baptistæ fuerunt, qui in Passione Christi clamarunt, tolle, tolle, crucifige eum.

Scandalosa: (quæ & piarium offensiva dicitur) Propositio, quæ est alteri occasio errandi, vel malè de fide sentiendi: talis est: *Hæretici sunt tolerandi, & non occidendi.*

Schismatica: (quæ & seditiosa dicitur) Propositio, quæ vnionem membrorum Ecclesiæ vniversaliter, vel particulariter tollit: talis est: *Possunt dari in Ecclesia duo Pontifices.*

Impia: Propositio, quæ contra pietatem Catholicam asseritur: talis est: *Non est orandum pro animabus Purgatorij.*

Injuriosa: Propositio, quæ alicui fidelium statui, vel alicui personæ illustri detrahit: talis est: *Qui Religionem ingreditur ineptior est ad observantiam mandatorum.*

Blasphema. Vide *Blasphemia.*

SOLI DEO, HONOR, ET GLORIA.

INDEX

Universidade de Deusto Biblioteca

INDEX RERVM, QVÆ HOC LIBRO CONTINENTVR.

A

ABbas, v. Prælatus.
Abbatissa, an possit ferre censuras. 385.
Abbreviatio vitæ an licita. 102.
Abortus. 106.
Absolutionis Sacramentalis forma. 313. Qui sint absolvendi. 338. & seqq. v. Iurisdictio. 334.
Absolutio moribundi. 319.
Absolutio à censuris. 388.
Absolutio à reservatis. 339.
Absolutio à suspensione. 462.
Abstinentia. 183. An teneatur abstinere carnibus in Quadragesima, qui non potest ieiunare. 21.
Accusator. 230. An, & quis teneatur alterum accusare. ibid.
Acedia quid sit. 259. Quale peccatũ. ibid. Quæ sint eius filiæ. ibid.
Adoptio. 374.
Adulterans quot peccata committat. 19. Quid teneatur restituere. 133.
Adulterium quid sit. 113. An & quando dirimat matrimonium. 376.
Advocati officium, & peccata. 226. & seq. An possit Advocatus suscipere patrocinium causę minùs probabilis. 5.
Ægyptios cõsulere, quale sit peccatũ. 54.
Æquivocatione vti, an liceat in iuramento. 70.
Ætas ad ieiunium. 186. Ad matrimonium. 378. Ad Ordines. 358. Ad sponsalia. 359.
Affinitas quid sit. 378. An, & quæ dirimat matrimonium. ibid.
Aggressorem iniquum an, & quomodo liceat occidere. 103. & seq.
Altare quando exsecretur. 307.
Ambitio quid sit, & quale peccatũ. 249.
Amentibus an licitè dentur carnes die Veneris. 13.
An ijsdem licitè diebus festis imponantur opera servilia. ibid.
An quis licitè eos irritet ad blasphemandum. ibid.
An possit ijs dari communio in articulo mortis. 291.
Amicus an, & quàm graviter peccet, si amico invito quid auferat. 119.
Amor filiorum in parentes. 93.
Amplexus extra matrimonium an, & qualia sint peccata. 111.
Antychrisis quomodo licita. 161.
Apostasia. 33.
Apostata. 172. 350.
Appellatio reorum. 235.

Appro-

Approbatio Sacerdotis quid sit. 333. A quo petenda. ibid.
Archiepiscopus, v. Episcopus.
Argentarij peccata. 238.
Ars notoria, quæ sit. 55.
Artifices. 50. Horum obligatio. 144.
Aspectus obscœni qualia sint peccata. 111. & seq. An, & quatenùs liceant inter coniuges. 113. 367.
Assecuratio quid sit. 160.
Astrologia naturalis. 54.
Attritio. 314.
Avaritia quid sit, & quale peccatum. 251.
Quæ sint eius filię. ibid.
Aurifaber. v. Argentarius.
Aurigarum obligatio. 144. Aurigæ Catholici an licitè vehant annonam ad castra hæreticorum. 50.
Avus quid debeat nepotibus. 94.

B

BAptismus. 267. & seqq. Quæ sit eius materia. ibid. Quę forma. 269. & seq. Quis Minister. 270. An duo possint simul vnum baptizare. 271. Quod sit subiectum Baptismi. ibid. & seq. An possit aliquando repeti, & quâ formâ. 272. & seq. Quinam sub conditione baptizandi. 273. Quę sint servanda circa cæremonias Baptismi. ibid. & seq.
Bellum. 107. & seq. Bellum defensivum quibus gerere liceat. Quibus offensivum. ibid. An liceat contra bellum iustum se defendere. 108.
Belli Iustitia quomodo Principi indaganda. ibid. In bello iusto, an liceat in auxilium advocare infideles. ibid. An liceat eosdem in bello iusto iuvare ib. Quid liceat in iusto bello. 109.
Beneficiati, an, & quando obligentur ad Horas Canonicas. 206. An ad restitutionem fructuum, si horas omiserint. 208. An sint absolutè domini suorum proventuum. 215. & seq. Obligati ad Missas an possint pro ijs accipere stipendium. 301.
Beneficium Ecclesiasticum, quid sit. 198. Quotuplex. ibid. Quomodo acquiratur, & conferatur. ibid. & seq. Quæ requirantur qualitates ad illud accipiendum. 200. Quę intentio. 201. An liceat plura beneficia possidere. ibid. & seq. Quibus modis amittantur. 203.
Beneficij resignatio quid, & quotuplex. 203.
An liceat ea permutare. 204.
Bestialitas quale sit peccatum. 115.
Bibliopola. 238.
Bigamia. 409.
Blasphemia quid sit, & quotuplex. 65. & seq.
Bona hostibus erepta, ad quem pertineant. 110.
Bona inventa quibus sint restituenda, vel danda. 127.
Bona necessaria, & superflua. 40.
Bulla Cœnæ. 388. 399.

C

CÆremoniæ Baptismi. 274.
Confirmationis. 277.
Calix quando exsecretur. 307.
Cambium quid sit. 154. Quod sint genera cambiorum, & an ea licita. ibid. & seq.
Canonicatus an sint beneficia compatibilia. 202.
Canciones inhonestas canere, quale sit peccatum. 112.
Capitulares. 195.
Captis in bello an liceat fugere. 110.
Captivis Christianis an liceat remigare in triremibus Turcarum. 51.
Carceris effractio an licita. 235.

Carnis

Carnis esus. 33. 183.
Carnis humanæ esus. 255.
Carthusianus edens carnes quale peccatum committat. 195. An liceat illi aliquando vesci carnibus. 101.
Castitatis votum. 194.
Casuum reservatio quid sit. 337. Quis habeat potestatem reservandi casus ibid. Qui absolvendi ab eis. 341.
Casus reservati Clem. VIII. 338.
Catholicis an in Germania liceat communicare cum hæreticis. 390.
Caupones. 49.
Celebrare Missam quando liceat 303. Quoties 304. Quo loco. 305. & seq. Quæ sint ad celebrationem requisita 308. & seq.
Censura Ecclesiastica quid sit.383.Quotuplex.384. Qui possint ferre censuram.385. Qui eâdem affici. ibid. Ob quam causam possit ferri.386.& seq. Qui possint ab eâ absolvere.388.Quomodo hæc absolutio danda. 389.
Census quid sit. 153. & seq.
Charitas Dei. 35. Charitatis Dei præcepto quid præcipiatur. ib. Quando obliget. ibid. & seq.
Charitas erga proximum, quid præcipiat, & prohibeat. 36. Eius ordo ibid. & seq.
Chirographa, & credita aliorum emere an liceat. 151.
Chiromantia quid, sit & an liceat. 53.
Chirurgorum obligatio,& peccata.237.
Choreæ. An liceant. 112.
Clausura Monialium. 397.
Clerici qui dicantur. 198. An teneantur legibus civilibus, & puniri possint à Principe sæculari. 13. An teneantur ad residentiam. 202. & seq. Qui possint circa dispositionem fructuum suorum Beneficiorum. 215.& seq. An possint testari de redditibus eorundem. 218. Quis sit eorum habitus. ibidem. Quæ actiones, artes, officia eis prohibeantur, ibid. Quæ negotiatio eis liceat. 152.
Codicillus quid sit. 164.
Cœmeterium quibus casibus violetur. 306. & seq.
Cognatio consanguinitatis 374. Huius gradus. ibid.
Cognatio legalis,& spiritualis. ibid.
Collatiuncula die iciunij, qualis, & quanta. 194.
Colono quando de pensione remitti debeat,eademque possit augeri. 155.
Commodatum quid sit. 143.
Commodator an possit ante tempus definitum repetere commodatum.ibid.
Cõmunio, vide Eucharistia.292.& seq.
Communio Paschalis. 298. Vbi hæc sumenda. 299. An possit communicare, qui dubitat, an cœnando mediam noctem excesserit. 70.
Commutatio votorum. 83. & seq.
Comœdiæ turpes. 112.
Concio. 88. Vbi, & quantâ obligatione audienda. ibid.
Conciones hæreticorum an liceat audire. 31.
Cõcionari pro pretio an sit simonia.62.
Concionatorum obligatio. 43.
Concubinarius. 46. An, & quando in confessione sit absolvendus. 113.
Concubinatus quid sit. ibid.
Conductio, & conductor. 155.
Confessarij officium. 340.& seq.
Confessarij Principum, &c. ad quid obligentur. 341. Confessarij quanta sit obligatio audiendi pœnitentes. 343.Quæ scientia requiratur in Confessario. ibid. & seq. An possit Confessarius vti notitiâ in confessione acceptâ.

acceptâ. 348. & seq. Eius approbatio quid sit. 333.A quo petenda.334. Eius iurisdicto quid,quotuplex,vndè ibid. & seq.Quomodo ipsi cum Divinatoribus, Magis, &c. agendum. 58. Quomodo cum Reis. 235. An Confessarius teneatur ad restitutionem si pœnitentem non moneat,vel non obliget ad eam. 123.
Confessio sacramentalis. 317. An debeat esse integra materialiter.ibid. & seq.Quale examen ad eam prærequiratur. 318. Quando sufficiat integritas formalis. 319. & seq. An debeat esse vocalis. 322. An secreta. ibid. An vera ibid. Quando sit invalida. 323. Quando iteranda. ibid.
Confessionis præceptum,quos,& quàm graviter obliget. 350. & seq. An ei satisfiat per Confessionem invalidam & venialium. 351.
Confessionis sigillum. 345.& seq.
Confirmatio quid sit, & quæ materia eius. 276. Quæ forma ibid.Minister & subiectum. ibid. Necessitas, & cæremoniæ. 277. & seq.
Coniuges ad quid obligentur erga se mutuò. 98.
Coniugalis actus an sit licitus. 365. & seq. An præceptus. 367. & seq.
Conscientia quid sit. 1. Quæ sit recta, quæ erronea 1. 2. An vtraque obliget. 2. & seq.
Conscientia practicè dubia quid sit, & an peccet, qui cum ea operatur. 3. Quid in ea agendum. 3. & seq.
Conscientia speculativè dubia.4.& seq.
Conscientia scrupulosa. 8.
Consilium. 10.
Consuetudo blasphemandi. 66. Iurandi. 70.
Contemptus formalis quis sit. 248.
Contractus quid sit. 137. An dolo, errore, vi, metu factus sit validus. 138. Qui nequeant contrahere. ibid.
Contritio quid sit, & quotuplex. 314. Qualis requiratur ad Sacramentum pœnitentiæ. ibid.
Contumelia quid. 176. Quale peccatum. ibid. An qui per contumeliam læsit alterius honorem,teneatur hunc restituere, & quomodò. 180. & seq.
Cooperatio ad damnum alterius. 122. Ad peccatum, an liceat. 48.& seq.
Correptio fraterna. 42. & seq.Eius materia. ibid. Præceptum correptionis quando obliget. 43. Quando faciendà 44. Quas obliget; & quis ordo in ea servandus. 43.
Crapula quibus casibus censeatur mortalis. 255. & seq.
Credere quid teneamur necessitate medij, præcepti explicitè,implicitè. 27.
Creditoribus solvendum est ordine.135.
Curatela quid sit & Curator. 162. Eius officium. ibid. & seq. Qui nequeant esse Curatores. 163.
Curiales. 409.
Curiositas in aperiendis, & legendis, alienis litteris,vel scriptis. 252.& seq.

D

DÆmonis invocatio. 52.53.& seqq.
Debitum conjungale. 367.& seq.
Debitorum obligatio. 135. & seq.
Decalogi præceptum primum.51.& seq. Secundum 65. & seq. Tertium. 85. & seq.Quartum. 93.& seq.Quintum 100. & seq. Sextum. 110. & seq. Septimum 117. & seq. Octavum 175. & seq. Nonum, & decimum. 183.
Degradatio quid sit, & à quo fieri possit 403. Quam causam. ibid.
Delectatio morosa quid sit.240. & seq.
An semper sit peccatum. 242. & seq.

Quo-

Quomodo delectatio mortalis sit confitenda, 243. An voluntas teneatur delectationem carnalem positivè reprimere. ibid.
Depositio quid sit, & à quo fieri possit 403. Quam ob causam. ibid.
Depositum. 143. An depositario liceat vti deposito. ibid. An, & quando teneatur depositarius ad restitutionem, si depositum perierit, 144.
Derisio. 258.
Desiderium quid sit. 240. An & quando sit peccatum. ibid.
Desperatio quale sit peccatum. 35.
Detractio quid sit, & quotuplex. 176. Quale peccatum. ibid. & seq. Detractionem audiens, an & quando graviter peccet; & an teneatur ad restitotionem famæ. 179.
Dilectio inimicorum. 38. & seq. Quid teneamur inimicis præstare ibid. & seq.
Discipulorum obligatio. 100.
Discordia. 251.
Dispensandi potestas quibus conveniat 84. Quando inferior dispensare possit in lege Superioris. 21. Dispensatio quando vim amittat. 22. Quando, & quomodo petenda ex S. Pœnitentiaria. 23. & seq.
Dispensatio in observatione festorum. 86. In ieiunio. 185. & seq. In iuramento, & lege. 22. & seq. In impedimentis matrimonij 382. In votis. 84.
Dispensare pro pretio in voto, iuramento, &c. an sit simonia. 62.
Disputatio cum hæreticis. 34.
Distractio in Horis Can. 215. In alijs Exercitijs spiritualibus. 259.
Divinatio quid, & quotuplex. 52. & seq. Quale peccatum. ibid. & seq.
Divinatio è somnijs, voce avium, &c. an, & quando sit licita. 53. Cum Divinatoribus, Magis, &c. quomodo Confessario sit agendum. 58.
Divortium an fieri possit. 369. Quibus causis. 370.
Dolor de peccatis. 317. & seq.
Dolus in verbis, & facto. 252.
Domini quomodo sint famulis obligati. 97. & seq.
Donatio acceptata quale ius conferat. 140. Quibus casibus possit revocari. 141. & seq. Donationes bonorum factæ ab ingredientibus religionem an sint validæ. 174. Donatio mortis causa, quibus competat, & quando revocari possit, &c. 142.
Donare qui non possint. 139.
Dubitatio temeraria quale sit peccatum. 176.
Dubium quid sit. 3. Practicè dubius circa aliquod opus quomodo debeat se resolvere. ibid. An in dubio tutior pars eligenda. 6. & seq. Dubium de Horis Can. 214. Dubium de lege. 7. 11. Dubium de ieiunio. 7. De valore matrimonij. 8. De voto, & iuramento. 6. & seq.
Duellum quid sit, & an liceat. 103. Quis duellantes possit absolvere. 388.

E

EBrietas quid sit, & quale peccatum. 256. & seq. An licitum sit alium ad ebrietatem inducere ibid. Quæ sit plena ebrietas. ibid.
Ecclesia quibus casibus violetur. 306. An in violata Ecclesia liceat celebrare, & mortuos sepelire. ibid. Quando exsecretur Ecclesia. 307. An eâ pollutâ, & exsecratâ, etiam Altaria sint polluta, & exsecrata, ibid.
Ecclesiasticus, v. Beneficiatus, & Clericus.

Elee-

Eleemosyna 40. & seq. Quando quis eam dare teneatur. ibid. Ex quibus bonis. ibid. An debita pauperibus trivialibus. 41. An Religiosis. ibid. An filijs, vxoribus, servis liceat dare eleemosynas. 42. An tutoribus, & Curatoribus. ibid.
Emphyteusis. 156.
Emere die festo. 86.
Emptio. 148. & seq.
Emptori. An liceat emere viliùs, quam res valeat. 149. & seq. Res empta cui pereat ante traditionem. 150.
Episcopus an peccet, si Sacerdoti idoneo neget approbationem. 334. An habeat potestatem ferendi censuras. 385. An sit collator Beneficiorum in sua Diœcesi. 200. An teneatur novas leges Pontificias promulgare. 11. In quibus matrimonij impedimentis possit dispensare. 382. An possit dispensare in previjs proclamationibus matrimonij 373. An in votis subditorum. 84. An censuris, alijsque pœnis cogere subditos ad Sacrum in Parochia audiendum. 90.
Episcopi residentia. 202.
Error an, & quando dirimat matrimonium. 375.
Evagatio mentis. 259.
Eucharistia quid sit. 278. Eius materia. 279. Qualis debeat esse panis in materia. 280. & seq. Quale vinum. 281. & seq. An vino consecrando sit necessariò miscenda aqua. 283. An, & quomodo materia debeat esse præsens consecranti. ibid. & seq. An debeat esse certa, & à consecrantis intentione, & individuo determinata. 283. & seq. Forma consecrationis. 285. Quandiu Christi Corpus maneat in Eucharistiâ. 286. Ad quem spectet Eucharistiæ dispensatio. 287. & seq. Quo ritu sit dispensanda. 290. Quando liceat eam sibi ipsi dare. 288. In quibus casibus eam licitè dent Regulares in articulo mortis, & Paschate. ibid. & seq. Quid requiratur in Ministro ad licitam administrationem Eucharistię. 289. & seq. Quomodò deferenda ad infirmos. ibid. Vbi asservanda. 291. Quę dispositio animæ requiratur in suscipiente. ibid. & seqq. Quæ corporis. 293. & seq. Quæ, & quanta sit obligatio eam sumendi. 297. & seqq.
Examen quale prærequiritur ad integritatem Confessionis. 318.
Examen Ordinandorum. 357.
Excommunicatio quid sit, & quotuplex. 390. Ob quam causam incurratur excommunicatio minor. ibid. Quis huius effectus. ibid. Excommunicatio maior, quos habeat effectus. 391. & seq. Ob quas causas hæc incurratur. 395. & seq. Quæ excommunicationes non sint reservatæ. ibid. & seq. Quæ sint reservatæ Episcopis. 396. Quæ Papæ extra Bullam Cœnæ. ibid. & seq. Quæ eidem per Bullam Cœnæ. 399. & seq. Excommunicatio percussoris Clericorum quomodo intelligenda. 398. & seq.
Excommunicatus toleratus, & non toleratus quis. 390. Cum excommunicato non tolerato communicare, quale sit peccatum. 394. An aliquando liceat. 395.
Executores testamenti. 168. & seq.
Exsecratio quid sit, & quando fiat. 307.
Extrema-Vnctio quid sit. 351. Quæ eius materia remota. ibid. Proxima. 352. Quibus danda. ibid. Quis eius Minister. 353. Quis effectus. 354.

Kk Falla-

Universidad de Deusto Biblioteca

F

FAllacia. 252.
Fama.176. Eius restitutio. 180. Quæ excusent ab hac restitutione. 181.
Famulus quomodo sit obligatus suo domino. 97. & seq. An ad rem illicitam possit ipsi præstare famulatum. 49. An,& quàm graviter peccet, si ei invito quid auferat. 121. An teneatur ad restitutionem. ibid.
Festis quænam opera præcipiantur. 88. & seq. Quæ excusent ab observatione festorum. 86.& seq.
Feudum. 156.
Fideicommissum. 164.
Fideiussio quid. 160.
Fideiussoris obligatio. 161.
Fides.27. An aliquando liceat veram fidem exteriùs negare, aut falsam profiteri. 30. & seq. An fidem dissimulare. ibid. An, & quomodo tegere. ibid. Fidei præceptum quando obliget.28.& seq.Qui teneantur ad externam fidei professionem. ibid. Quæ sint professiva signa fidei. 30.& seq.
Filij quem amorem,reverentiam & obedientiam debeant parentibus. 93. & seq. An,& quàm graviter peccent, si parentibus invitis quid auferant.120. Item,si quid malè expendant ibid.An teneantur ad restitutionem, ibid. An possint contrahere. 138.
Fœminæ an liceat vti veste virili, vel è contra. 47.
Fœminarum carminatricum benedictiones. 56.
Forensia opera an festo die prohibita. 86.
Forma absolutionis sacramentalis. 313. Absolutionis à censuris. 389. Consecrationis Eucharistię. 285.
Fornicatio quid sit.113.Fornicatio sponsæ.361.cum filia confessionis. 114.
Frater an teneatur fratri, vel sorori in necessitate subvenire. 96.
Fraterna correptio. 42. & seq.
Fraus. 252.
Fructus industrię, qui dicantur. 128.
Fuga Reorum. 234. & seq.
Furem nocturnum, & diurnum an, & quando liceat privatâ auctoritate occidere. 103. An idem Clericis,& Religiosis liceat. 104.
Furtum quid sit. 117. Quale peccatum. 118. An furetur qui alienum accipit in iustam compensationem. ibid.Quæ in furto sufficiens quantitas ad mortale peccatum. ibid. Furta plura minuta an simul sumpta peccatum mortale constituant. 119. Furta amicorum, & domesticorum an, & quanta sint peccata. ibid.& seq.

G

GAudere, & delectari de malo sub conditione, an, & quando sint peccatum. 241.
Generales Ordinum an possint ferre censuras. 385.
Generationem prolis an liceat aliquando impedire. 369.
Gloria vana quale peccatum, & quotupliciter eâ peccetur. 250.
Gratitudo. 63.
Gravidæ an liceat petere, & reddere debitum. 368.
Gula quid sit, & quale peccatum. 255. Quæ sint eius filiæ. 256.

H

HAbitus Clericalis. 218. Hæredis commoda, Iura, & obligationes. 174. Intra quod tempus debeat exequi defuncti voluntatem. 171. Qui possint institui hæredes. 172. Hæredum divisio.173. Quantum debeatur hæredibus necessarijs. ibid. Qui succedant ab intestato; aut testamento rupto, vel irrito.174. An possint adire hæreditatem,quando testamentum factum est sine solemnitatibus. 166.
Hæreditatum renuntiatio. ibid.& seq.
Hæresis quid sit. 33. & seq. Eius periculo se exponere quale sit peccatum. ib.
Hæreticus quis. 33. An hęretici obligentur pręceptis Ecclesiæ.13. An pręcepto confessionis. 350. An liceat legere eorum libros. 34. 399. An cum illis disputare. 34. An sacris eorum interesse. 31.
Herus an teneatur famulo infirmo dare salarium. 197.
Homicida. 131.
Homicidium. 100.
Homicidium coniugis an, & quando dirimat matrimonium. 376.
Honor. v. Fama.
Horæ Canonicæ. 205.& seq. Qui ad eas obligentur.ibid. Quanta sit hæc obligatio.207.& seq. An teneatur ad restitutionem fructuum, qui Horas omisit.208.& seq. Quibus ea fieri debeat. 209. Quæ à recitatione Horarum excusent. 210.& seq. Quomodo Horæ sint recitandæ. 211.& seq.
Humanæ carnis esu. 255.
Hypocrisis. 250.
Hypotheca. 161.

I

IActantia. 250.
Idolatria quid sit,& quotuplex. 55.
Ieiunium Ecclesiasticum. 183. & seqq. Quæ causæ ab eo excusent. 185.
Ignorantia an excuset à transgressione præcepti. 19.
Illegitimus an sit irregularis. v. Spurius.
Illusio. 258.
Impedimenta matrimonium impedientia tantùm, 371. & seq. Impedimenta idem dirimentia. 373. & seq.
Imprecari alijs dæmonem, grandinem, &c. in ira, quale sit peccatum. 66.
Incestus quid sit. 114. An impediat matrimonium. 371.
Indulgentia quid sit, & quid ad eius valorem requiratur.328. Quotuplex, & quomodo differat à Iubilæo. 331. & seq. Quæ conditiones requirantur ad lucrandras Indulgentias. 328.
Infamia, v. Detractio. An liceat alium infamare ad vitanda gravia tormenta. 180. An liceat infamare seipsum. ibid.
Infantibus an dari possint carnes die Veneris. 13. An infantes ethnicorum licitè baptizentur invitis parentibus. 272.
Infideles an obligentur præceptis Ecclesiæ. 13. An liceat interesse sacris infidelium. 31.
Infidelitas quotuplex sit. 32.
Inimicorum dilectio. 38.
Iniuria materialis quæ sit.121. Formalis. 122. An obligetur ad restitutionem qui intulit iniuriam tantùm materialem.127.& seq.An qui formalem.129. & seq.
Innocentem an aliquando liceat occidere. 105. 109.
Inobedientia. 248. v. Obedientia.
Inquietudo cordis. 251.
Inquisitio Iudicia. 221.
Insidijs an vti liceat contra hostem. 109.
Intentio virtualis quæ sit. 262. Intentio satisfaciendi præceptis,voto, & iuramento &c. an requiratur ad eorum impletionem. 16.& seq.
Interdictum quid sit,& quotuplex.403. Qui sint eius effectus.404. Quis possit ferre censuram interdicti. 405. Quis eandem tollere. ibid.

Interstitia Ordinum. 358.
Inventarium bonorum. 174.
Invidia quid, & quale peccatum. 254. Quę sint eius filiæ. ibid. & seq.
Ira quid sit, & quale peccatum. 257. Quę sint eius filiæ. ibid. & seq. In ira nominare mortem Dei, septem Sacramenta, dęmonem, &c. quale sit peccatum. 66.
Irregularitas quid sit, & quotuplex. 405. Qui sint eius effectus. ibid. Quomodo incurratur. 406. quomodo tollatur. ibid. Quę sint irregularitates ex delicto. 406. & seq. Quæ ex defectu. 408. & seq.
Irreligiositas quotuplex sit. 59.
Irritatio directa votorum. 81. & seq. Indirecta. ibid.
Iubilæum. 332.
Iudęi. 32. & seq. Quibus casibus cum ijs non liceat communicare. ibid.
Iudex. 219. Quid in eo requiratur. 220. Quid ei servandum circa inquisitionem. 221. Quid liceat circa torturam. 222. & seq. Quid servandum circa sententiam, & pœnam. 224. & seq. Ad quid obligetur Iudex qui tulit sententiam iniustam. ibid. & seq. Quid licet circa munera. 226.
Iudicium legitimum. 219.
Iuramentum quid sit. 67. Quotuplex. 68. An, & quando sit licitum. 69. An in eo vti liceat æquivocatione. 70. & seq. Iuramenti promissorij quanta sit obligatio. 71. & seq. Quomodo tollatur obligatio iuramenti per irritationem. 74. Quomodo per dispensationem, commutationem, & remissionem ibid. An quis obligetur iuramento, de quo dubitat an sit emissum. 7. Iurandi formulæ. 68.
Iurisdictio Confessarij quid sit, & quotuplex, & vndè eam habeat. 334. & seq. An iurisdictione dubiâ liceat absolvere. 336.

L

Lactare an mater teneatur prolem lacte proprio. 95.
Lacticinia. 183.
Lectio obscœnorum. 112.
Legatum quid. 164. Legata in pias causas an Religiosus executor possit applicare suo Monesterio. 168. An legata pia possint commutari in alium pium vsum. 170. Legata pia quæ dicantur. 169.
Legislator an suis legibus obligetur. 13.
Lex. 9. & seq. Legis positivæ vis, & substantia an dependeat ab acceptatione communitatis. 11. & seq. An Lex humana obliget sub peccato, & quali. 12. Quæ personę legibus obligentur. ibid. & seq. An ignorantia excuset à transgressione legis. 19. An metus. 20. An dispensatio. 21. Per quot annorum præscriptionem lex aboleatur. 11. v. pręceptum.
Libellaticus contractus. 156.
Libellus famosus. 181.
Liberi ad quid obligentur erga parentes. 93. An peccent, & obligentur, si parentibus inscijs contraxerint sponsalia. 361. An & quàm graviter peccent si ijsdem invitis quid auferant. 119. & seq.
Libertas. 6. Regula qua cognosci possit, an quis sit in possessione suæ libertatis. ibid.
Libri hæreticorum, an, & qui prohibeantur. 399.
Libros obscœnos edere quale sit peccatum. 112.
Litaniæ. 211.
Litteras alienas aperire, & legere, an & quale

quale sit peccatum. 252.
Litteræ dimissoriæ. 358.
Locatio. 155.
Locator an possit conductorem re conductâ privare ante tempus pręfinitum. 156.
Ludere chartis, aleis, an liceat Clericis, Religiosis. 158.
Ludus. 157. & seq.
Lusor quando teneatur ad restitutionem. 158. Quando leviter, quando graviter peccet. ibid.
Luxuria. 111. & seq. Eius filiæ. 253. Eius actus, seu peccata quotuplicia sint. 111.
Luxuriæ consummatæ species naturales. 113.
Species contra naturam. 114.

M

Magia. 55. Quomodo Confessario cum Magis agendum. 58.
Magistratûs obligatio. 43.
Maledictio. 258.
Malefactorem an, & quomodo liceat occidere. 102. & seq.
Maleficium quid. 57. Quotuplex ibid. Quibus remedijs vti liceat contra maleficia. 58.
Maritus ad quid obligetur erga vxorem, & è contra. 98. & seq. An etiam in adulterio deprehensam licitè occidat. 103.
Mater quid debeat filijs. 95. Optans filiabus mortem quomodo excusari possit. 41.
Materia levis sub mortali. præcepta. 12.
Matrimonium quid sit. 363. Quæ illius materia, forma, minister. 364. & seq. An eius vsus sit licitus. 365. & seq. An præceptus. 367. & seq. An debitum. ib. An matrimonium validè voveatur. 78. Matrimonij contractus ex gravi metu factus, an sit irritus. 138. An liceat contrahere matrimonium cum habente votum castitatis. 49. An cum hæretico. 34. An possit solvi matrimonium. 369. Quæ sint impedimenta matrimonium impedientia tãtùm. 371. & seq. Impedimenta dirimentia. 373. & seq. Matrimonij proclamationes præviæ. 372. & seq. An coram Parocho contrahendum, & quo. 378. Quid de hæreticis quoad hæc censendum. 381. Matrimonij consummatio an prohibeatur ante benedictionem. 371. Matrimonium invalidum, quomodo revalidandum. 381. In impedimentis, à quo possit dispensari. 382. Ob quas causas. 383.
Medicorum obligatio. 237.
Mendacium in confessione. 322.
Mercatorum obligatio, & peccata. 238.
Mercatus. 86.
Meretrix. 113.
Metus. 20. 377.
Militum peccata. 109.
Militans bona fide quid teneatur restituere. 128. An, & quando possit seipsum indirectè occidere. 101.
Minister Sacramentorum. 262. Quid in eo requiratur vt det validè Sacramentum. ibid. Quid vt licitè. 263. & seq. Minister Baptismi. 270. Confirmationis. 270. Eucharistiæ 289. & seq. Pœnitentiæ. 332. Extremæ-Vnctionis. 353. Matrimonij. 363.
Minorum bona quomodo Tutori, & Curatori administranda. 162. An minores iuribus sibi acquisitis possint renunciare, & quandiu teneantur subesse Curatori ibid. An possint contrahere. 138.
Miraculi fictio. 52.

Misericordia corporalis. 40. & seq. Spiritualis. 42. & seq.
Missa quid. 299. Quæ sit obligatio Sacerdotum circa illam, ibidem, & seq. Quando liceat eam celebrare. 303. & seq. Quoties ibid. & seq. Quo loco. 305. & seq. An eam aliquando liceat interrumpere. 304. & seq. Quæ sint requisita ad Missam. 308. & seq. An quis festis diebus eam teneatur audire. 88. & seq. Vbi, & vtrum in Parochia. 89. & seq. Quæ excusent ab auditione Missę. 92. Facere Missas pro pretio an sit simonia. 62.
Molitorum obligatio. 144.
Mollities. 115.
Monachus, v. Religiosus.
Monasterium. 161. 172. 198.
Moniales en obligentur ad horas Can. 206.
Monopolia quid sint, & an licita. 149.
Monstrum an sit baptizandum. 272.
Montes pietatis qui dicantur, & an liciti. 146.
Moribundi absolutio. 319.
Mortem optare an liceat sibi, vel alteri. 36.
Mulierum ornatus. 47. & seq.
Mutilatio sui ipsius an, & quando sit licita. 102. An & quid debeat restitui pro iniuria per mutilationem corpori illata. 131. & seq.
Mutuum quid. 145. & seq. An liceat petere mutuum ab vsurario. 46.
Mutuatarij, & mutuantis obligatio. 145. v. Vsura.

N

NAutæ Catholico an liceat vehere annonā ad castra hæreticorum. 50.
Nautarum obligatio. 144.
Necessitas proximi quotuplex. 40.
Necromantia. 52.
Negotiatio quid sit, & quibus illicita. 151. & seqq.
Neophytus an sit irregularis. 408.
Notarij obligatio, & peccata. 229.
Novitij an obligentur ad Horas Can. 206. An possint validè testari. 172. Ad quid obligetur, qui Novitium abduxit à Religione. 134.
Nundinæ. 86. v. Mercatus.
Nuptiarum solemnitates quando prohibeantur. 371. Earum Benedictio. 372.

O

OBduratio cordis. 251.
Obedientia filiorum erga parentes. 94.
Obedientiæ votum. 194.
Observantia vana quid sit. 55. & seq. Quotuplex. ibid. Quale peccatum. ibid. Vndè possit cognosci. 56. & seq.
Obsides an liceat occidere. 160.
Occasio proxima peccandi. 48. 315.
Occisio iniqui aggressoris. 103. Malefactoris. ibid. Vxoris in adulterio deprehensæ. ibid. Innocentis. 105. Suipsius. 102. & seq. An, & quid debeat restitui pro iniuria per occisionem illata. 131. & seq.
Odium Dei. 36.
Odium proximi. 39.
Oleum benedictum. 351.
Opera diebus Dominicis, & festis præcepta. 87. & seq. prohibita. 87. & seq.
Opificum variorum peccata. 238.
Opinio probabilis. 4.
Oratio Dominica. 27.
Ordines militares an, & qui ex ijs sint Religiosi. 188.
Ordinis Sacramentum quid sit 355. Quotuplex. ibid. Quæ eius materia. ibid. Quæ requirantur ad validam, & licitam ordinationem. 357. & seq. Ordines sacros suscipiens, an, & quomodo voveat castitatem. 76. A quo Episcopo quis possit ordinari. 356. & seq.
Ornatus mulierum. 47. & seq.
Oscula, extra matrimonium an, & qualia sint peccata. 111.

P

PActum cum dæmone. 52. & seq. Papa quam habeat potestatem ferendi censuras. 385. An ipse possit eas incurrere. ibid. In quibus impedimentis matrimonij possit dispensare. 382. An possit dispensare in omnibus votis. 84. An sine iustâ causâ. 22.
Parentes quid debeant filijs. 94. An possint filios exhæredare. 96. Eorum obligatio. 28. 43. Parens non tenetur omnia bona relinquere liberis. 173.
Parochus an habeat potestatem ferendi censuras. 385. An possit dispensare in votis subditorum. 84. An absolvere ab excommunicatione minore. 391. An ascisceré cooperatores non approbatos. 333. Parochus religiosus an obligetur ad regulas sui ordinis. 189.
Parochiani, an teneantur Dominicis, & festis maioribus audire Sacrum in Parochia. 89. & seq. An invitis Parochis possint confiteri Mendicantibus. 337. 351.
Pastorum obligatio. 27. 30. 99.
Patrini Baptismi qui sint, & quod eorum officium. 275.
Patrini Confirmationis. 278.
Patronatûs ius quid, & quotuplex. 200.
Patronus quando teneatur præsentare, beneficio vacante. 200.
Pauperi quando quis teneatur subvenire. 40. seq. Pauperem se fingens, itaque extorquens eleemosynam, an obligetur ad restitutionem. 130.
Paupertas religiosa. 192. & seq.
Paccatum quid sit. 339. & seq. Quæ peccata distinguantur specie. 244. Quæ numero. ibid. & seq. Quid sit peccatum mortale, & veniale. 246. Quæ ex genere suo sint mortalia, quæ venialia. ibid. Quibus ex causis peccatum genere suo mortale, fiat per accidens veniale. 247. & seq. Quibus modis ex genere suo veniale transeat in mortale. 248. & seq. Venialia an possint reservari. 337. An veniale cui annexa est censura, possit omitti in confessione. 391. Peccata capitalia. 249. & seq.
Peccato alterius an liceat materialiter cooperari. 48. & seq.
Pecuniam adulterinam non licet exponere. 154.
Pensio quid sit, & quotuplex. 205.
Pensionarius. ibid.
Peregrini qui dicantur. 13. An teneantur legibus sui domicilij, dum ab eo absunt. ibid. An teneantur implere præcepta sui territorij, antequam ab eo discedant. 14. An obligentur præceptis locorum, in quibus morantur. ibid. An censuris. 285. An præceptis iuris communis. 15. An possint peregrè coram Parocho loci contrahere matrimonium. 379.
Periurium. 69. 71. & seq.
Pertinacia. 250.
Pharmacopœorum obligatio. 237. & seq.
Philtrum. 57.
Physiognomia. 53.
Pignus. 161.
Pingere an sit opus servile. 85. Pingere turpia quale peccatum. 48. 112.
Piscari an servile. 86. Piscatio prohibita an inducat obligationem restitutionis. 129.
Pœna legi adiecta. 12.
Pœna simoniæ. 65.

Universitat de Deusto Biblioteca

Pœna vsurariorum. 148.
Pœnitens an teneatur pœnitentiam acceptare, & implere. 326. An satisfaciat, si eam impleat in statu peccati mortalis. ibid.
Pœnitentiæ Sacramentum. 313. & seq. Quę sit eius materia. ibid. Quæ forma. ibid. Qualis ad eam requiratur contritio. 314. & seq. Qualis confessio. 317. & seq. Satisfactio. 324. & seq. Pœnitentiam in confessione iniunctam quis possit commutare. 327.
Pollutio quid. 115. An aliquando liceat eam procurare. ibid. & seq. An quis actionem licitam teneatur omittere, si prævideat indè naturaliter secuturam. 116. Facta in somno, an, & quando sit mortalis. 117.
Possessor bonæ fidei, an, & quando teneatur restituere. 127. Malæ fidei, quid debeat restituere. 129.
Præceptum quid sit. 9. Quotuplex. 10. Præcepta humana an obligent sub peccato, & quali. 11. An cum periculo gravis incommodi. 20. Ex quibus signis colligi possit, an graviter obligent. 12. An sint implenda ex charitate. 16. An quis possit præcepto satisfacere per actum ex circunstantijs peccaminosum. ib. An ad impletionem requiratur intentio satisfaciendi. 16. & seq. Præceptum duplex an vno actu possit impleri. 18. An diversis actibus ei satisfieri possit eodem tempore. ibid. Præcepta plura violans vno actu, quot peccata committat. ibid. An ignorantia, & metus excusent à transgressione. 19. Vtrum præcepti pars sit implenda, si nequeas implere totum. 20.
Præceptum confessionis. 350.
Præcepta Decalogi. 51. & seq. v. Decalogus.
Præcepta Ecclesiæ. 183.
Præceptum locale. 13. & seq.
Præceptum vniversale. ibid.
Præceptorum obligatio. 100.
Prælati quomodo obligentur præcepto fraternę correptionis. 42. An, & qui possint dispensare in votis. 84. An Prælati Ordinum teneantur fugitivos requirere. 198. Quid possint subditis permittere salvo voto paupertatis. 194. Prælatorum obligatio. 44.
Præstimonium. 207.
Præsumptio quid, quale peccatum. 249.
Præsumptio de misericordia Dei. 35.
Precarium quid. 143.
Pretium quotuplex. 148.
Principum obligatio. 108. & seq. Item. 123.
Proclamationes matrimonij. 372.
Procuratorum obligatio. 229.
Peccata. 228. & seq.
Prodigalitas in quo consistat, & quale sit peccatum. 251.
Prodigi an possint contrahere. 138.
Proditio. 252.
Professio fidei. 28. & seq.
Professio religiosa quas requirat conditiones, vt sit valida. 189. & seq. Facta ex gravi metu an sit irrita. 138.
Professi an, & qui possint institui hæredes. 172.
Promissio acceptata an graviter obliget. 138. In rebus Ecclesiasticis ex gravi metu facta an sit irrita. ibid.
Propola. 49.
Proscriptos, quibus liceat occidere. 103.
Proximo an liceat velle aliquod malum. 39. Quando quis teneatur ei subvenire. 40. An, & quando eius peccatum permitti possit. 48.
Pueri quibus legibus obligentur. 13. An, & quando, obligentur præcepto confessionis. 350.
Pupillus. 96. 138. 163.

Q

QVæstorum obligatio. 151.

R

RAncor. 259.
Rapina. 118.
Raptus quid. 113. An, & quandiu impediat matrimonium. 371. 376.
Rebaptizans, & rebaptizatus an fiant irregulares. 406.
Referentis obligatio. 229.
Peccata. ibid.
Regula externa actuum humanorum. 9.
Regula interna. 1.
Regulæ Ordinum Religiosorum. 194. & seq.
Regularibus cur ampla privilegia à Pontificibus concessa. 91.
Religiosus status quid sit. 188. & seqq. Qui possint eum amplecti. 195. & seq. Qui teneantur. ib. Religiosa professio, quas requirat conditiones. 189. & seq.
Religiosus ad Cardinalatum, vel Episcopatum promotus, an maneat obstrictus votis suę Religionis. 189. Promotus ad Parochiam, an teneatur deferre habitum Religionis, & regulam servare. ibid. Ad quid obligetur Religiosus vi suę professionis. 191. An, & quomodo teneatur ad perfectionem. ibid. Ad quid teneatur vi voti paupertatis. 191. & seq. Ad quid vi voti castitatis, & obedientiæ. 194. An contra hanc peccet, si regulam Ordinis transgrediatur. ibid. An teneatur obedire, si dubiret, vtrum res, quę iubetur, sit licita. 195. An, & quando liceat ei transire ad Ordinem strictiorem. ibid. An, & quando ad laxiorem. ibid. An, & quando possit è Religione expelli. 197. An expulsus maneat votis adstrictus. ibid. & seq. An teneatur ad Horas. 206. An Prælatus teneatur fugitivum, & apostatam requirere. 198. An professus in vno Monasterio possit cogi, vt se transferat ad aliud. ibid. An possint Religiosi nova statuta concedere. 195. An à Pontifice possint cogi ad arctiorem vivendi rationem. ibid. An illis liceat negotiari. 152. Religiosi Mendicantes an licitè ministrent Eucharistiam. 288.
Reliquias an cum reliquijs liceat permutare. 63. Falsas proponere quale sit peccatum. 51.
Remedia contra maleficia. 57. & seq.
Remiges Christiani. 50.
Remissio debitorum. 140.
Renuntiatio hæreditatum. 167. & seq.
Renuntiationes honorum, factæ ab ingredientibus Religionem, an sint validæ. 168.
Repressalia an liceat. 108. 110.
Reservatio casuum quid sit. 338. & seq. Quis habeat potestatem reservandi. ibid. Quis absolvendi. ibid. & seq.
Residentia Episcopi, & eorum, qui habent beneficium curatum. 202.
Resignatio beneficij quid, & quotuplex. 203.
Restitutio quid sit, & qui ad eam teneantur. 121. & seq. An plures simul damnificantes teneantur restituere in solidum, & quo ordine 124. An teneatur restituere qui alium impedivit à consecutione alicuius boni. ibid. Cui restitutio debeat fieri. 125. & seq. An, & quando debeat restituere bonæ fidei possessor. 127. & seq. Quid possessor malæ fidei. 129. An, & quid restituendum pro iniuria corpori illata,

Universidad de Deusto Biblioteca

ta, per mutilationem, occisionem, &c. 331. & seq. Quibus pro his restitutio fieri debeat. ibid. Quid restituendum pro illato stupro. 132. Quid pro adulterio. 133. Pro fama. ibid. Pro inductione ad peccatum. 134. Pro avocatione à Religione. ibid. Restitutionis circunstantiæ vt tempus, locus modus, &c. ibid. & seq. Quæ à restitutione excusent. 136. & seq.
Reverentia filiorum erga parentes. 93. & seq.
Reus an, & quando teneatur fateri verum. 232. & seq. An graviter peccet, si ad evitanda tormenta gravia, falsum crimen sibi imponat. 234. An teneatur revelare complices. ibid. An ei liceat occidere ministros iustitiæ. 103. Quid circa fugam. 234. & seq. Quomodo Confessario agendum cum Reo. 235. & seq.
Rex bellum gesturus ad quid obligetur. 108. & seq.
Rixæ. 258.
Rustici, alijque simpliciores in Germania, qui habentur hæretici, an possint absolvi à suis Parochis. 34.

S

SAcerdotum obligatio circa Missæ sacrificium. 299. & seq.
Sacramentum quid sit. 260. Quid circa eius materiam & formam servandum. 261. & seq. Sacramentorum minister. 262. Quid in eo requiratur, vt det validè. ibid. & seq. Quid vt licitè. 263. & seq. Quæ dispositio requiratur in suscipiente ad valorem Sacramenti. 265. Quid vt licitè, & cum fructu suscipiatur. 266.
Sacramentalia. quid sint. ibid. Quid efficiant. 267.
Sacrificium Missæ 299. & seq. Cuius sit applicare fructum sacrificij. 302. vid. Missa.
Sacrilegium quid sit, & quotuplex. 59. & seq. Quot modis committatur per actum venereum. 114.
Sartorum obligatio. 144. Peccata 238.
Satisfactio. 324. & seq.
Scandalum quid, & quotuplex sit. 44. Quando committatur. 45. & seq. Activum an sit speciale peccatum. 45. Quando sit mortale, quando veniale. ibid. Scandalizans quot peccata committat, & an in materia iustitiæ teneatur ad restitutionem. ibid. Scandalum passivum an sit, circunstantia aggravans 45. An, & quando possit permitti. 46. quid ad hoc vitandum omitti debeat. 47.
Scrupulus. 8.
Scrupulosæ conscientiæ signa. ibid. Remedia, & privilegia. ibid.
Secretarij obligatio, & peccata. 229.
Secreti violatio. 352.
Senes an, & qui teneantur ad ieiunium. 186. & seq.
Sententia probabilis, quæ sit, an sequenda 4. & seq. An tutior eligenda. 6. Quomodo Confessarius sequi possit minùs sibi probabiles in favorem pœnitentis. 5. An quis speculativè probabiles sequi possit in administratione Sacramentorum. 6.
Sepulturâ Ecclesiasticâ an privetur excommunicatus. 394. An interdictus. 404.
Servilia opera. 85. & seq.
Servus an, & quàm graviter peccet, si domino invito quid auferat. 119. An teneatur ad restitutionem. 121. An cum libera possit contrahere matrimonium 374. An cum serva ibid. Servi originarij, vel ascitij an sint proprie servi. ibid. An servi sint irregulares. 490.
Sigillum Confessionis quid. 345. Sub sigillum. 346. & seq. Qui ad illud teneantur. 347. & seq.
Simonia quid sit. 61. Quotuplex. 62. An sit simonia concionari, cathechizare, Missas facere, &c. pro pretio. ibid. Simoniæ pœna 63. & seq. Cui debeat restitui quod simoniacè acceptum est. 64.
Societas IESV. 168. v. Religiosus.
Societatis contractus quid sit. 159. & seq.
Sodomia quid. 115.
Soror an teneatur fratri, vel sorori in necessitatibus subvenire. 95.
Sorores tertiatiæ Ordinis S. Francisci an sint Religiosæ. 188.
Sortes divinariæ, divisoriæ. 54.
Spectatio turpium comœdiarum quale sit peccatum. 112.
Spei præceptum quando obliget. 34.
Sponsalia quid sint. 259. Quæ & quanta eorum obligatio. 360. & seq. Quomodo dissolvantur. 362. & seq.
Sponsis an liceant impudici tactus, oscula, &c. ibid. & 113.
Sponsio quid sit, an, & quando licitè fiat. 157 & seq.
Spurius. 95.
Status Clericorum. 599. & seq. v. Clerici.
Status religiosus. 188. & seq.
Status sæcularium præsertim iudicialium. 219. & seq.
Stratagematibus an vti liceat in bello. 109.
Stuprum quid. 113.
Stuprator quid pro illato stupro debeat restituere. 132.
Subditi quomodo sint obligati suis Superioribus. 97.
Superbia quid sit. 249. Quale peccatum. ibid. Quæ sint eius filiæ. ibid. & seq.
Superiores quomodo sint subditis obligati. 98. & seq.
Superstitio quid sit, & quotuplex. 51. Quando committatur superstitio cultûs falsi. ibid. Quando cultûs superflui. ibid.
Suspensio quid 400. Quotuplex. 401. Eius quantitas, & qualitas vndè sit colligenda. ibid. Quæ sint suspensiones in particulari. 402. Quis ab eis possit absolvere. ibid.
Suspicio temeraria. 176.
Susurratio quid. 254. An susurro teneatur amicitiam per se sublatam reconciliare. ibid.
Sutor. 238.
Symbolum Apostolicum. 27.

T

TAbacum. 294. & seq.
Tabellio. 229.
Tactus impudici, qualia sint peccata. 111. & seq. An liceant inter coniuges 113. 367. An inter sponsos. 113.
Tentatio Dei quid sit. 59. Quale peccatum. ibid.
Testamentum quid, quotuplex. 163. An sit validum, cui desunt solemnitates iure civili requisitæ. 164. & seq. Qui possint, & debeant esse executores testamenti. 169. Intra quod tempus exequi debeant. 170. Qui possint testari. 171. & seq. Testamenta militum sunt privilegiata. 166.
Testimonium mulieris, servi, minoris, inimici, periuri, &c. an sit validum. 231.
Testis ibid. An, & quando quis testari teneatur, & ad quid obligetur qui non vult testari. ibid. & seq. Ad quid, qui

Universiteit van Deventer Bibliotheek

qui falsa testatus est. 232. Testium peccata. 233.
Thesauri inventi quibus sint restituendi, vel dandi. 127.
Torpor. 259.
Tortura Reorum. 222. & seq.
Traditio in rebus Ecclesiæ, ex gravi metu facta, an sit irrita. 138.
Tristitia de bono alterius an, & quando sit peccatum. 254.
Tutela. 162.
Tutela inculpata, quæ sit, 103.
Tutorum officium. 162. & seq. 96. & seq.
Typographus. 85.

V

VAgi an teneantur præceptis locorum, in quibus morantur. 15. An coram quolibet Parocho possint contrahere matrimonium. 319.
Vana gloria quid sit, quale peccatum, quotupliciter eâ peccetur. 250.
Vana observantia quid, quotuplex, quale peccatum. 55. & seq. Vndè cognosci possit. ibid.
Vassallus. 156.
Vectigalium fraudatione quàm graviter peccetur, & an ex ea oriatur obligatio restitutionis. 129.
Venator. 127.
Venditio quid. 148.
Venditor, quo pretio debeat vendere. ibid. & seq. An teneatur de vitio rei, quæ venditur præmonere emptorem. 150. Res vendita cui pereat ante traditionem. ibid.
Veneficium. 56.
Venena an liceat vendere. 50.
Verba turpia proferre quale sit peccatum. 112. An, & quando ea liceant inter coniuges. ibid.
Vestes Clericales. 218. Infidelium. 30. Quando sacræ vestes exsecrentur. 307.
Veste virili an liceat fœminæ vti, vel è contra. 47.
Vidua. 367.
Vindicta. 257.
Violentia. 251.
Virgini an liceat occidere invasorem pudicitiæ. 103. An pro servanda castitate mortis periculo se exponere. 101.
Vitam an liceat abbreviare. 101. Eius defensio. 102. & seq.
Votum quid sit, & quotuplex. 74. Quæ requiratur voti deliberatio, & intentio. 75. & seq. Voti materia. 77. & seq. Voti quæ, & quanta sit obligatio. 78. & seq. An quis teneatur voto dè quo dubitat, an sit emissum. 7. De voto emisso dolère, quale sit peccatum. 78. An duplicem malitiam admitat qui violat votum de re iam antè præcepta. ibid. Voto alieno an quis obligetur. 79. Qui vovit rem ab altero præstandam, ad quid teneatur. ibid.
Vota personalia à quo sint implenda. ibid. Realia vndè solvenda. ibid. Conditionalia an obligent cessante conditione. ibid. Votum amplectendæ Religionis ad quid obliget. 80. Voventis intentio vndè in dubio sit colligenda. ibid. Voti obligatio quot modis tollatur. ibid. Qui possint directè irritare. 81. & seq. Quinam indirectè. 82. Quinam in eis dispensare. 84. Voti commutatio quid sit. 83. Quid circa eam requiratur, vt licitè fiat. ibid. Qui possint commutare. ib.
Votum castitatis. 194. An simplex castitatis votum impediat matrimonium. 372. An solemne idem dirimat. 374.
Votum Religiosę obedientiæ ad quid obliget. 194.
Votum Religiosę paupertatis. 191. & seq.
Vsura quid sit. 145. Quale peccatum. ibid. Variæ species vsuræ. 146. & seq. Vsurariorum, & cooperantium obligatio, & pœna, quæ sit. 148. An ab vsurario liceat petere mutuum. 46.
Vxor ad quid teneatur erga maritum. 370. 98. An, & quàm graviter peccet, si marito invito quid auferat. 119. An teneatur ad restitutionem. 121. Quæ bona possit expendere. 120.
Vxoricidium an impediat matrimonium. 371.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

INDEX
BVLLÆ CRVCIATÆ.

DE Sanctę Cruciatæ Bulla tractatus vnicus. 411.
De communi vivorum Bulla. 412.
Quid sit Bulla, & quisnam eam concedere valeat. ibid.
Quibusnam Cruciatæ concedatur Bulla. 413.
Quantum temporis Bulla duret. 415.
An privilegium Bullæ Pontificis concedentis morte finiatur. 416.
An Pontifex Bullâ revocare possit. 417.
An revocetur Bulla Cruciatæ per anni Sancti, aut aliud simile Iubilæum, aut per Bullam Cœna Dñi. 418.
Quęnam personæ privilegijs Bullę gaudere possint. 419.
An qui Bullam accipit, in gratia esse debeat, vt privilegijs Bullę potiri valeat. ibid.
An Cathecumeni, pueri, fatui, excommunicati, & hæretici gaudere possint Bulla. 419. & seq.
An Religiosi Bullâ gaudere possint. 420. & seq.
An possit Religiosus Bullam accipere absque licentia sui Prelati. 421.
An vivorum Bulla possit defuncto assumi in ordine ad aliquem vsum. ibid.
Quid debeat facere quis, vt Bullæ privilegijs gaudere possit. 422.
Quantum militum numerum expensis proprijs mittere teneatur, qui non sequitur castra, vt Bullæ privilegijs potiri possit. ibid.
Quantam per Commissarij taxationem eleemosynam erogare debeant, qui militem ad bellum non mittunt. ibid.
Resolvuntur aliquę difficultates circa dicta dubio proximo. 423.
De alijs difficultatibus, tam de Clericis; quàm Religiosis, qui adeunt bellum, vt milites in spiritualibus adiuvent. 425.
Quinam hic nomine Clericorum, & Regularium intelligantur, & quamnam licentiam habere debeant, vt exercitium

tum adeant:& quænam ministeria ibi exercere teneantur. ibid.
Quænam particularia privilegia concedantur Clericis, & Regularibus ad exercitum euntibus. 426.
Quomodò declaret istud (nempè dictum) Commissarius. 427.
De alijs duobus privilegijs, quæ militibus conceduntur. ibid.
De aliquibus difficultatibus erga taxationem eleemosynę pro Bulla. 428.
De indulgentis Bullæ. 429.
Quęnam indulgentiæ concedantur in Bulla. 430.
De indulgentia plenaria, quæ euntibus, vel mittentibus ad exercitum conceditur. ibid.
An indulgentia plenaria, quæ conceditur initio Bullæ euntibus ad exercitum, vel mittentibus alios, sit eadem indulgentia, quæ posteà conceditur accipientibus summarium Bullæ, vt applicetur sibi semel in vita,& iterum in mortis articulo. ibid.& seq.
An ad lucrandam istam indulgentiam requiratur actualis Confessio. 431.
Quandonam indulgentiam istam lucrentur,qui ad exercitũ tendunt.432.
De indulgentia plenaria, quæ conceditur accipiẽtibus summariũ Bullæ. ib.
An possit applicare indulgentiam in vita,& in morte alius distinctus à Confessario. ibid.
An indulgentia debeat applicari in Confessione, an extra Confessionem sufficiat. ibid.
Quibus verbis applicari debeat indulgentia, & an sine verbis possit. 433.
An simul cum hac indulgentia possit applicari alia plenaria,pro alio titulo.ib.
Quidnam intelligatur hic per mortis articulum. ibid.
An possit quis lucrari indulgentiam, quin ipsam applicet Cõfessarius. 434.
De indulgentia quindecim annorum, & participationis piorum operum. ibid.
Quænam gratiæ concedantur in hac clausula Bullæ, & quomodo intelligi debeat. ibid.
Quidnam intelligatur pro remissione pœnitentiarum impositarum,& quolibet modo debitarum. 435.
Quidnam intelligatur per gratiam participationis omnium operum piorum, quæ fiunt in Ecclesia militante. ibid.
Quidnam requiratur ad istas gratias lucrandas. 436.
Quoties istæ gratię possint obtineri.ibid.
De indulgentijs, quæ obtinentur visitando quinque Altaria. ibid.
An indulgentia, quam obtinet visitans quinque Ecclesias, aut Altaria, possit applicati defunctis. 438. & seq.
An quando quis alio indulto potest eximere animam à Purgatorio, vel sibi indulgentiam obtinere, ille talis visitans 5. Altaria possit vnâ, & eâdem visitatione duas animas è Purgatorio eripere, aut indulgentias obtinere, aliam per Bullam, aliam per indultiam;& generaliter quæritur; an vno, eodemque opere possint obtineri plures indulgentiæ concessæ per diversa indulta. 439.
An ad obtinendas indulgentias sit necessarium esse in gratia. ibid.
Quænam privilegia obtineantur per Bullam tempore interdicti. 440.
Resolutiones circa celebrãdam Missam; & audiendã, & circa officia divina.ib.
An habens Bullam teneatur audire Missã diebus festis tẽpore interdicti.441.
De privilegio accipiendi Sacramenta,& posse

posse sepeliri in loco sacro, cum moderata funeris pompa tempore interdicti. 442.
De privilegijs Oratoriorum. 443.
An virtute Bullæ possit quis erigere domi suæ Oratorium,in quo post approbationem Ordinarij possit celebrari Missa. ibid.
Quid liceat in vsu Oratoriorum privatorum virtute Bullæ, 444.
An die Paschatis possit audiri Missa, & accipi Eucharistia in Oratorio virtute Bullæ. ibid.
De privilegio vescendi carnibus ex consilio vtriusque Medici, & ovis, & lacticinijs in diebus quibus prohibentur. 445.
De privilegio vescendi carnibus. ibid.
De privilegio vescendi ovis, & lacticinijs in Quadragesima. 446.
De privilegio, quod Ecclesiasticis datur per aliam Bullam, vt ovis, & lacticinijs vescantur. 448.
Quonam pretio Commissarius Bullam taxaverit. ibid.
De electione Confessarij approbati ab Ordinario, quæ conceditur per Bullam. 450.
De approbatione necessaria in Confessario, vt per Bullam eligi possit. ibid.
An approbatus in vna Diœcesi, vel cum limitatione, pro aliquo tantùm loco, tempore, aut personis,possit eligi per Bullam in cunctis Diœcesibus, locis, temporibus, & pro personis quibuscumque. ibid.
De potestate Confessarij electi virtute Bullæ, quoad absolutionem culparum reservatarum, & non reservatarum. 453.
Quodnam sit privilegium Bullæ,quando concedit; quod semel in articulo mortis possit quis absolvi à casibus Apostolicæ Sedi reservatis. 456.
Quibusnam verbis, aut formâ absolvendum sit virtute Bullę à peccatis,& censuris.ibid.
An possint Regulares virtute Bullæ eligere Confessarium, qui eos absolvat à peccatis reservatis, & non reservatis. 457.
An Novitij possint gaudere virtute Bullæ quoad casus reservatos. ibid.
An Regularibus Ordinum militantium prohibeatur per decretum Vrbani gaudere Bulla quoad absolutionem à reservatis. ibid.
De potestate Confessarij virtute Bullę quoad absolutionem à reservatis. ibid.
De censuris in generali. ibid.
An absolutio, quæ tribuitur in foro conscientię virtute Bullæ possit valere in externo foro ad effectum aliquem. 459.
An per Bullam possit absolvi ad reincidentiam ita vt absolutus in eandem censuram reincidat,nisi adimpleat quod sibi fuit impositum. 460.
De censuris in particulari. ibid.
An virtute Bullę irregularitas aliqua toli possit. 461.
De potestate cõmutãdi vota virtute Bullæ.ib.
Resolvuntur dubia aliqua. ibid.
Quisnam Confessarius possit commutare vota virtute Bullæ, & an commutatio facienda sit in Confessione. ibid.
An ad commutandum vota virtute Bullę requiratur Causa. ibid.
An per Bullam possint vota commutari in opus non æquale, sed minus. ibid.
An virtute Bullæ tota commutatio fieri debeat in subsidium Cruciatæ. ibid.
Quænam summa danda sit in subsidium Cruciatæ. 462.
An in commutatione, pro eleemosyna temporali his,qui non possunt talem eleemosynam elargiri, possit Confessarius imponere eleemosynam spiritualem, v.g. orationes,& alia pia opera in subsidium expeditionis Cruciatæ. ibid.
An virtute huius privilegij iuramenta possint commutari. ibid.
An si quis fecit votum, imposuitque sibi pœnam aliquam pecuniariam in pœnam violati voti, post violationem illius, possit ista pœna per Bullam commutari. ibid.
An votum faciendi quidquam, & non petendi commutationem illius voti possit per Bullam commutari. ibid.
An facienti votum cum intentione,vt tale votum Pontifici reservetur, & quod nullus alius possit dispensare, neque commutare per privilegium quodvis, possit votum istud commutari per Bullam. 463.
De votis, quæ virtute Bullæ commutari nequeunt. ibid.
Quodnam castitatis votum nequeat per Bullam commutari. ibid.
Quodnam Religionis votum nequeat per Bullam commutari. 465.
Quodnam votum vltramarinum non valeat per Bullam commutari. ibid.
De aliquibus difficultatibus Bullæ,quæ explicandę restant. 466.
An debeat asservari summarium Bullæ, & inscribi

scribi nomen accipientis. ibid.
An acceptis Bullis duabus possint aliqua privilegia obtineri duplicata. ibid.
De suspensione, & revalidatione indulgentiarum, & gratiarum, quas Bullæ Commissarius concedit. 467.
De suspensione interdicti dum Bulla promulgatur. 469.
De Bulla compositionis. 470.
De bonis in communi, de quibus Commissarius potest compositionem facere. ibid.
Quænam quantitas componi possit. ibid.
Quænam eleemosyna pro compositionis Bullâ eroganda sit. 471.
Cuiusnam qualitatis futura sint bona, super quæ fieri possit compositio. 472.
An in casu qua compareat Dominus bonorum, de quibus per Bullas facta est compositio, vel cum Commissario conventum fuit, is, qui composuit illa bona, debeat restituere, aut tutâ cõscientiâ possit sibi retinere. ibid.
Quibusnam personis possit valere compositio per Bullas, aut cum Commissario. 473.
Quibusnam personis Bulla hæc, scilicet compositionis; valere non possit. ibid.
De particularibus casibus, in quibus Bulla compositionis intrat. 474.
De primis sex casibus, qui ponũtur in Bulla. ib.
De sex alijs casibus, qui ponũtur in Bulla. 476.
De sex vltimis casibus, qui ponuntur in Bulla. 478.
Conclusio huius Bullę. 480.
An dilatio componendi se per Bullas, & quanta, sit peccatum mortale. 481.
De Bulla defunctorum. ibid.
De indulgentiâ plenariâ, quæ per Bullam conceditur animę in Purgatorio patienti. 482.
An infallibiliter indulgentia plenaria Bullæ lucretur animæ pro quâ offertur. ibid.
Quamdonam huius indulgentię beneficio perfruatur anima. ibid.
An sit vtile accipere vltra vnam vicem Bullam pro vnâ animâ. ibid.
An quando quis accipit Bullam defunctorum possit determinationem relinquere Deo, vt ipse eligat animam quam voluerit cui applicetur indulgentia. ibid.
An possit accipi Bulla pro pluribus animabus, aut pro omnibus, vt inter eas dividatur indulgentia, per quam anima vna poterat à pœnis eripi. ibid.
De alijs difficultatibus circa Bullam. 483.
An sit necessarium, quod sit in statu gratiæ ille, qui applicat suffragium huius Bullæ, aut aliam quamlibet indulgentiam defunctis, vt illis prosit. ibid.
Quænam eleemosyna taxata sit pro defunctorum Bullâ. ibid.
De facultatibus Commissarij Generalis Cruciatę. ibid.
De facultatibus in ordine ad bonam Bullæ expeditionem. ibid.
Quisnam putetur in Cruciatã delinquere. ib.
An pœnæ pecuniariæ, quas imponit Commissarius, debeãt pro integro Cruciatę applicari. 484.
An pœnæ impositę ab Ordinarijs pro quocũque delicto debeant applicari Cruciatæ. ib.
Quosnam Officiales possit Commissarius Generalis eligere. ibid.
Quamnam potestatem habeat Commissarius in recolligendis Cruciatę bonis. ibid.
De facultatibus, quas habet quoad animarum salutem. ibid.
An possit in irregularitatibus dispensare. ibid.
In quânam formâ possit in his irregularitatibus dispensare. 485.
An hæc dispensatio valeat in foro externo. ib.
An valeat quando delictum est publicum. ibid.
An possit Commissarius dispensare in aliquo impedimento occulto matrimonij, postquam invalidè contractum est. ibid.
An si hoc impedimentum supervenit matrimonio, possit in eo Commissarius dispẽsare. ib.
An possit Commissarius legitimare prolẽ, quæ nata est ex matrimonio durante illo impedimento occulto, quo matrimonium contractum fuit. ibid.
An possit Commissarius Generalis licentiam dare, vt erigatur Oratorium in privatis ędibus, & vt in eo celebretur Missa. ibid.
An possit dare licẽtiam, vt celebretur Missa, & vt audiatur vnâ hórâ ante diem, & aliâ post meridiem, & quibus personis. 486.
Propositiones, seu opiniones prohibitæ ab Alexandro. VII. 488.
Propositiones dãnatæ ab Innocentio. XI. 490.
Propositiones damnatæ ab Alexandro VIII. die. 24. Augusti Anno 1690. 493.
Alię Propositiones ab eodem damnatę die 17. Decembris Anno 1690. ibid.
Casus quos summi Pontifices Santo Tribunali Inquisitionis reservarunt. 495.

FINIS.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca